CHRISTOPHORI VARSEVICII

Turcicę Quatuordecim.

HIS ACCESSERVNT OPVSCVLA DVO.

L. Friderici Ceriole, de Concilio & Consiliariis Principis, ex Hispanico in Latinum versum vnum, & de Legato Legationeque eiusdem Varseuicii alterum.

Omnia his rebus & temporibus accommodata.



CRACOVIAE,

In Officina Lazari, Anno Domini,

M. D. XCV.

SERENISS. PRINCIPI,
& Domino, Domino
SIGISMVNDO III.
REGI POLONIAE ET SVECIAE.
S. P.

CVm vnà ex Suecia tecum, Sigismunde Rex, Dantiscum appulissem, & de maiori quotidie Europæ à Turcis incendio accepissem nuncium, vt minora omnia, quæ summa hîc requiruntur, habeam, pro antiquioris parentis patriæ charitate, facere non potui, ac nec debui quidem, quominus prioribus Turcicis meis tribus, quibus olim Turcam Persico bello occupatum vrgendum suadebam, vndecim alias adiungerem, & Philippicarum Ciceronis instar, dispari licèt ingenij & eloquentiæ laude, sub tuo sacrato nomine peruulgarem. Vtinam saltem alium quàm olim M. Tullij exitum (quæ tamen in lucem veritatis proferri debuit) mea sortiatur commentatio. Sed vtcunq; tandem euenerit, modò Respub. salua sit, non laborabo. Omnia quippè omnium regnorum Comitia, sed Polonici maximè, perpetuam belli Turcici meditationem continere est necesse, vtpotè cùm plerumq; christianorum bella, pax, & ocium, solùm illud Turcicum immaturè & intempestiuè gestum, seruitus & exitium consequatur. Qua etiam de causa, magnus ille Tarnouius Comes, Polonis suis perpetuò vigilandum, & Turcæ fœderibus nunquam fidendum esse censebat, cùm ille Polonos tanquam in quodam viuario ad certam prædam sibi seruaret, ne interim binis in locis simul bellum gerere cogeretur. Quod quàm firmis rationibus adductus tum suaserit, cùm & Solymanum aliis Otthomanis fœderibus colendis constantiorem, & Hungariam adhuc integriorem viderat, non facilè dixero; næ haud quidem & parum illum vidisse, & in artibus tam bellicis quàm vrbanis exercitatum fuisse, dubitanter affirmabo: loquebatur enim vt multi, sentiebat vt pauci, quod illius solidæ, rerum dominæ argumentum erat sapientiæ. Atq; idem ille, cùm propter Rhodum tanquam nidulum quendam, Ionio mari inclusum, à Solymano Turca captum, cum Sigismundo suo Rege abiectis ornamentis, vestem pullam induit, hacq; ratione dolorem suum maximum præ se tulit; quid iam faceret vicino Hungariæ regno, decore & præsidio christiani nominis, & Polonici regni patrimonio, annonæq; subsidio ambusto, & ceu quodam mortuo cadauere intuendo? Omnis profectò arcendis malis procrastinatio periculosa est, sed vicino ardente pariete periculosissima. Quò etiam magis, dum his tot tan-

tisq; , quæ nos manent, malis medicinam disquiro, & quæ ad rem quadrare possint, mecum ipse attentiùs considero; adieci his Turcicis, vel opuscula, alia duo, L. Friderici Ceriole, de Concilio, & Consiliariis Principis: vnum ex Hispanico in Latinum versum, quod inter tot & tantos præstantes Senatores tuos, quem, vnum alteri hac in parte præposuissem, nesciens; tandem Illustriss. Principi Cardinali Radiuilo, vtpotè Hispanicæ linguæ, morum, & institutorum gnaro, inscribere placuit: & de legato, legationeq; meum opusculum alterum, perillustri viro, Stanislao Minscio, Palatino Lancicicensi, qui tanta cum dignitate, tuo nomine, obiuit legationem Romæ dedicatum; vt quoniam hæc dubia & formidolosa Reipub. tempora, ad res quasq; maximas tractandas, & conficiendas, Consiliariis & legatis idoneis opus habeant. Abeant interim leuiora negotia alia: & tu, qui sicuti præesse, sic & debes omnibus virtute præiuisse, quòad eius fieri per occupationes magis poterit, hos Consiliarios mutos, tuis aliquando consultationibus etiam adhibeto; quos olim ille Alphonsus Arragonum & Neapoleos Rex, verè appellatus sapiens, optimos & veracissimos esse censebat: præsertim cùm Ceriola ex media virorum Principum orbis terræ luce, salutarium consiliorum & institutorum doctis præceptionibus, & appositis exemplis, tantus auctor fuerit, quantus dici & haberi maximus hac tempestate potuerit. Quem biennio antè Ioannes Ceuenhilerus, Cæsareus in Hispaniis legatus, vir summus in eas nauigaturus, diem suum obiisse, iussit mihi nunciari. Quod ideò commemoro, ne aut falsam apud mortuos venari gratiã, aut transferendis idiomatibus in latinũ externis ostentare velle videar industriã; quorum alterum stuporis, alterum esset vanitatis. De meis interim monimentis aliorum esto iudicium: & inprimis, Rex optime, tuum, cui pro mea tenui & infirma parte, ad hoc tam necessarium bellum aliis quoq; excitandis, immò & patriæ ipsi, si quid officij præstitero, id equidem Deo Opt: Max: acceptum feram; sin secus peccatis meis adscribam, & nihilominus pro veteri meo & laborioso genere & instituto vitæ, ad posteri temporis memoriã, hanc quantulamcunq; meam, cum aliis, quæ mox & plures & grauiores sequentur, relinquam lucubrationem, testem meæ perpetuæ erga te obseruantiæ, & constantissimæ in Rempub: voluntatis, quam omnibus in rebus perspicies, quæ ad eius tuamq; amplitudinem maximè pertinebunt. Quod reliquum est felix, & augustum, æquabile diuturnumq; imperium, & de hæreditariis christiani nominis & seminis hostibus desideratam victoriam diuinitus tibi precor. Cracouiæ Idib. Febr. Anno 1595.

Sacræ Maiestatis vestræ Regiæ

Deuotissimus & fidissimus subiectus & seruus. C. *Varseuicius.*

CHRISTOPHORI VARSEVICII Turcicæ Quatuordecim.

TVRCICA I.

MAXIME EXPEDIRET REIPVB. IAM PRIdem impendentia auertiſſe nos potiùs mala, quàm temerè ſperaſſe meliora. Minuit quippè difficultatem labor, tempeſtiuè neceſſariis rebus, quàm ſerò conquirendis. Sed quoniam præterita reprehendi, quàm corrigi magis ſoleant; danda eſt opera, vt non tam ea, quę pręterlapſa ſunt verbis exaggerando, quàm ad ea, quę nos manent mala, animum applicando, patriam, quæ omnes omnium charitates in ſe vna complexa eſt, calamitate prohibeamus. Etenim tot tantiſq; chriſtianis Regnis atq; Prouinciis, in Mahometanorum redactis ſeruitutem, & rei benè contra Turcas gerendæ occaſionibus occurrentibus raro, ſemel verò oblatis & poſthabitis reuertentibus ſerò; quid aliud magis expedierit nobis, quàm tot tamque bellicoſis nationibus ad arma contra eos excitatis, huic rei & tempori non amplius indormire? Diuini enim quiſq; ingratus eſt beneficij, qui opportunè oblata, occaſionis alterius expectat tarditatem. Amiſimus profectò, quæ amitti potuerunt maxima atq; chariſſima: & partim diſſenſione, partim procraſtinatione noſtra, tot & tantas vrbes, regiones, prouincias, regna & imperia chriſtiana, Turcici tyranni ſubiecimus poteſtati; ſic vt nihil non peruium conatui, nihil non patens libidini, nihil eius ſufficiat abdomini, nobis noſtriſq; deuorandis. Qui, quod olim neſcio quis Tyrannorũ veterum populo Romano, hoc ille chriſtiano ceruicem dari vnã, quam facilius amputaret, maximopere concupiſcit. Quæ vt grauia & calamitoſa ſint omnia, multo tamen adhuc grauioribus & calamitoſioribus rebus, à nobiſmetipſis ſeu quædam ſeges & materia comparatur. Obeſt ad ſua ſuorumq; retinenda potentioribus domi inuidia: Vexat & potentes & imbecilles pariter Mahometanorum foris potentia: Eſt qui contentione ancipiti, nunc diſiungendis, nunc maioribus difficultatibus im-

plicandis potentioribus,aut meliori loco,aut tutiores ſuas futuras res opinatur, ſed fallitur. Hoc enim modo Paleologos Græciæ dominos chriſtiani quidã inter ſe cõmittendo,cùm ea ratione eorum prouincias in ſuam poteſtatem venturas exiſtimarent, & ſuas ipſorum perdiderunt. Semper enim à domo vicina incendia & arma longè expediuit tenuiſſe. Qua tamen ipſa in re, magna cautione eſt opus, ne maximis hoſtium exercitibus, exiguis opponendis copiis, nos noſtraque omnia veniant in diſcrimen. Nihil enim Ferdinandi olim Cæſaris in Hungaria magis attriuit vires, quàm quæ promiſſa erant, & citò ſubmitti debebant, diu expectata ordinum imperij auxilia,& magnis copiis cunei noſtrorum oppoſiti,& diſſolutio morum, diſciplinæq; militaris: multa enim amiſſo cauſantur prælio,ſed vnus ille prælij euentus nunquam poteſt occultari. Sunt porrò,qui non tam in hoſtico,quàm domi noſtræ tractandis armis occupatos nos eſſe, & non tam offendendum hoſtẽ,quàm defendi noſtra aiunt debere. Egregiè profectò: quaſi alibi,quàm in ſolo patrio prælium periculoſius committatur; & quaſi ſemel amiſſo, omnia ſimul in periculum & diſcrimen nõ vocentur: & quaſi prius non perderemus hoc modo omnia,quàm Turcicæ frenum aliquod per id imponeretur cupiditati:nunquam enim hoſtis fatigatur alienis inuadendis, ſi neceſsitatem impoſitam non habet, ſuis ſuorumque defendendis. Qua olim ratione, dum pro Raſcia & Bulgaria ſæpimentis regni ſui lentius Hungari arma induunt,in diſcrimen rerum ſuarum venerunt: & ſublatis vicinis,Turcica vexilla, ex vicina ad ſe tranſlata nec opinantes conſpexerunt. Fit enim hoſtis in eum animoſior, quem videt diu bellum contra ſe declinaſſe. Iam verò & illi reperiuntur, qui vicinorum calamitates, tanquam grandinem quandã ocioſi in agro inſpectant alieno,& promiſſo Vlyſsi Polyphemi beneficio, quem inter alios deuorandos deuorare debuit vltimum,volunt eſſe contenti. Sed vtinam quidem, quod ſibi propoſuerunt,per id aſſequantur.At ego vereor,ne & Polyphemi beneficio minus potiti,ab hac tam immani bellua vel ipſa opinione ſua celeriꝰ deuorentur:Turca enim ſuo non alieno commodo,cum chriſtianis ęquè õnibus,bellum atq; pacem ſemper metitur. Apparuit id aliquando in rege Boſniæ: apparuit in Ioannis Sepuſii Hungarorum Regis poſteritate: apparuit in Venetis à Baiazethe II. Turca Corone, Mettone, & à Selimo II. Cyprio regno ſub fœdere perfidioſiſsimè ſpoliatis; ne aliorum Otthomanorum perfidiei exempla, quæ & multa & magna ſunt, perſequamur. Non enim tam rebus fortiter gerendis, quàm alienis fraude & dolo capiendis Turcę notantur. Age. An & aliquibus nõ videtur eſſe conſtantiæ,vel hoſti etiam perfido fidem ſeruare, & pacta conuenta ac veterem (ſi Deo placet) colere cum eo ſocietatem?

etatem? Benè habet quidem: ſed ſi illa pax, nō eſt pax,ſed pactio imminentis ſeruitutis potiùs eſt æſtimanda? An verò tu videns & volens nihilominus ad interitum rueres voluntarium? Turca,vt eſt apud Comicum, lingua iurauit. At mentem iniuratam gerit: tu verò eius inſidioſo fœdere,non ſecus ac laqueo aliquo,quominus te tuaq; defendas, irretitus teneâre? Perinde ac ſi neſciamus Hungaros olim vt dixi Raſciam & Bulgariam, Polonos verò hoc modo amiſiſſe poſterius Valachiam; qui dum Solymanum Turcam Petro Valachiæ Palatino caſtigando ſunt reueriti, ipſe quidem non tantam amicitiæ ipſorum rationem habuit, ſed imò illam ipſam prouinciam,quæ iuris & poſſeſſionis eorum fuerat, per id, quòd de Valacho querebantur, adeò etiam fidentiùs ſibi vſurpauit. Vt enim priuatim fures,ſic & occaſionibus Tyranni alienorum publicè fiunt prædones. Quibus tamen omnibus non obſtantibus chriſtianos Reges,atq; Principes à tam potenti hoſte irritando,cùm miris aliis modis,tum maximè duorum illorum ſanguinis Poloniæ Hungariæ Regum, Vladiſlai ad Varnam, veteribus Dyoniſiopolim dictam, & Ludouici ad Mochacium cauſa dehortantem audimus non neminem, quaſi rebus & temporibus præſentibus, & deniq; veritati ipſi illud ſimile, diſsimile non videatur; & quaſi vt minutatim expendamus omnia, & Vladiſlaus iuuenis admodum & celer ad arma Princeps,& alter neſcio ſi non à ſuis proditus,& ex prælio fuga ſaluus; & tamen nō ſatis conſtat, quo modo & quo authore occiſus, iuuenilis feruoris & rei incōſideratæ cœptæ,quàm belli iniuſti pœnas nō magis perſoluerit. Mars enim fortiſsimū quenq; in acie pignorari,& mors,cuius bella ſunt inſtar mercatus,obuios quoſq; ſemper conſueuit prædari. Quid? An & Eugenius IIII. Pont. Max: & Sanctiſs. qui idē Conſtantino Dragaſo Conſtantinopolitano Cæſari, eiuſq; imperio excidiū à Turca prædixerat,illud Vladiſlao bellum nō ſuaſerat; eius verò legatus Cardinalis Cęſarinus,vir ſapientiſsimus,Regi ducenti exercitum in expeditionem comitem non ſe præſtiterat? vt quod ſuaſiſſe,id & ſanguine ſuo teſtari & probare videretur: & deniq; an & illius belli relliquias Franciſcus Capiſtranus,quo familia Franciſci vix paucos habuit ſanctiores, non acerrimè eſt perſecutus? cùm & Belgradum cum Hunniade defendiſſet,& luculentiſsimum virtutis & ſanctimoniæ ſuæ teſtimoniū ab eodem retuliſſet; vt taceam,nec illud nouum chriſtianis etiam eſſe, quamùis aliqui regum noſtrorum cōtra eos in acie ceciderint, viciſsim de barbaris triumphare. Communis enim eſt Mars cunctis, & tam intra quàm extra muros plena omnia ſunt funerum & triumphis.Nam vt tantùm in multis paucas chriſtianorum de Turcis victorias proferam. An idem ille Hunniades vnus, Regis Matthiæ Hungarorum pater,non tot de Turcis victorias habuit,

it, quot maximè desiderauit? An non toties Scanderbegius Turcas fudit? An Rex Matthias castris non exuit? An Venetorum Respub. terra marique non toties eos profligauit? Sic vt infinitum esset, quæ in hanc sententiam dici possent, singula percensere. Sed neq; tam in victoriis christianorum enumerandis, quàm in Turcicis hoc bello Persico difficultatibus ostendendis, nostra versatur oratio. Quas si oculis corporis non cernimus, animo saltem & cogitatione contemplemur. Humanæ namque acies mentis vel luminibus orbata, res remotissimas collustrat,& quisquam dubitabit,quanta rei contra Turcas benè gerendæ occasio oblata sit; cùm fractas Turcicas in Perside vires, exhaustum Otthomanum ærarium, veteranum desiderari militem, multas passim Turcico in imperio oriri sediciones, & excitari tumultus audiamus? Quæ simul omnia iuncta ad quæuis magna euertenda imperia suffecerint. Atque haud scio, án magnis quàm mediocribus non fuerint calamitosa magis. Sicuti enim grandia quæq; ædificia, quæ incipiunt ruere,difficillimè fulcias ruinaque prohibeas; sic vasta ac Tyrannica imperia,simul ac domi increpuit, armorum externorum aut internorum incendium mole sua ruunt, & tot difficultatibus non resistunt. Quod in Alexandri magni imperio facilè fuit cognoscere, quod non tam rara quadam felicitate & admirabili celeritate creuerat, quàm eo mortuo est repente dissipatum. Vt enim vno aliquo morbo correptum, & in lecto tandem decumbentem,non rarò & alii plures morbi infestare solent; sic & ad ruinam inclinatos amicos, pariter & inimicos videas impulisse. Plures enim inuidia, quã misericordia commouentur. Verùm hanc tantam occasionem rei benè in hostem gerendæ nos arripimus scilicet? Hoc Dej Opt. Max. erga nos beneficium, vt par est pensamus? Hoc memori mente colimus? Hoc Dei nostraq; contumelia vindicanda, ad arma excitamur? Quid si eo etiam in vtramq; aurem (quod aiunt) securius dormimus, & quasi hæc ad nos pertineant nihil, re & actionibus nostris apertè testamur? Quid ita obsecro? Causa sanè inuentu,quî sit difficilis, cùm hi cupiditate habendi,illi consuetudine inuidendi, nonnulli otio vel sine dignitate sectando, multi perpetuò odio & dissidio inter se alendo, vnus alterum impediat: & tandem,quotquot sunt omnes, seu ad fatalem interitum,vltrò decurrant. Nihil autem tam volucre est, quã occasio, nihil leuius,cùm se offert penditur, nihil magis,cùm abierit desideratur, nihil periculosius amittitur,nihil difficilius recuperatur. Quod num sic secusúe se habeat, præteritorũ temporum occasionum momenta, & quid eis amissis subsecutum sit mali, memoria repetamus. Quamùis enim aliena & præterita facta faciliùs sugillari, quàm mutari queant: illud tamen iis commemorandis euenit haud dubie

haud dubiè commodi, quod homines, ne in eadem incidant mala, faciliùs admonentur. Deuicta acie, & Baiazetto primo Turcorum Principe à Tamerlane capto, leues & temerarii Græci, omnem ipsius sobolem stirpitùs euellere potuissent. Quod tantùm quidem abest, vt fecissent; vt etiam paulò pòst Turcicis auxiliis, in viscera Græciæ asciscendis, gradum in Europa imperii Turcis fecerint, & suam amentiam serò deplorauerint. Carẽdo quippe, quàm fruẽdo, magis bona cognoscũtur. Quid? An & sub altero Baiazetto crudelissimũ bellũ, iisdẽ inter se Turcis aliquando non fuerat, cùm Zizimus Baiazettis frater, ad Alexandrum VI. Pont. Max. Constantinopoli Romam fugisset, & Christianorum auxilia, contra fratrem implorasset? Cui non tantùm nulla auxilia præbita, sed adeò etiam veneno vita à nostris est erepta, & intereà temporis, cruentissimis illis bellis, inter Christianos ipsos, potiùs est indultum. Multi enim à communi omnium hoste excœcari non renuunt; modò interim priori, aut proximiori hosti, oculus eruatur. Age, an & Selimus Baiazetus istius filius, vitæ paternæ insidias non struxerat? Quem antequàm veneno sustulisset, non patrem, sed ácerrimum habuit hostem; quorum vtrique, & eorum gubernaculis, à Christianis si voluissent, maximopere incommodari poterat, & debebat. Duobus enim canibus in se irruentibus, bolus facilè eripitur. His tamen omnibus minimè obstantibus, Selimus quietè potitus est imperio: & non tàm citò in patrium peruenit dominatum, quàm Syros, Arabes, Garamannos, nescio, si non vna æstate subiugauit. Quo ipso, tanta & tàm exaggerata potentia auctus fuerat; vt vel remotioribus omnibus esset formidini, qui eum, successoresque suos, multò adhuc potentiores, & formidabiliores futuros, non satis secum expendebant. Quanto enim Tyrannicis imperiis sensim, sine sensu nostro, maior fit accessio; tanto tandem omnes grauiùs periculũ manet, manebitque seruitutis. Superuenit ergò terror ille gentium, & in figura hominis tetra quædam bellua, & regnorum procella, Solymanus. Cui etiam ipsi, quod cum Mustapha filio, quod cum Persa, quod cum aliis ageret, non defuerat: & cuius adeò filii, ad Anazum secum pugnârant. Sed nec tum quoque, barbaris inter se confligentibus, Christianis, fuit aliquid in eos animi, aut verò in ictis contra eos fœderib⁹, vel tantillũ firmitatis. Scimus, quomodo inter Paulum III. Pon. Max. & inter Carolum V Cæsarem, inter Venetos, pacta conuenta, reciderint: quid tot coadunatæ classes, quid legiones, quid exercitus effecerint: quibus denique & quantis regnis, & prouinciis Turcæ nos spoliauerint. Iam & Selimus Solyman

lyman

lymanni filius, nauali prælio, ad Naupactũ victus, & grauissimè debilitatus; an paulò pòst animum & vires suas non recollegit? & quod Veneto legato, Bizantii dixerat; id re ipsa præstitit, quòd classis, quam amiserat, barbæ instar ei rursus creuit: at interim regnum Cyprium, non secus ac dextram quandam manum semel amputatam, Christianus orbis non recuperauit. Sub Turcicum namq; iugum, vt quondam dixit poëta, patent vestigia intrò, nulla retrò: & faciliùs præcipitem sub illud est deiici, quàm indè aliquando liberari. Quo magis, quæ nunc Turcicæ debilitandæ, imò & euertendæ potentiæ, diuinitùs oblata sit occasio, nobiscum ipsi recognoscamus: & à sedibus nostris quàm longissimè, ad ipsius remouendum nos comparemus dominatum. Amurates iste, quàm Amuratibus illis omnibus dissimilis sit, quantis morbis laboret, quãta auaritia æstuet, quanta luxuria diffluat, quantas copias in Perside obterat, quàm inuitus bellum gerat, quantum suis omnibus diffidat, quàm subitò cuncta inuertat,& mutet, quod quidã dixit,quadrata rotũdis,quantas in Asia, Africa, & Europa seditiones, in se experiatur, quis ignorat? Nemo tamẽ,proh dolor, arma christianorũ in eum capit: nemo afflictos socios adiuuat: nemo captos, & ipsius seruituti mancipatos, cùm posset, eliberat: nemo tàm præsentis quàm futuræ suæ, suorumque conditionis, recordatur; & accidit haud dubiè iis, quod in pecuniarum vsu & possessione euenit quã plurimis. Etenim si pecunias, quas semel parauerint, incolumes conseruauerint; agunt Deo Opt. Max. gratias, & habent sempiternas: sin secus; nec illius etiam beneficii, quod referre debuissent, volunt omninò meminisse. Posterioribus enim euentis, vt plerunque fit, ante actæ res vulgò ponderantur. Quod quantumùis sit iniquissimum; tamen pars sæpenumerò vincit maior minorem etiam meliorem. cùm si Deo placent, vel etiam tales Polytici reperiantur, qui sicuti naui in tempestate, sic Reipub. in aliqua difficultate, constitutæ, aut saltem à potentiorum insidiis suspitione non vacuæ, minuendis eorum viribus; & Turcam, qui semper ijs esset, freno in Perside potentia augeri, impunè iudicant relinquendum. Verùm hanc tantam sapientiam, mei pectoris non capiunt angustiæ: nec qua ratione, hoc consilio sibi aliisque commodare illi possent, facilè ego animaduerto. Quin adeò vnum illud videre mihi videor, si hanc præsentem rei benè contra Turcam gerendæ amiserint occasionem, & si summorum quorumq; christianorum Regum sartam tectamque non conseruauerint potiùs potentiam; vel talium molitionum autores, hostili prædæ

priùs

prædæ, priùs futuros, aut ſaltem lachrymantibus aliis, non riſuros. Quidam enim, qui foueam aliis ponunt, nec opinantes in eam incidunt. & quod antè præ liuore, & æmulatione non diſpexerant, libertate priuati patriæ, tandem ſecum ipſi quid fecerint, tacitò recognoſcunt. Mala enim conſilia, trepidatio & pœnitudo comitantur. Sic enimuerò ſentiunt Raſcij, quantum expediuiſſet eorum rebus, Græciam incolumem conſeruaſſe: ſic Hungari, quantum à Raſcia, & Bulgaria hoſtes propulſaſſe: ſic vtinã & Poloni non ſentiant, quantum expedierit Hungariæ reliquias imminenti interitu prohibuiſſe. Pericula certè non, niſi tum, cùm magis vicina ſunt, & cùm quaſi iam euitari non poſſunt, pateſiunt. At non felix eſt is, qui vel etiam poſt ipſum factum, felicior, qui in facto, feliciſsimus qui ante factum, ſibi, ſuiſque conſulit; & antequàm madefiat, induitur penula, & ante amiſſum equum, occludit ſtabula, vt eò ſuæ minùs coarguatur tarditatis. Nihil enim eſt inſipientiùs, quàm id tandem cum periculo facere, quod citra omne acceptum damnũ poteras antè feciſſe. Quare, ſi alicuius Principis ſuſpecta debet nobis eſſe potentia, huius Turcici Tyranni ſit ſuſpectiſsima: ſi grauem alicubi futuram ſeruitutem, tum in Turcia grauiſsimam: ſi denique alicuius alterius obſtandum eſt conatibus; tum certè hoc Turcicũ monſtrum, ex tot orbis terræ ſpolijs, in immenſum auctum, ignauia noſtra firmatum, diſſenſione audax & elatum, quòad eius fieri celeriùs poterit, rurſus eſt opprimendum. Seruiuit olim terrarum orbis Aſſyrijs, ſeruiuit Græcis, ſeruiuit & Romanis. At partim Aſſyriorum æquitas, partim Græcorum diſciplina, partim Romanorum ſolabatur gentes humanitas, quibus ſeruire nonnulli, quàm imperare alijs maluerunt. Turcis verò, (quod animus ominari horret) noſtris exiſtentibus tyrannis, quæ non dicam decora priſtinæ dignitatis, ſed extrema velut lineamenta ſupererunt libertatis? Odio ipſis eſt IESVS, odioſiſsimum nomen Chriſtianum. Nihil ingenuum, nihil liberale, nihil moderatum iis eſt: animus æger, manus rapaces, oculi furentes, frons fallax, plena denique libidinis, luxuriæ, & crudelitatis, furoris, & barbariei apud eos omnia ſunt deteſtandę. Nemo ſuarum rerum dici poteſt in Turcia dominus: vnius tyranni cuncta patent libidini: liberi ab amplexu matrum, matres à liberis & maritis, mariti à coniugibus, omnes ab omnibus vel chariſsimis pignoribus abripiuntur, & diuina, prophanaque omnia ſimul miſcentur. Poſtremò, quis non videat, vt tot tantaſque gentes & nationes alias taceam, vel ex vna illa nobiliſsima, ac longè lateque potentiſsima Slauonica gente, ſub quam etiam Polonicam

cõprehendo, quanta Turcico imperio quotãnis fiat accefsio, Chriſtianorũ pueris, impuro Mahometo cõſecrandis; cùm adeò ſub hoc tàm religioſo cum Turcis Polonorũ fœdere, tota Sarmatia, captiui à Tartaris facti, quod alioquin aliis cõfœderatis nõ fit, Cõſtantinopoli publicè venũdẽtur? qui poſtea adulti, arma in ſuos, vel inuiti ferũt, & ea ingenita fortitudine, quę patrię vſui eſſe poterat, & debebat, in eius perniciẽ & euerſionẽ, abutũtur. Vt enim robora ramis eorundẽ roborũ abſciſsis, diffiduntur: ſic & Turcæ noſtratibus vtũtur, nobis maximè euertẽdis. Hi, quoniã apertè loqui non licet, taciti, nos per Chriſti ſeruatoris nomen, per veſtra chariſsima pignora, per ſalutem ciuium, per præſidia, & ornamenta omnium orant & obteſtantur; vt ab hac tàm immani ſeruitute Turcica, in priſtinum ſtatũ eos reponatis. Hæccinè eſt, inquiunt, quæ nobis, maioribusque noſtris à vobis referri debuiſſet, gratia? Hæccinè proximi charitas, & miſericordia? vt cùm nobis, maioribusque noſtris, tam diu, tamque fortiter pro vobis excubare, cùm laterum ſuorum oppoſitu vos tueri, cùm denique ſanguinem pro vobis profundere, difficile non fuerit; vos quidem viciſsim noſtrorum ergâ Remp. meritorum, tàm cito obliuiſcamini? & nunc barbarorum armis nos premi, nunc diuturnam ſeruitutem pati impunè permittatis? ecquid tandẽ nobis non licuerit, quod creditores ſuis debitoribus faciunt, vos officii veſtri liberiùs admonere? Quo eodem modo nos quoque maiorũ noſtrorũ modeſtè erga vos percẽſemus merita, oſtendimus patriæ noſtræ vobis vulnera, enumeramus calamitates, explicamus acceptas clades, & dolores denique noſtros, quos quotidie maiores ſubimus, voce, & literis apud vos teſtificamur; vt tandem aliquando conditionis noſtræ miſerti, in communionem temporum aliquid conferatis. Sed ſi hoc etiam ipſo profecerimus nihil, erumpet tandem ex nobis libera vox illa, aut querimonia, quòd non omnium optima nobiſcum agitis fide, & in dictis factiſque conſtantia: quòd duri, & inexorabiles eſtis: quòd priuata commoda ſaluti publicæ, voluptatem dignitati anteferτis: & quòd toties noſtra de vobis ſpe falli, & fraudari nos patimini; quos ex præſcripto Chriſtianæ legis, tum ob vincula plurima ſocietatis, tum ob metuendam flammam incenſæ vicinitatis, tanquàm ipſos hos debeatis cuſtodire. Atque adeò etiã iuſto quodam dolore, mœſtitiaque incenſi, progrediemur adhuc vlterius, & eandem illam viciſsitudinem cladium, & calamitatum inuiti, & gementes licèt vobis imprecabimur vniuerſis: denique cùm nos renuitis habere ſocios, habituri tandem eſtis Turcicæ profectionis duces,

duces, & veſtrorum domiciliorum euerſores. Hæc haud dubiè Slauones, quos commemoraui, illi; hæc Hungari, hæc alii, ſi liceret, apud vos loquerentur. Vos interim, quem in eorum calamitate animum ſuſcipere & gerere debeatis, vobiſcum ipſi penditote. Iam quidem eò deuenit & progreſſa eſt res, vt ſi non Slauonicæ gẽtis gratia, quæ tàm longè ſemper patuit, & cuius linguam Carolus IIII. Cæſar, omnes Cæſares noſſe voluit, ſi non Hungaricæ gentis cauſa, quæ ſe, atque alios, contra Turcas tàm diu defendit; ſaltem veſtræ omniumq; chriſtianorum ſalutis ergô, ab iſto, (vt ita dicam) lethargo expergiſcimini. Quæ & quanta ex Hungaris, quæ ex Slauonibus, quæ ex Polonis, non iam armentorum, ſed hominũ prædæ à barbaris agantur, & in ſeruitutem Turcicam abducantur, perſpicuum eſt. Cui malo, an aliquando occurſum ſit feriò, & an tandem nimis occurri poſsit ſerò, res ipſa loquitur. Omne incendium, quò in denſo tecto fuerit lentiùs, eò & grauiùs futurum eſt iudicandum. Ac vt alia regna & Prouincias miſſas interim faciamus, vel vna illa Polonia, & Hungaria eſt teſtis, quanta non iam aliarum rerum, ſed hominum multitudo, ex ea in Turciam abigatur, & paſſim per ludibrium venundetur; & tamen, quoties de ineundo contra Turcam fœdere cum Polonia eſt actum, ſuas ſemper rationes adduxit, quibus ab aperto cum eo bello gerendo ſemper eſt refragata; quaſi eius emiſſarii Tartari anniuerſariis cladibus Sarmatiam afficiendo, bello illo gererent apertiùs, & in Turcico fœdere, ad certam & ſtabilem pacem eſſet aliquid firmitatis, per quod fœdus potiùs Turcæ paratur ad victoriam via, & præoccupantur priùs quæque obuia, quàm triumphum, quem toto animo de omnibus chriſtianis Turca concupiſcit, aliquo modo morarentur. Quid regnorum olim decus, opulentiæ mater, aureum bonitate ſolum, cãpus militaris gloriæ Hungaria? An non ſic conuulſa, deſolata, & peruaſtata eſt, nihil vt miſerabiliùs eius vaſtitate videatur? In huius ſæpimentis, & reliquijs, quantum Germaniæ poſitum ſit, ipſa non videt, nec Viennẽ. vnius & alterius oppugnationis memoria perhorreſcit: nec denique & Polonia, quanta mala, ſublata Hungaria, metuere debeat, perſentiſcit. Cæſar quidem ſuo, maiorumq; ſuorum more, quæ maxima ea iuuanda poteſt, & libenter præſtat, & in primis ſtudioſè omnia vectigalia, quæ ex his laceris Hungariæ reliquiis percipit, propemodũ æquã, & quæ Matthiæ Regis cenſus, qui integrã poſsidebat Vngariam, in ſalute ipſius locat, & de ſuo adhuc addit liberaliter quàmplurima, ac vltra centum milliaria, diuerſis locis militem in ea alit præſidiarium, & nihil eorum, in ſe de-

 ſiderari

ſiderari patitur, quæ ad Hungariã ſpectant extrema ruina prohibẽdã. Sed quid tamen & præſtare per ſe ipſe Cęſar poſſe, & quid collapſa Hungaria, Germania metuere debere videatur; colluſtret pro ſe quisque animo; & tum facilè præteritarum & futurarum rerum momenta ſecum ipſe recognoſcet. Atq; haud dubiè intelliget, hoc, ceu quodam propugnaculo totius Chriſtianitatis ſublato, ſi alia item regna, & Prouinciæ, quæ in ſtationem contra Turcam ſuccedent, peræquè ac Hungaria futuræ ſunt diuturnæ. Ducentis ab hinc annis Turcicum furorem, ceruicibus ſuis, à reliquo Chriſtiano orbe intercluſum, Hungari tenuerunt: & adhuc ſub Sigiſmundo ſuo rege, neſcio feliciorine marito, an Imperatore, ad Nicopolim vnum, & ad Columbarium alterum prælium contra Turcas, amiſerunt. Interim verò, veluti in perpetua quadam pro aliis gentibus, nationibusque, excubant vigilia, nec tot aduerſis caſibus, ſuorumque funeribus, ab inſtituto retardantur. Multa quippe, & magna, habent, quæ eos non obſcurè iuuant, & quibus præ aliis maximopere commendantur. Hungarus miles paruò conſtat, & plus aliis valet mercenarius: nihil nugarum in comitatu habet: exiguo victu contentus eſt: cito eum parat: caſtrenſem diſciplinam ſeruat: præfectis ſuis morem non inuitus gerit: perpetuò ſe exercet, ac equis bonis & exercitatis ſemper lætatur: Turcis denique fugandis, & ſuis vicinorumque ſedibus tutandis, videtur quodammodo diuinitùs eſſe deſtinatus. Sic vt nec Baiazetes Turca, duobus illis, quæ commemoraui locis, Hungaris cædendis; neque Amurathes, ad Varnam Vladiſlao, & Solymanus ad Mochaczum Ludouico Hungarorum regibus occidendis, potuerint Hungaros deleuiſſe. Habet quippe Deiparã virginẽ patronã Hungaria, & tot ſanctiſsimos reges ac in his S. Stephanũ & Emericũ, pietate olim religioneq; ſingulares. Demum omni ferè ex parte plana eſt, nec vſquàm ab aliis regionibus, colles eam dirimunt, quàm vbi Poloniæ, & Tranſyluaniæ eſt contermina. Antea quidem olim vno illo Danubio, & Tybiſco tutiſsima fuerat. Slauonia verò, quæ quondam Pannonici regni pars, & ornamentum extitit, Drauo & Sauo, omni hoſtili impreſsione erat immunis. Verùm Bellogrado ſiue Nãdor Alba, à Solimano capta, paulò verò pòſt amiſſo Syrmio, cuncta Hungariæ flumina, hoſtium claſſe enauigata, & ipſi omnes ſinus atque portus in Turcarum ſunt redacti poteſtatem: qui vna ad Tybiſcum, altera ad Drauum arcibus communitis, quaſi quosdam Hungariæ compedes iniecerunt: barbari enim Turcæ, ſed minimè ſunt barbara intelligentia rerũ, prȩſertim bellicarũ. Sic vt vltra Danubiũ non

non procul à Buda, per deferta præterfluentem, inter Sauum & Drauum in intima Slauoniȩ progreſsi, in veſtibulo verſentur Styriæ, atque Carinthiæ:& pontibus conſtructis,exercitibusque tranſmiſsis, in partem quam collibuit Hungariæ, poſsint impunè excurrere paſsim prædatum, atque populatum. Nihil quippè formidabiliùs eſt, exercitu conſpecto ſemel iterumque victore. In his tamē tot, tantisque malis & Hungariæ cladibus, quas partim barbarorum accerſitæ copiæ, partim Turcarum excurſiones, auxerunt quotidianæ, quanquàm vis, vi maiore victa, & paucitas, à multitudine & ciuium diſſenſio ab hoſtium conſpiratione ſit oppreſſa; reſtant tamen adhuc, ſi vno in loco eſſent,aliquæ Hungariæ reliquiæ, & magna ipſorum Hungarorum ſpectatur vbique fortitudo; ſic vt parua nonnunquàm eorum manu, maximæ hoſtium copiæ profligentur. Non enim numerus, ſed militum virtus præſtat triumphos. Ac memorabile vel in primis eſt, quòd Imbraimus gratioſus, Solymani purpuratus, Ioannis Sepuſii, regis Hungarorum legatis, aliquando aperuerat, cùm inter ſe inſtructæ & ad dimicandum paratæ, ad Mochaczum vtrinque acies conſtitiſſent, dixiſſe ad eum Solimanū: Vtinā, inquit, iuueni huic Regi,pacē hodie à me petere, in mentē veniret; non difficilè id, quod cuperet, à me impetraret: nā vicerimus etiā licèt, hæc Hungarica natio nō quieſcet. Et rectè id dixerat & ſenſerat quidem: Regi enim ipſi, vt ſeptimo mēſe naſci, ſic& immaturè mori fatale fuit. Solymanus, ſi quid aliquando contra Hungaros memorabile efficere voluit, in mediam Hungariam ipſe deſcendere neceſſe habuit: & demum etiam ad Sigettum tali, tamque difficili expeditione, ne dicam deſperatione fractus, vitam cum morte commutauit. Hos igitur Hungaros, ad extremū interire pati, ſimul & amentiæ,& impietatis eſſet maximæ: & haud ſcio, ſi his, tanquàm muro aliquo, ſublatis, alii virtuti ipſorum reſponderent: nauclerum enim tempus procelloſum, & gentem atq; nationem aliquam continuum certamen, quantum valuerat, declarat.Quo etiā loco,nec illud quidē prætèribo,quod Lazarus Suēdius, vt mihi amiciſsimus, ſic & inter Germanos belli dux prudentiſsimus, multis olim dixit audientibus: Hungaros præ cæteris, militum nomine videri ſibi digniores, qui tàm diu, tamque fortiter, reliquos Chriſtianos tuerentur. Qui idem quadraginta millia hominum, Germanici exercitus in vno eodemque loco, per quadrimeſtre ſubſiſtere non poſſe, ob immenſam commeatus vim,quæ ad eum alendum requireretur, confirmabat. Quod non idcircò commemoro, vt tantis de nationibus, quo nihil eſt magis lubricum,

ſumam

ſumam mihi iudicium. Verùm vt eius viri, cuius ſumma apud omnes extitit auctoritas, vel de longinquis ab eo Hungaris, de quibus nobis inſtitutus eſt ſermo, ſententiã habeatis. Quorũ tandẽ, quàm exiguus reſtat numerus, quanquàm iam planum omnibus eſt factũ; tamen nec à me prætereundum eſt, verbis faciundis. Ignoratio namque magni & præſentis vicini mali, ſeu quædam materia maioris eſt, & ſempiterni. Paruæ igitur, & Hungarorum militum, & Hungariæ munitionum, præ Turcica rabie, nobis ſuperſunt reliquiæ. Ac vt breuiter attingam aliquas. An Caniſia, Veſprimio, Papa, Palota, Comaro, Iaurino, & noua arce Archiepiſcopali capta, & quorum non admodum multa ſuperſunt millia, Hungaris ſublatis; an non liberrimum & apertiſsimum in Morauiam iter Turcicus habebit Imperator? Ad fines verò inferioris Hungariæ, oræque Caſſouieñ. tractum tuendum, vnica ferè eſt Agria: qua ſemel expugnata, vſque ad Carpatum montem, patebit barbaris aditus, & tàm in Poloniam, quàm & in Germaniam patefiet. Quarum rerum, & periculorum terrore, quis non excitetur? quis regna non coniungat aliis regnis, atque prouinciis? quis vicinorum diſcrimen & occaſum, ſuum eſſe non arbitretur? Memini ego Maximilianum Cæſarem, in poſtremis Ratiſponenſibus dicentem comitiis, cùm de quibuſdam Germaniæ regulis, tardiùs pro iiſdem comitiis aduentantibus, quæſtus eſſet. Exiſtimant, inquit, boni iſti Principes, rem eſſe nihili, cũ de Poloniæ agitur regno, aliis noſtris regnis adiungẽdo. Errãt, qui mea fortè cauſa, & nõ multò magis Reipu. gratia, me hac de re ſolicitum eſſe opinantur. Sed veniet proculdubiò tempus, & illuceſcet illa dies, qua me humanis perfuncto rebus, vtinam quidẽ ſaluis iis, ſalutaria conſilia ſecutum eſſe me deprehendent, & abſorptis à Turca, quæ leuiori militia, & maiori in victu moderatione aſſuefactæ ſunt, nationibus, quantum Germanis belli contra Turcam gerendi iucumbet onus, ſecum ipſi, ſed ſerò fortaſſe recognoſcent. Atque hæc ille tam præſtans, tantoque rerum vſu & intelligentia Cæſar, omnibus ſeculis memorandus. Cui idem adſtipulabatur Suendius, & nec Turcas metuere magis, quàm noſtros, iiſdem armis, quibus & illi, vtentes, neque noſtros fidentiùs in acie contra hoſtem verſari, quàm ſimilibus gladiis, haſtis, & equis inſtructos, & frugalitate fretos teſtabatur. Arma enim militem, & eſculenta poculentaque quàm languidum reddunt potiùs fortem. Videamus ergò, quantum in Hungaria tali, tamque præclaro Chriſtianæ Reipublicæ propugnaculo, & Vngaris ipſis tanta fortitudine, ac frugalitate præſtan-

præſtantibus, hactenus poſitum ſit, & fuerit, & demum etiam conſideremus. An dum in Perſide occupatus eſt, omnibus ſimul cum Hungaris, aggredi & infeſtare Turcam præſtet; an verò metu omni & difficultate ſolutum, per noſtra tecta, domiciliaque volitantem, rurſus intueri. Mihi quidem videtur, totum iſtud belli Turcici mali, perſimile eſſe in vaſta aliqua domo, incendio, quod inter denſa tecta ædificiorum latens, principiò quidem non appareat, poſtremò verò ſic erumpat, nulla vt ampliùs ratione, & à vicinis ei ſuccurratur. Nam hoc videlicet modo in orbem ducuntur omnia. Vngaria quid à Turca patiatur, Germania non curat: quid Valachia, Polonia non conſiderat: quid alia Chriſtiana regna & prouinciæ, Anglia Oceano circumfuſa ſecum ipſa non perponderat, & omnia maioribus difficultatibus, & periculis quotidiè inuoluuntur. Atq; ita demum chriſtiano regno, in Turcicam poteſtatem veniente vno, venit & alterum: exinanita prouincia illa, & aliæ, quæ vicinæ ſunt, vi, ferro, flamma, & perpetuo luctu confectæ, contabeſcunt. Omnis enim malorum contagio, contermina contagione, excitatur. Interim autē quàm turpe & ignominioſum eſt, Germaniam populo, ſplendore; Italiam, diuitiis Angliam, equitatu magno gloriari Poloniam; & omnes nihilominùs barbaris cædere in prædam, nobiſcum ipſi conſideremus. Enimuero hoc modo, Chriſtianos iuuabunt opes, quas tàm auarè colligunt: iuuabunt vrbes & munitiones, quas tàm ſumptuosè erigunt: iuuabunt tituli, quos tàm ambitiosè expetunt: iuuabunt populi, quos tot exactionibus premūt; qui adeò etiam in eorum necem, vel hac ipſa de cauſa conſpirabunt. Ac veniet tandem, quæ ei nunc tantopere fidelis eſt, in Turcicam poteſtatem Britannia, & inſidioſi fœderis laqueis ſeipſam (quod abſit) irretiet Polonia, & Germania denique ipſa, quæ vnius Cæſaris nō fert, grauē experietur multorū barbarorū dominatū. Hiſpaniis præ Africa lachrymantibus, nō ridebunt Galliæ, nec Gallijs lugentibus, Italia exultabit. Sciet Turca vti meliùs in nos tēpore: animoſior ſpectabitur, vel minima quaque occaſione: crudelior euadet, accepta hac in Perſide clade: cautior quàm antè efficietur, dimicandi nobiſcum occurrente neceſsitate. Amiſerit licèt magnos in Perſide exercitus, veteranis abſumptis poſſunt tyrones adoleſcere: amiſsis ducibus, quominùs ſucceſſu temporis, & alios habeat, non debet deſperare. Exhauſtum eſt ærarium: & in illud poteſt nouos pecuniarū aceruos rurſus inferre. At verò noſtra ſecùs ſe habent omnia. Quod ſemel perdimus, nunquàm acquirimus: quod adimi nobis patimur, non ampliùs recuperamus. Ami-

ſimus Græciam, &quis de ea liberanda cogitat? Amiſimus magna ex parte Hungariã, & de hac recuperanda, non nemo vicinorum penè deſperat; cùm interim ille contra nos ſpiritu & viribus perpetuò augetur, cupiditate habendi incenditur, commoditate & vicinitate prędandi inuitatur. Habet in Epyro Apolloniam, ex qua vna nocte Hydruntum poteſt appellere: habet Vngariam, ex qua in Auſtriã & Morauiã cupiet inuolare: habet Slauoniã, ex qua Carniolam, Styriã, & Carynthiã ſolet vaſtare: habet denique Choczimũ in Valachia, ex quo, vno illo ſuperato Tyro, Pokuczium, & alias Poloniæ prouincias, ſub hoc ſpecioſo fœderis nomine, audebit occupare. Quid igitur coniunctim omnes in eum non irruimus? Quid rei & tempori tàm opportuno indormimus? Quid Turcam in Perſide inclinatum, non vrgemus? Quid nos noſtroſque ſocios, perpetuo ab eo metu non liberamus? Præſtolamur credo illi, vt qua crudelitate, furore, & libidine eſt dominandi, facta in Perſide pace, ab omni re imparatos nos circumueniat, in nos impotenter irruat, in noſtro cinere & ſanguine perbacchetur. Abſit hoc à nobis omẽ, ſed abſit & ſocordia. Vitãdis enim euẽtis, & cauſæ euentuũ ſunt euitãdæ. Semper vel prophanis Imperatoribus ipſis, maximæ curæ fuerunt Pannoniæ, tanquàm medium quendam Europæ locum, & cor imperii occupãtes; chriſtianis verò ſint odio & deſpectui? quib[us] poſſeſsis, in Italiã, Germaniã, Poloniam; & ab altera parte in Illyricum, Thraciam, & Orientem, liberum erit Turcis, quando, & vt libuerit, proficiſci. Quid non iungimus dextras, non modò in pactis inter nos ſeruandis, ſed & in præliis cõficiendis cõtra barbaros, firmiores? Trepidationis mihi credite plena forẽt apud eos õia fide ſemel inita à nobis cõcordia; qui nunc diſtractos, & inter ſe diuiſos viles & abiectos ceu quadrupedes aliquos aſpernãtur. Ferũt quippe lupũ, qui vniformibus pilis veſtitus, canes cõtra ſe aduentantes, quòd diuerſis fuerãt, contẽpſiſſe. Turca verò nõ contemnat Chriſtiãnos Principes? non iam pilo, ſed animo & voluntate inter ſe diſgregatos? Quid ſibi volebat aliud Solymani illud dictũ, quòd Draconem vnius capitis & multarũ caudarũ ſe, Chriſtianũ verò Cæſarẽ multorũ capitũ, & vnius caudæ appellabat; quàm quòd nobis noſtræq; diſcordiæ, quæ nos aliquo ire & ingredi volentes impedirẽt, audacter inſultabat? Omnes profectò, quantũ viriũ & animi noſtra diſſenſione Turcæ accreuerit, ſcimus: ſed quomodo & quàm citò occurri ei queat, & num vel ipſa ſalus ſaluare nos in ea poſsit, nec ſcimus nec ſi ſciamus, auertere mala laboramus. Quo magis oro, obteſtorque vos Chriſtiani omnes, vt ſi ſerò, quàm nunquàm, ſapere

Solyman. dictum.

pere

pere eſt vtiliùs, ſi antea noluiſtis, iam vos tandem animis & viribus in hunc hoſtem coniungatis: & ſi poſſeſsionem illius terræ, quam Chriſtus Opt. Max. ſanguine ſuo reſperſit, pedibus inſtitit, miraculis beauit, morte conſecrauit, hoſti eripere non poſſumus; ſaltem adhuc ea loca, quæ ipſi⁹ diuino cultui ſunt deſtinata, interitu prohibeamus. Multa debemus multis: ſed mutis illis & amicis, in quibus nati ſumus ſedibus, diuinæque inprimis gloriæ, debemus vniuerſa. Eripere tu nos Chriſte Opt. Max. ex poteſtate dæmonũ, à morte & cruciatu æterno, ſanguine tuo voluiſti. Nos Martẽ communẽ, & incertum exitũ præliorum, pro te refugiamus, & quæ naturæ debetur, vitam tibi, patriæque reddere recuſemus? Quid tibi in extremo reſpõdebimus iudicio, ſi tantùm in profundendo Chriſtiano ſanguine occupati fuimus, in defendendo verò nihil prorſus laborauerimus? O amentiam, ô obliuionem noſtram beneficiorũ tuorum execrandam! Enimuerò ſic ſpinoſo illi capiti ſuo reſpondebunt membra, & ſic, pro anguſtis certare expediet terminis, & ampliſsimis regnis, regionibusq; à barbaris ſpoliari: ſic iactare libertatem & ruere cœcos in ſeruitutem. Sed finis ſit. Quidam enim volunt ea ſibi licêre, quæ nec dici quidem aiunt decêre. Vnum ergò illud tantummodò addidero, vt qui patriæ plus debetis, quoniã etiam ab ea plus accipitis, offenſiones omnes quotquot ſunt veſtras, detis Reip. detis ſaluti patriæ, detis incolumitati dignitatiq; veſtræ; & ſi Dei Opt. Max. benignitatis, qui has nobis rei benè contra hoſtes gerẽdæ occaſiones ſubminiſtrat, grati, ſi acceptorũ à ſocijs beneficiorum memores, ſi patriæ veſtræ amantes, ſi gloriæ ſummi Dei cupidi eſſe & videri vultis; hanc tantam opportunitatẽ temporis, minimè tandem negligatis; & in diuerſitate oris, vnam illam conſpirationem, in hunc hoſtem, cordis apud nos tueamini. Verè magni & generoſi eſt animi, quaſdam nõ tàm reminiſci, quàm contemnere potiùs iniurias, & dolorem illum mentis, diſſentientibus de religione opinionibus, inuſtum, hoc tẽpore diſsimulãter & moderatè pertuliſſe: cùm fugax & tenera ętas & exitus valetudinis ſint omnium incertiſsimi, nec quibuſuis rebus impendendi, & irreligioſis noſtris de religione altercationibus, vnã illam, & ſanctiſsimam religionem noſtram Spartaco prodere, & Iudæis ac Mahometanis nos ludificandos exhibere, quàm indignum ſit, ſemperque fuerit, quis ignorat? Deus Opt. Max. bonorum auctor omnium, & vnus ille dux, & ſignifer belli, facere multa poteſt; ſed nõ peræquè tamẽ ſemp̱ præſtare cũcta ſolet. Si dicto audiẽtes nos viderit, omni felicitate beabit. Sin ſecus, more parentũ, inobediẽtes filios exhæredabit:

bit: nec opinor parcet nobis ampliùs cũ vt misericors, sic & iustus ac seuerus esse volet, nec iure nõ debet.

TVRCICA II.

INTELLECTVM VOBIS OPINOR EST SATIS, quanta rei benè contra Turcas gerendæ oblata sit occasio, si, quàm vel antea habuerimus raras, memoria nobiscum repetamus. Iam verò, ne diuinum numen, conatibus nostris defuturum fortè existimemus, quòd nostræ, & Mahometanæ doctrinæ discrimen haberi debeat, humanitate vestra fretus, breuibus percensebo. Omnia enim bellorum subsidia sunt bona, sed diuinitùs profecta, optima. Mille ab hinc circiter annis, in ignobili quodam Arabiæ pago, Saracenorum dux & auctor, natus est Mahometes, qui magistro, & adstipulatore Sergio hæresiarcha, & profugo Monacho, cum Heraclii Imperatoris tumultuantium militum, seditionis occasione vti sciuisset, in eam apud vulgus hominum venerationem venit; vt longè latèque dogmate suo propagato, finitimos vi & armis persequi, & in iis sibi sumere non dubitauerit principatum. Multi enim non tàm religionis gratia, quàm regionis causa nouarũ sectarum efficiuntur auctores. Hic sui impii impuríque dogmatis, quæ per orbem terrarum passim disperserit, semina, tametsi nullius, vt hæc nesciat, sic peregrinantur aures; tamen neque ego id, quoniam obtulit se occasio, silentio præteribo; vt quos & quales habeamus hostes, quibus tot regnis cessimus, & quibus adhuc, quod absit, cessuri sumus, nobiscum ipsi recognoscamus, & hanc ciuilem, valde inciuilem discordiam, toto animo auersemur. Et quis non videt tàm fœda, & horribilis secta, quantopere diffecta? & nihilominùs proseminata sit Mahometis, qui non modò IESV Christi Opt. Max. doctrinæ, & sanctimoniæ repugnantia, sed & rationi, & sibiipsi adfert contraria, & cuncta tàm diuina quàm humana iura, & instituta spurcissimè insectatur. Nam vt de Calipha, & Mephti, vt summis, sic sibi contrariis, sacrorum apud Mahometanos præsidibus, & aliis, alio loco loquar. Quorsum quidem ipsius Mahometis illæ pertinent nugæ, quibus Angelos duos, Aroth & Maroth nominatos in terram missos, vt mortalibus administrarent ius, testificatur? Quibus cùm ea mandata accepissent, vt ne vinũ bibant, neué cũ mulieribus rem habeant, neq; ad superos iter ostendant; illi interim dicto non fuerunt audientes, & mulieris fraude

fraude circumuenti, ipſiusq; cõſuetudine vſi,& vino ſunt inebriati, & in cælum iter monſtrauerunt Mahometi. Quem vt aduentantem Deus conſpexiſſet ; & Angelos ſibi aſtantes, quiſnam tali habitu ingrederetur, interrogauit, & rurſus ab illis Aroth & Maroth errorem fuiſſe reſponſum accepit. Quo factum, vt mulierem in ſtellam Deus conuerterit, & Angelos concatenatos, in puteum miſerit æternis ignibus cruciandos. Quid verò de altero illo ſomnio veriùs, quàm prodigio appellando loquar? quod de quodam animali Ebarachiel nuncupato ſuis Mahometes prodidit literis. Quo quidem animali, Angelo Gabriele auctore, vna hora illatum ſe fuiſſe cælo, & pro Angelis oraſſe Mahometes profitetur. Et rurſum, altero cælo conſpecto,quod annorum quingentorum itinere conſtabat, vſque ad tertium, pari diſtantia cælum ſe perueniſſe. In quo demum Angelorum legiones innumerabiles, & cuiuſlibet Angeli magnitudinem, mundi inſtar vnius, & eorum aliquem adhuc millies grandiorem, & in his poſtremò vnum, cui ſepties centena millia erant capita, & in quolibet capite infinita ora, & in quolibet ore totidem linguas ſe vidiſſe affirmat. Sed interim vide quàm tua ſectatorumque tuorum ridicula iſta prorſus ſint Mahometes. Vna hora quingenta annorum millium iter confeciſſe te profiterè. At qui hoc fiat? quo modo? qua via compendiaria eueniat? quis talia dicenti fidẽ vnquàm adhibeat? quis ſanus dogmati tuo acquieſcat? An enim corpori id detur, nondum in æterna gloria conſtituto? ita opinor. Quo ergò iuiſti? vbi loci fuiſti? quod iter confeciſti? quem circuiſti ambitum? quas orbis peruagatus es partes atque regiones? Cælum quidem extremum nondum tibi patuit. Et quibuſnã aliis in locis, tanta terrarum ſpatia emenſus es? Pro Angelis oraſti, inquis. At quid tuis precibus habuerunt opꝰ Angeli? Iumentũ non tulit te, quis igitur tulit? Quid peccauit animal, tuis vt indigeret precibus? Spatia & longitudinem terræ,ſi quam aſſeris ſpectes, falſiſsima eſt. Geometræ omnes, ratio denique ipſa, & ſcriptorum monumenta tibi reclamant. Non Dymoſiodorus, non Eraphones, non Hypparchus, non Ptolomæus Alexandrinus Aſtronomorum principes tibi ſubſcribunt. Solus tibi, quod aiunt, ſapis : ſolus bene oles, vt tantò minùs poſsis omnibus. Cui enim omnia ſibi ſunt pulchra ; ea aliis pleriſque videntur fœdiora. Nam quòd & Angelos mundo maiores eſſe ais, an vel hoc ipſo ineptire te & Angelorũ partem extra mundum verſari nolis velis non fateare? Quo ipſo,Philoſophorum præcepta, qui mundi ambitu omnia contineri aſſerunt, veritatis oſtendis expertia. Mitto, quòd Angelos corporeos,

de flamma ignis creatos esse perituros, & mox sententiam secutus Origenis, eosdem censes esse saluandos. Postremò cælum de fumo factum, & lunam æquè ac solem splenduisse, antequàm volitantis Gabrielis Angeli ala tacta, fulgorem suum amisisset, & quæ non his similia alia producis in apertum. Hæcciné autem tanti prophetæ est lex? hæcciné, quæ rectæ rationi consona sit oportet, sanctio & institutio? hæcciné quæ paruulis instillatur, sapientia? Quæ adeò nō veritati, sed multò proximior est falsitati. Est namq; lex, ratio recta, à diuino numine tracta, & quæ vel tantillū nō repugnauerit lumini intellectus. Cuius cùm omnē vim & efficaciā non in rationando vel argumentando, sed in ferro enseúe stringendo tu impure reponas Mahometes, quî tuum dogma steterit, tot mendaciis, & fallaciis infarcitum? Fures, vt est in prouerbio, perfodiunt & ingrediuntur domos: latitat in tenebris mœchus: & vt denique iugulent homines, surgunt de nocte latrones. Quod idem quoque tu facere habuisti apud te constitutum. Metuebas, ne limanda in disputatione veritate, doctrinæ tuæ cognoscatur vanitas. Verbis de ea disputari prohibes, ne alterius quàm tuarum assertionum maior sit authoritas, verebere: vis tua tueri armis, non sententiis; ne quis argumentis tibi sit superior, pertimescebas; ferro, non iudicio litem iubes decerni. Ac breuiter impius, prophanus, ac sacrilegus es legislator. Christum Opt. Max. cum Ario negas esse Deum: Spiritum Sanctum dicis esse creaturam cum Nestorio & Macedonio: vxores plures, & in his concedis esse diuortia, ac præter vini vsum, nefarias quasque voluptates. Nonné hoc magis est quadrupedis, quàm magistri vel doctoris? & nunc in secta pro se quemque saluari sua, nunc extra tuam omnes vis condemnari: & quæ est ista leuitas & inconstantia tua? qui vt aliquid aliquādo etiā, haud ita omninò damnādū doceas, hæreticę te coarguis, semperq; coargues te prauitatis; quæ vt faciliùs venena propinet hominibus, dulcia iis intermiscet, & blandis verbis, tanquàm Græcæ illius meretricis poculis vulgus inebriat. Venena namque expertia zacchari, rarissimè propinantur. Iam verò tantum abest cælestia vt intelligas, vt ne terrena quidē quæ sequeris, assequare. Quæ Deo Opt. Max. curæ nō esse, nec vnquàm fuisse: & cū Democrito mundū casui & fortunæ subiectū ais semper extitisse. Quē tu ipse potiùs disciplinarū, & sapientiæ expertē facis, & omni barbaria coinquinas. Vbi nāq; sunt Arabes? vbi Ægyptii tui? vbi ōnes Asiatici, qui antiquissimis literarum monumentis aliquando præstiterunt? vbi Græci, qui tot & tantis sapientiæ studiis præ aliis claruerunt?

runt? vbi Chaldæi, qui aſtrorum cognitione viguerunt? Tua Mahometana lex & fex obruit omnia: Græcia in ipſa requiritur Græcia: non ampliùs Ægyptiaca, non monumenta reperies Chaldæa: quocunque tandem inuolârunt Mahometana dogmata, vel potiùs ſomnia? quorum fundamentum voluptas eſt fœda, enſis præſidium, furta & latrocinia incrementum, tyrannis ſtabilimentum. Sed erit, inquies, doctrinæ tuæ magnum adiumentum illud, quòd Chriſtiano relicto, Mahometani dogmatis noſtrorum aliqui fiunt diſcipuli, & auitæ religionis deſertores. Cædò, quos & quales, quantoſque eiuſmodi numeres. Sed demus etiam, magnos, & infinitos, aut certè mancipia libidinis, aut ſeruos ambitionis, aut ob enormia flagitia expertes inter Chriſtianos omnes depræhendes libertatis; uſu & intelligentia diuinarum & humanarum rerum nullos, animo abiectos, malefactorum conſcientia oppreſſos: ſiue verò media & deſperatione eneruatos, vt mirum non ſit illos proditoriè nos deſerere, qui viciſsim à nobis magno eorũ merito fuerunt ſemper deſerti & deſpecti. Quærit enim latebras is, qui lucem hominum, non ſecus ac noctua ſolis refugit radiorum. Quorum tamen intimos ſi quis introſpiceret penitius ſenſus; haud dubiè cognoſceret, aut futuræ vitæ ſpem habere eos nullam, aut intra ſe anxios, & ſolicitos admodum eſſe, quòd aquæ viuæ & perennis deſeruerint fontes, & Mahometis ciſternas ſecuti ſunt deteſtandas. Nullus quippe quàm animi & conſcientiæ internus, horribilior eſt cruciatus. At enim multò magis illud nos moueat, & religionem noſtram eſſe veriſsimam perſuaſum cunctis faciat, quòd in Mahometana ſeruitute, tanquàm in Chaldæorum illa quam alicubi legimus fornace Chriſtianorũ ſunt quamplurimi, qui nõ iã libertatẽ, ſed mutato tantũ ſolo, eandẽ expetunt ſeruitutẽ, tributa Turcis antiquitus grauia pendũt, ferunt onera, ſubeũt verbera, accipiunt vulnera, & nec ipſam quidẽ ſuam calamitatẽ tutò deplorare poſſe videntur, ne ſi ſciatur, patiantur grauiora. Qui tamẽ his nõ fracti malis, & periculis omnibus, nomina ſua Chriſto Opt. Max. dant quotidie, religionẽ auitam colunt conſtantiſsime, non ſe, non liberos mancipant ſuos Mahometo, imò vel capitis ipſius nonnunquam periculo, ſuum contra ipſius dogma tuentur & defendunt. Quid ita? Quia diuinæ doctrinæ veritas, & æternæ ſalutis ſecuritas, multos, quàm præſentis felicitatis facit ſtudioſiores: & quia illa tàm impura Mahometis lege nihil eſt abſurdiùs, nihil deteſtabiliùs, nihil iure vouendum, & conſecrandum igni & cruciatui magis eſt ſempiterno. Omnia enim, quæ hîc delectant, exiguo perdurant tempore.

At æterna ſunt & erunt quibus ea expiantur. Quid, quod & in locis quibuſdam Chriſtianis, maximè verò in Iudæa, in villa Maronitarum Betaël, tribus noſtris à Damaſco milliaribus, circumciſum neminem ſine periculo mortis ferunt poſſe triduo pernoctare: Nonnullos interim huius quàm alterius mortis metus permouet vehementiùs, ad omnia illa loca, quæ ſuſpecta ſunt, declinanda. Quo magis euidens, & vera Chriſtiana eſt religio, ex vtero Moſaicę legis tracta, vatum oraculis illuſtrata, doctrinæ conſenſione aucta, ſanguine martyrum ſacrata, infinitis miraculis confirmata. Cuius Deus ipſe Opt: Max: eſt auctor, filius Dei magiſter & Doctor, Spiritus Sanctus propagator. Qua ſi libet, cum Mahometiſmo conferenda, vlterius progrediamur. Nullus enim diſcordiæ fons eſt maior & capitalior, quàm non idem ab vno & altero attributus honos Chriſti Opt: Max: diuinitati. Mahometanus ergò Chriſtum inficiatur Dei eſſe filium, aſſerit Chriſtianus. Ille quidem propterea negat, quòd Deus vxores, ex quibus ſuſcipiat liberos, non ſortiatur; quibus exiſtentibus pluribus, regna, quæ niſi vnum capiunt, interirent. Hìc ego te Mahometane quæſiero, num & chriſtiani ex connubio Deum generare teſtificentur? Hoc profectò auditum eſt nunquàm. Quid igitur garris? Quid chriſtianos calumniaris? quaſi verò nō ſit perſpicuū, orthodoxorū hāc eſſe, fuiſſeq; ſemꝑ Deo ſententiam, eum eſſe Spiritum, incorporeum, immortalem, æternū, & incomprehenſibilē. Qui dum ſeipſum intelligit, in mēte ſua verbum, quòd verbum Dei dicitur, concipit. Quæ nimirum ipſa de verbo Dei infallibilis veritas non modò illuxit tantùm apud chriſtianos, ſed adeò etiam olim Philoſophorum lycęa peruaſit, & Platonicorum ſcholas nobilitauit. Sed ſicuti noctuæ oculus ad lumen ſolis, ſic noſter intellectus eſt ad diuinitatem, quod nemini mirum videri debet. Nam & apud Iureconſultos, non omnium eorum, quæ à maioribus inſtituta ſapienter ſunt, reddi poteſt ratio, aut haberi de iis oratio; & tamen nulli vnquàm rei, quàm antiquæ legi maiorem autoritatem eſſe tribuendam placuit Ariſtoteli. Nihil enim in contemptum adducit magis leges, quàm ſi feras multas, & nullas vel paucißimas exęquare. Iam & quo pacto generationem filii & ſpiritum ſanctum ab vtroque procedentem rudis & prophanus, & libidinum cœno immerſus intellexiſſet Mahometes, cùm hæc non modò doctioribus, ſed & ſanctioribus eò magis viſa ſunt difficilia, quò plus aliquando de iis cogitabant. Quæ & ipſa auctoritate ſcripturæ ſacræ nos tueri, an non multò æquiùs uidetur, quàm quòd ſuas nugas igne & gladio defendi iubet Mahometes?

hometes. Etenim & Pythagorici à cognitione veri Dei remoti non Deo,sed homini vni tantũ tribuere erãt soliti, vel sola respõsione illa, Ipse dixit, restarẽt cõtenti. Quòd si quis Euangelio nõ credit,nec Moysi quidẽ fidẽ est habiturus; quẽ tamẽ Mahometana lex nõ auersatur. Quid? an nõ credunt suis Historicis Græci? nõ credunt Latini? nõ credũt barbari? & nos summis Iesu Christi cãcellariis, vita innocentibus,miraculis claris, vnũ & idẽ spirantibus nõ acquiescamus? qui alioquin Historici, quàm dispares inter se sint,sempq; fuerint, facilè est cognoscere. Historici nulli⁹ ferè auctoritate recepti sunt; cùm quidã ipsorũ nõ tàm ad veritatẽ historię, quàm ad imitationis exemplũ multa literis prodidissẽt. Euangelistarũ libros tot ac tãta diuersis locis & tẽporibus approbarũt Concilia, & cunctæ orbis terrę gẽtes atq; nationes priùs examinârũt,quàm sanctione & auctoritate sua cõfirmassẽt. Quo etiã ipso factũ esse puto,vt ex his nõnulla suppressa, & à multorũ cognitione cõstet esse subtracta. Pręstat enim subdubitare de ambiguis,quàm disceptare de arcanis. Quibus demũ tot martyrũ accessit robur & numerus,qui per acerbissimos cruciatus sui testamentũ sanguine respersẽrũt & cõfirmârũt seruatoris. Accesserũt his probatissimę vitę,& perspectissimę doctores prudẽtiæ,qui nisi doctrinę Euangelicę verã cõperissent historiã; in Euangelici magistri verba iurare nũquàm omninò voluissent. Accessit deniq; tot Imperatorũ, regũ & Principũ auctoritas,qui rationibus victi, cõscientia puncti, miraculis tracti, collũ Euangelio submiserũt. Accesserũt populi numero infiniti, linguis inter se varii, locis & tẽporibus disiuncti, rerũ gestarũ gloria clari, opibus & diuitiis abundantes; qui gentiũ abiecta molliori, Christianã religionẽ longè duriorẽ amplexi sunt, & vnũ illũ verũ & æternũ Deũ,tot tantisq; aliis prætulerunt, ex suisq; fanis delubra eorum eiecerunt. Age verò quantũ & illud Euangelicæ veritatis argumentũ fuerit, quòd tot ante sæcula tàm certa, & euidantia de Christo vatũ extitêre oracula; vt non tàm quidẽ gerenda, quàm gesta enunciauisse de eo, & ab eo videantur. Qui posteaquã regali sanguine, purissimaq; natus esset ex virgine, quod nõ dedit exemplũ, quod nõ adũbratũ, sed expressũ nõ reliquit vestigiũ sanctimoniæ, mansuetudinis, doctrinæ & potentiæ suæ singularis? Duodenis cũ doctoribus eruditissimis disputauit puer: Vocatus ad nuptias,aquã in vinũ cõuertit: Quinq; panibus quinq; hominũ millia satiauit: Quocunq; ibat, vnico verbo õnes vndequaq; collectos ægros, pristinę sanitati restituit: mutis deniq; loquẽdi,claudis ambulãdi,cœcis vidẽdi, surdis audiendi pręstitit facultatẽ. Quo ipso quoq; nõ cõtentus, nõ so-

D lum

lũ imbecillibus vires ſed & vitã reſtituit mortuis, etiã quadriduanis, ſecreta & cogitationes hominum intellexit, futura prænuntiauit, dęmonia eiecit, ſuper aquis pedibus ſiccis iuit, mari & ventis imperauit; poſtremò videns & volens in Iudæorũ poteſtatem redactus, & pro tot tantiſq; in eos collatis beneficiis, crudeliſsimè ab iis eſt interfect⁹: & cùm adeò ſepultus fuiſſet, pro eo ac facturũ ſe receperat, intra triduũ reuixit, & demùm tractandũ & palpandũ ſuũ corpus diſcipulis exhibuit: ac quadraginta diebus pòſt inſpectantibus illis, in cælum commigrauit, viuorum & mortuorum iudex tandem aliquando aduenturus. De cuius doctrina pia, vita ſancta, & maximis quibusque miraculis clara, nulla vnquàm ætas, nullæ linguæ, nullæ literæ conticeſcent. Quid enim aliud docuit, quàm vt colamus Deum Opt: Max: feſtos dies celebremus, proximos vt noſipſos diligamus, pauperum miſereamur, viduis & pupillis patrocinemur, infirmos, & carceri mancipatos inuiſamus, humemus mortuos, hoſpitio excipiamus alienigenas & longinquos, ſtupra & adulteria fugiamus, iurgia, lites, ebrietatem, crapulam auerſemur; poſtremò Reges, Principes & parentes vt honoremus, magiſtratibus & ſacerdotibus dicto audientes ſimus, & denique theſauros, & perfectam felicitatem, non in terra, ſed in cælo conſectemur. Hæc eſt illa Chriſti ſeruatoris lex, hæc ſanctio, & præceptio ſalutaris. Atque vt ſimul tandem coniungamus vniuerſa, Chriſtus Opt: Max: Dei & virginis eſt filius, ex Spiritu ſancto conceptus, vitam agit ſe, doctrinaque ſua digniſsimam: miracula edit varia, atque illuſtria: naturæ ipſi imperat, leges perfectiſsimas fert, & tot iis Reges, atque Cęſares, tot gentes & nationes ad ſe conuertit, Deum & hominem ſe eſt profeſſus, vtrique rei ſatisfecit. Prophetæ, Euangeliſtæ, Martyres, & omnes omnium ætatum ſuffragantur ei doctores: Florent ſub religione eius literæ, vigent diſciplinæ, vrbes & prouinciæ Chriſtianę ſunt moratæ, iuſtè imperatur, & moderatè ſeruatur fides & æquitas, nõ exulat humanitas, ratio poſtremò, nõn furor, lex, non libido dominatur. Quæ ſimul iuncta, quid ſibi volunt aliud, quàm quòd verum ſit ſemperque fuerit Chriſti de ſe teſtimonium, verũ eſſe Deum ipſum, veras illius promiſsiones, doctrinam & religionem veram, & ad omnem æternitatem duraturam? Mahometis contrà quæ & qualis ſit, & quibus artibus creuerit, quæ denique deliramenta ſparſerit, quis non perſpiciat? Gente fuit Agarenus, patriã Arabs, ortu ignobilis, mala & peruerſa natura, nulla excultus doctrina. Dogma ſuum ex Paganiſmo, Iudaiſmo, & Chriſtianiſmo conflauit, hæreticorum quorundam opinionibus ful-

fulciuit, ſimulandi, & diſsimulandi artificio erudiuit, de vita æterna nihil prorſus ſenſit, nihil in codicibus ſuis teſtatum fecit: nullum in morte, & quöad vixit, miraculum edidit: nulla denique alia re, quàm quòd corpus ipſius, Magnetis vi in aëre pendet, varium & mutabile vulgus magis infatuauit. Interim verò, quàm & ipſe turpiſsimè vixerit, & alios turpia docuerit, & ſibi neſcio quid ſomniauerit, omnes intelligunt. quot enim lactis, & mellis viniq́ue futura flumina, in cælo ſibi non ſomniat? quos non promittit cibos? quos non permittit coitus? quæ Angelorum obſequia vel in turpiſsimis rebus ſuis non pollicetur? O hominis fœditatem, vel quadrupedis potiùs, cui non dicam cum ſanctitate, ſed vel cum ratione ipſa nihil eſt commune. Et erit, qui in voluptatũ cœno, tanquam in quodam lutulentus ſus ſterquilinio, cupiat dies, noctesq́; volutari? & an nõ multò ſunt plura & iucũdiora, quibus homines recreantur? nam vel vna illa gloriæ, & immortalitatis cupiditas, homini ratione prædito; quàm hæc ipſa libido, & voluptas corporis fœda, longè eſt amabilior, & magis vergit ad perpetuitatẽ, ſi perpetuum dici vel haberi debet id, in quo aliquod eſt extremum. Etenim ſi labore, & induſtria aliquid confeceris, abit tandem labor, & reſtat decor; ſed ſi voluptates tanquàm Syrenum voces, blandiſsimas ſequare dominas, anguſtiſsimis hæc circumſcribuntur terminis, vna verò illa turpiter actæ vitæ pœna, & infamia remanet ſempiterna. Et quidem quantò voluptas fuerit vehementior, tantò lumen animi magis extinguit, & intemperans adoleſcentia effœtum corpus relinquit ſenectuti. Vtrobique enim libidinoſi diſpari licèt modo, hìc, & in inferno cruciantur. Iam verò, ſicut ignis & aqua ſimul eſſe non poſſunt, ſic neque iſtæ terrenæ, & caducæ deliciæ cohærent cæleſtibus. Quas quoniam impurus ſua quadam lege ſanxit in cælo Mahometes; magis morata Solonis, aut Lycurgi eſt ſanctio, qui etiam in terra eas prohibuit, quippè oblectamenta omnia eouſque tollerantur, quoàd ſpeciei hominis conſeruandæ ergò, & in vnum illum, qui Deus eſt, finem perpetuò diriguntur. Fœdior profectò ipſe Mahometes Calipho, & Synomacho eſt, & cenſeri debet, qui ſummum bonum ſitum eſſe in voluptate coniuncta honeſtati putauerunt. Fœdior Erillo, qui in ſcientia poſuit, fœdior Ariſtippo & Epicuro, qui in ſola voluptate omnem felicitatem collocauit. Felicitas Chriſtianorum, animæ nobiliori reſpondet parti; Mahometa viliori, hoc eſt, corruptibili, & caduco corpori. Chriſtianorũ mentẽ, Mahometana ſpectat ventrem. Hæc obſcura & putida; illa clara & ſuauis. Chriſtiana cum

Angelis, illa cum animantibus eſt communis: Chriſtiana in illo claro & illuſtri & pleno ſyderum ponenda eſt loco; Mahumetana nec quidem in ipſis Aſiæ latebris, aut ſterili Libyæ ſolo, præferenda. Ac breuiter Dei quidem Opt: Max: iudicia, abiſſus eſt profundiſsima; & Turcæ, vt voluntas in nos ſit iniquiſsima, poteſtas eſt iuſtiſsima diuinitùs attributa; cui placuit, vt & diuitem Aſiam, & doctam Græciam, & amænam Thraciam, & rebus geſtis nobilem poſsideret Macedoniam; vt templum illud Salomonis, in quo toties concionatus eſt Chriſtus, vt Bethlehem, in qua natus, Hieroſolymam, in qua mortuus, occuparet; vt denique Antiochia, in qua Chriſtianum nomen primùm eſt auditum, vt Bizantium, in qua vrbe centum & quadraginta, contra Macedonii hæreſim, vt Nicæa, in qua contra Arianam trecenti & quadraginta, vt Chalcedone, in qua ſexcenti & triginta, contra Eutichi & Dioſcori deliria conuenerunt Epiſcopi; & tot, tantisque aliis illuſtribus locis, Apoſtolicis ſedibus, & Pauli miniſterio claris, hoſtes religionis potirentur. Sed non propterea noſtra religio eſt infirmior, aut maiori proſequenda deſpicatu. Quin cùm optima & certiſsima ſit, & loca illa ſacra venerari magis debeant, tantò maiori conatu, & laterum noſtrorum oppoſitu ſunt defendenda. Etenim ſi pro repetundis rebus, iuſtam belli cauſam veteres putauerunt; quid eo bello fuerit iuſtiùs, quod pro tot atque tantis direptis vrbibus, ſpoliatis fanis, euerſis regnis, occiſis principibus ſuſcipiatur, & geratur? Sæpè olim Romani pro ſociis, ſæpè Græci pro augendis confiniis arma ceperunt: Vos pro tanto, tamque latè patenti imperio, quanta magna ex parte Aſiæ, & Africæ, & Europæ regionibus auctus eſt Turca, ad vos rurſus transferendo nihil agetis? præteritarum cladium & calamitatum non recordabimini? Dei Opt: Max: iniuriam veſtrã, maiorũq; veſtrorũ cõtumeliã inultam relinquetis? Atqui ſi vel pacem deſideremus etiam maximè, Turca veſter, & totius Chriſtiani nominis hæreditarius hoſtis vobis eam non dabit: Sed tanquàm alter ſatelles Satanæ, & prodromus Antichriſti, in figura hominis, immanis quædam belua, ſocietati hominum infeſta, vos aggredietur, ex oriente in occidentem rurſus transferet hoc incẽdium: vi denique & cæde, ferro & flamma in his regionibus cuncta complebit. Quid igitur? An nõ præſtiterit hac occaſione nos vti, & Turca dũ in Perſide occupatus hæret, aggredi potiùs, quàm in noſtros ſtringere ferrũ, & illius furorẽ, & crudelitatẽ vt alios experiri? Grauiora quidem ſunt vulnera ea, quæ obligat examinata metu vxor, conſtuprata luget filia, vexatus deplorat parens, & incenſa

incenſa acerbiora reddit patria. Stultum eſt obiicere hoſti omnia, liberos quos ante ora parentum violet, coniuges quas conſtupret, aras quas diruat, Rempub. quam euertat, facultates quas deprædet & exinaniat. Romanis duriùs bellum nuſquam quàm in Italia fuit. Philippus Alexandri magni pater, per ciuilem Græcorum diſcordiam aliâs inuictam peruicit Græciam. Annibal ſuperari non potuit, quàm in patriam à Scipione reuocatus. Caput caput imperii petendum eſt, Byzantium inquam, olim vrbem poſt pacem cum Graciano factã, & à Theodoſio cõfirmatã, Attalarinus Gottorũ rex ingreſſus ad eum modum dicitur eſſe locutus: Verè inquit, terrenus Deus hîc habitans eſt imperator, & quiſquis manum contra eũ mouerit, ſui ſanguinis reus fuerit. Tantus quidẽ illius vrbis ſplẽdor & amplitudo ſpectabatur; vt vel hæc Turcica monſtra cõtinuò eã inhabitantia, nomini ſuo inde quodãmodo maximã aſtruxerint maieſtatẽ. Scio verò eſſe multos, qui hæc apud ſe parui admodũ faciũt, qui cõtemnunt, qui aut vrbibus munitis cõfiſi, aut voluptatibus dediti; aut mõtibus fluminibusúe diſiuncti, aut oceano circumfuſi, tanq̃ folia Sibyllæ hæc audiũt recitari. Sed illa eadẽ Gręcos, eadẽ Illyrios, eadem Hungaros ſpes fefellit. At interim cupiditatis tyrannicæ finis eſt infinitus: & ſi pro anguſto Myſorum imperio, pro Triballorum montibus, pro Illyriorum caſulis, maiores Turcæ tot confecerunt prælia; pro Italiæ opibus, prò Germaniæ theſauris, prò magna ad gerendas res Poloniæ opportunitate, pro Hungariæ relliquiis tantopere expetitis, iſte etiam (ſi Deo placet) Turca aliquid non audeat? non tentet? non maiorum ſuorum inſtitutum vitę, & ſui Mahometis perſequatur? Quid ſi nec votis quidẽ ſuis aliud barbari ingeminant, nihil optant, nihil expetunt magis, quàm Chriſtianorũ diſcordias? Has in ſynagogis ſuis diuinitùs petũt, pro his quotidie orant, has ſummopere concupiſcunt. Nos verò eorũ rem agamus? nos mutuis cædibus conficiamus? domi & foris perpetuò digladiemur? & quid eſt turpiùs, quàm agere quod hoſtis iubet, non ratio ſuadet, quod illi, non mihi expedit procurare? Enimuerò ignoramus, quòd nullum imperium, quid dico imperium? vrbs vna, imò & domus ſine animorum concordia nunquàm fuerit diuturna. Corruit olim rerum domina & arx gentium omnium diſſenſione Roma, corruit Græcia, corruit nuper Hungaria, & nos in his Europæ reliquiis non corruamus? tabidam quidem febrim ægrè priùs in homine, quàm totus marceſcat, deprehendas. Ad eum modum & interitum hunc à Turca noſtrum, vix præſentias, quàm ad eundem torrentis inſtar præcipitêre. Speramus in-

dies meliora, & aliorum obstamus potentiæ. De hac, quæ omnium futura est grauissima & infestissima, euertenda, ne quidem cogitamus. Paruæ erant Turcicæ principiò vires, quæ nunc in immensum discordia nostra auctæ, orbi terræ extremum, nisi prohibuerimus, minantur excidium. At quî prohibeamus, nisi summa volũtatum & animorum nostrorum accedat consensio? Quo pacto olim à Xerxe Græciam, cuius quinquagies centenis hominum millibus exercitus & classis, mille ducentis constitit nauibus, liberatam fuisse legimus, & audimus. Nos interim quid operimur? quid nostra in communionẽ temporum non conferimus? quid vicinos & consanguineos nostros non adiuuamus? potiùs quàm Bysantinorum exẽplo ipsi cum omnibus facultatibus nostris in Turcicam veniamus seruitutem. Ferunt Constantinopolim, quinquaginta aureum nummûm millibus in militiã erogatis interitũ prohiberi potuisse. Taurinum in Vngaria tantùm centum & quinquaginta aureis, quibus commeatus Budæ emptus, secundoque Danubio, si Quæstores voluissent, demissus, longiorem obsidionem defensores ferre præ pudore coëgisset: sed hoc curatum est, scilicet. Nunc errorem fatentur, atque lugent omnes. Quod vereor ne & nobis eueniat, & vt serò serio certè erudiãt nos grauiora. Video potentiã, & Turcici imperatoris maiestatẽ, tanquàm iustũ aliquem & legitimum tot regnorum possessorem quosdam Christianos principes non obscurè venerari, & hanc vnam regiam, tot tantasque alias formidare. Quin adeò & cõmunia consilia cũ eo habere, & occulto quodã desiderio eius potentiã & successũ peroptare. At enim longè adhuc iustiùs & moderatiùs Romanorũ erat imperium, qui tamen & Asia quàm Attali & Bythinia, quã Nicomedis testamento habuerant, exuti sunt, cùm Cyrenas cum vrbibus Lybiæ, & Pentapolim Ptolomæi antiquioris liberalitate, & Lybiam supremo Appionis regis arbitrio assecutas amiserunt. Turca in tanta sua tyrannide temerè aliorum vsurpatis sibi rebus non amittat Bizantium? non Thracia, non Hungaria spolietur, quam specie quadam ferendi auxilii proditoriè occupauit? Vnusnè ille impune aggrediatur omnes, & ipsum aggredi domi suæ audeat nemo? quasi verò nesciatur, vrbem illam Bizantinam, à Pausania quondam conditam, posteà verò à Constantino magno, Sanctæ Helenæ filio, nouam Romam, seu Constantinopolim nuncupatam; sub altero autem Constantino, Dragasæ Helena item nato, sed Catholicæ religionis desertore, non tàm quidem Turcæ ipsius viribus, quàm pœnis diuinitùs periuro Cæsari irrogatis vltricibus in hanc calamitatem deuenisse, &

Hunga-

Hungariæ partem non tàm Solymani Turcæ copiis, qui in eius excidium ter ipſemet venerat, diuiſo Senatu, diſtracto populo, & inteſtino graſſante diſsidio, corruiſſe; vt facilè coniecturam capias, quale, & quàm diuturnum hoc futurum eſſet imperium, ſi ſeriò ſemel animis & viribus ſimul iunctis, à Chriſtianis regibus ad ruinã inclinatũ impelleretur. An verò quis dubitauerit, tot Chriſtianis gẽtibus & nationibus, Cõſtantinopolim in bellum proficiſcentibus, omnes iſtos intermedios populos, qui non ita pridem nomen Chriſti coluerunt, & etiamnum colunt, ſed apertè tantùm profiteri metuunt, ad arma concitatos in Turcas ruere, & extrema quæque libertatis ſuæ cauſa debere experiri, cuius intermiſſæ grauiores ſunt morſus, quàm retentæ? Neque verò & omnes ij, qui in Aſia ſunt, Chriſtianæ religioni nuncium remiſerunt. Multi in Cilicia, Bythinia, Cappadocia, Syria & Palęſtina ſunt Chriſtiani. Hiberni verò, qui & Gregoriani vocantur, Trapezuntii, Armenii, & Præcopiani Tartari Chriſtum colunt; neque in Turcam induere arma dubitabunt, quoties à Chriſtianis Principibus ſerio rem agi animaduertent, maximè, cùm hæc inter Mahometanos in Aſia & Africa ſeditionis fama paſsim iam increbuerit, quæ Chriſtianorum conatus haud dubiè adiuuaret. Sumunt enim animos omnes rebus hoſtium paulò inclinatis. Non autem leue inter Arabes, Numidas, & ferè omnes Afros, & inter Turcas ipſos de Mahometano dogmate eſt diſsidium. Hi quidem obediunt Caliphæ, penes quem ſummam poteſtatem voluit eſſe Mahometes. Turcæ verò rurſus ſummum ſacrorum præſidem Muphti creârunt. Ex qua ipſa diſparitate dogmatum, magnæ inter eos ortæ ſunt diſſenſiones. Etenim in Senatum Turcicum Muphtæ ingrediuntur vicarii, qui intercedunt, ſi quid ſuo, ſuorumque dogmati, & Mahometis legi aduerſetur. Calipha interim ſacrat quidem miniſtros per vniuerſam Libyam, ſed nullum ſub ſe regem æquè potentem ſortitus eſt Ottomanis. Quæ ęmulatio, quantum pariat contentionum, & bellorũ, tot Chriſtiana regna & prouinciæ ab otioſis ſyllogiſmis incenſæ, & ad cruentiſsima bella deuolutæ, ſatis ſuperque docuerunt. Vno enim momento à verbis ad verbera, & ab armis ciuilibus ad inciuiles peruenitur laniatus. Quod idem, ſi in Turciam etiam peruaſerit mali, qualis illi tàm impotenti dominatui impendeat mutatio, quis non intelligat? Antea etiam vel florentibus Turcicis viribus, & nullo internorum armorum exiſtente in Turcia metu, arma & bombardas domi ſuæ habere prohibebantur Chriſtiani. Quod vt vel hodie capitis periculo ſanciatur, annis tamen nihilominùs ſingulis

gulis diligens fit inquiſitio, ne quid armorum & inſidiarum alicubi lateat & abſcondatur. Vbi autem aliqua, vel minima increpuit belli, vel armorum ſuſpicio, falces etiam ipſæ agreſtibus adimuntur: & falſi paſsim & vbique rumores ſparguntur: imò & falſa eduntur lætitiæ ſigna, ob relatam de Chriſtianis victoriam, multitudinis tantùm ergò in officio continendæ. Quo tantùm abeſt, vt aliquid proficiant; vt maiori adeò ſpiritu populi in eos augeantur. Temerè enim fingentes & fugientes veniunt in periculũ & cõtemptũ. Et nõ modò non auferuntur per illam inquiſitionem à Turcis Chriſtianis arma; ſed noua adeò, & plura ab iis conquiruntur, ad hunc potiſſimum vſum; vt ſi tandem aliquando potens Chriſtianus aliquis in peniciora Turciæ ingrederetur exercitus, qui nec opinanti ſtatim opem ei ferret præſtò haberet. Quo minùs dubitare debes, domi ſuæ Turcas infinitos ſortituros proditores, coniugum liberorumq; ſuorum percuſsores, Mahometanæ perfidiæ deſertores. Non aliud profectò Raſcii & Bulgari quàm vicinos ad ſe aduentantes Hungaros, non aliud hi, quàm Polonos, non aliud Epirotæ & Macedonii, quàm expectant ab altera maris parte poſitos Italos: & ſi fieri poſſet, qui aliquando etiam olim illac iter in Palęſtinam faciebant, Gallos & alios Chriſtiani nominis populos, propemodum infinitos. Quorum omnium æquitatis eſt, ſocios non deſerere: ſapientię, videre integris & coniunctis viribus, quàm fractis & diuiſis cum hoſte potiùs eſſe bellum gerendum. Eſt enim fatuitatis, ab eo qui hactenus Chriſtianorum fidus prorſus fuerat nemini, certam aliquam pacẽ, & in fœderibus polliceri ſibi firmitatem. Quas & quãtas penè anniuerſarias clades Poloni à Tartaris, Turcæ prodromis & emiſſariis patiantur, vident. Quid ex Foro Iulij, ex Græcia Italiam periculorum maneat, conſideret. Quo in ſtatu Auſtria, Morauia, Bohemia, & ipſa denique Germania, reliquiis Hungariæ confectis, futura ſit, quis ignoret? Quis igitur communi cauſæ & neceſſitati defuerit? quis non audierit ſociorum querimonias? quis non ingemuerit calamitate? quis non exhorruerit ſeruitute? Audendũ audendum eſt aliquid, & aut pulchra (vt ait ille) per vulnera mors oppetenda, aut verò de perfidiſsimo & teterrimo hoſte is, quem optamus & ſperamus omnibus numeris & partibus abſolutus triumphus eſt referendus. Hoc pacto rem olim Romanã ſenſim creuiſſe, & hos eoſdem hoſtes noſtros ad ſummam amplitudinem videmus perueniſſe. Pacẽ qui firmam habere auet, perfidum, crudelem, inſidioſum hęreditariũ hoſtem bello oportet perſequatur. Non eſt Turca ampliùs is, qui antea fuerat: habebatur ſuperatu credibilis

dibilis ſemper. Nunc adeò etiam eſt facilis. Obtriuit ſuorum Prætorianorum in Perſide legiones: exhauſit ex orbis terræ ſpoliis the-ſaurum conflatum: amiſit quem habuit præſtantiorem equitatum: vrgere tributis ſuos vix ampliùs poteſt: domi & foris inimicum habet: cum metu & horrore interitum vndequaque circumſpectat. Vobis verò Chriſtiani adſunt, & aderunt omnia, duces, milites, exercitus, pecuniæ, commeatus: aderit & ipſe Deus Opt: Max: pro quo bellum geſturi, cuius aras, phana, cerẹmonias, & religionem eſtis defenſuri. Qui dum Moſes orabat in monte (vtar enim exemplis Chriſtianis ſacris) populum Iſraëliticum reddebat victorem in acie, & ſolem retinere ſuum fecit curſum, ne victoriæ Ioſuæ retardaret aditũ. Aderit inquã eadẽ illa prælucente cruce, qua Cõſtantino magno, qua Theodoſio, qua regi Galliæ Ludouico, qua Carolo magno, & eius nominis V. præluxit Cæſaribus: qua Petrus Eremita toties Saracenos fugauit: qua Chriſtianus exercitus Sultanũ Ægypti, & eius calidiſsimũ ducẽ Corbonã ſuperauit: qua Capiſtranus Monachus cum Hunniade in acie ſtans, & Ieſu nomẽ inclamans, toties Turcas profligauit, impiũ, impurũ, ſacrilegũ, & cõſceleratũ Turcarũ genus ſuas cõſpurcari aras, ſua dirui templa, ſuũ ſacroſanctum proſcindi nomen, ſuorum martyrum diſiici oſſa, & prophanari ſepulchra, non ampliùs patietur. Iam mille penè exacti à nato Mahomete ſunt anni, quo ille tempore patria & genere ignobilis, mente tumidus, moribus fœdus, ingenio multiplex & varius, conſuetudine idololatra, legem ſuam prædixit occaſuram. Vtinam ſaltem Chriſtiani non tantùm nomine, ſed multò magis ſimus ipſa re atq; veritate; & pro ſeruatore noſtro innocente, ſcelerati pro patria antiquiore omniũ parẽte, multis nominibus in eã ingrati, pro tot nationibus ſeruis, nos qui ſumus & eſſe liberi volumus, ſi ita tempus neceſsitasq́ue poſtulauerit, non inuiti moriamur. Hoc quidem à nobis patria, hoc chariſsima coniugum, liberorumq́ue noſtrorum exigunt pignora, hoc parentes, hoc neceſſarii & propinqui noſtri à nobis deſiderant; qui iam olim extincti, in illo excelſo & pleno ſyderum loco, hanc eandem noſtram oſtentant patriam, nos orant & obteſtantur, ne eam iam non hoſtibus, ſed belluis Turcicis occupandam & diripiendam permittamus. Quo eodem loco mihi videre videor ſenum, & ſacerdotum, mulierumq́ue turbam, veſtram fidem implorantem, & ad veſtros proiectam pedes; vt ſi eorum corpora, metandis contra Turcam caſtris, non vultis tueri; raſtris ſaltem veſtris, vt æquitas rei, rationesq́ue veſtræ tulerint, addici potiùs patiamini; & in eo, vt conſtet ſuæ Reipub.

ſalus, ſua dignitas, Chriſto ſuus honos & gloria, animos veſtros defigatis. Moueamini obſecro afflictorum lachrymis, moueamini precibus & calamitatibus identidem geminatis, & id aliquando nobis euenire etiam poſſe, quod in vicinia eueniſſe iam cernitis, qui non iudicetis? Ac quod nobiles exercituum faciunt duces, vt poſteaquam milites in acie ſtantes, ante prælium fuerint cohortati, ipſi quoque in confeſtiſsimos ſe inferant hoſtes, ne expectationi militum defuiſſe videantur. hoc vos etiam orbis terræ reges & dynaſtæ, haud ita grauatim faciatis; vt non modò aliis belli contra Turcam ſuſcipiendi & gerendi auctores vos præſtetis; ſed armis etiam ipſi induamini, & denique in Turcam proficiſci, & ſi ita fors obtulerit, vel in acie fortiter contra eum cadere; quàm in ſingula momenta, quod increpuit,ſemper pertimeſcere potiùs ſtatuatis. Sic enimuerò eorum qui pro Chriſto ſeruatore ſuo aliquid etiam paſsi ſunt,inſiſtentes veſtigiis vtinam quidem in Palęſtina priùs etiã iſta potiti; ſed quomodocunque acciderit, cæleſti Ieruſalem illa altera potiemini ſempiterna.

TVRCICA III.

SI QVOD VNQVAM SAECVLVM FVIT, QVOD tot, tantaſque tamque varias, & admirabiles rerum & temporum habuiſſet viciſsitudines, hoc profectò eiuſmodi eſt: vt ab inanium rerum cura, & ab inteſtino maximè auocet diſsidio, terrarumque orbis ad ſuum finem nos admoneat properantis. Etenim ſeſquimilleſimo partu à virginis anno, Carolo huius nominis V. Romanorum Cæſare,ceu quodam Heſpero Gandaui oriente, ea quidem iſtius, qui ad ſexcenteſimum decurrit centenarii initia & progreſſus extiterunt; vt quæ in eo plus ferè quàm in mille annis aliis acciderint, enarrare omnia penè factu ſit incredibile , nefas verò cùm inceperis,vel aliqua prætergredi. Turpiùs quippè reticentur quàm recenſentur, ſemel cœpta recenſeri. Verè ſanè & ſapienter olim in eius Caroli V. natalis diem, qui D. Matthiæ Apoſtolo ſacer, & ipſi per omnẽ vitam felix & fauſtus fuerit, verba illa ſacris oraculis prompta ſortem ſuper Matthiam cecidiſſe,Iſabella Ferdinandi Hiſpaniarum regis coniunx, eius auia vſurpauit. Vt enim iſta ſic ſe habere, & Auſtriacorum Principum paulò altiùs repetitis rebus felicitatis oſtendamus incrementa.Maximilianus primus hoc nomine Cæſar

ſolers,

ſolers & prouidus, familiæ ſuæ auctor dignitatis, non hanc quæ Carolum eius nepotem peperit, ſed grandiorem natu Ferdinandi Catholici Hiſpaniarum Regis filiam, Philippo ſuo vnigenæ filio elocari poſtulauit. Qua cùm matrimonii ergò ſolenniter contrahendi ex Auſtria ampliſsimi legati in Hiſpanias adueniſſent, ſic quidem eis reſponſum eſt; vt cùm caſtam & religioſam vitam agere ipſam parentes teſtarentur, ad alterius filiæ expetendum connubium quaſi quædã via illis tacitè monſtraretur. Nulla enim re quàm religionis ſpecie, regum poſtulata & reſponſa omnia pulchriùs condiuntur. Sed cùm nihilominùs tamen, neſcio quid dubitationis ea fortè res oratoribus attuliſſet, volentibus diſcedere, vt integrum negotium ad Cæſarem reiiceretur, & illi interim noua mandata expectarent, fuit ab eis poſtulatum. Res enim magnæ, tardiùs licèt confectæ, ſatis in ſe habent habueruntque ſemper celeritatis. Ferunt autem Maximilianum Cæſarem prudentiſsimum Principem aliquandiu hic hæſiſſe, & quid potiſsimum conſilii ſibi hac in parte capiundum foret, cogitaſſe. Verùm enimuero cùm præter multa alia regna victorias & cõnubia, ortusq; noſtros & occaſus ab vno illo præpotenti Deo Opt. Max. rectà ſciret proficiſci, vel adeò etiã cũ minori natu filia contrahendũ eſſe matrimoniũ, reddidit legatos certiores. Connubia quippè in cælis habẽt ortũ, & in terris exitũ conſumatũ. Quod cũ Principis ſui iuſſu legati Cæſaris perfeciſſent, ruſus illam maiorem natu filiam primum quidem Alphonſo, Odoardi Luſitanorum regis filio, poſtea & Emanueli regi ipſi, vt Luſitaniæ regnum tam diu tamque anxiè ab Hiſpanis deſideratum ſuis aliis adiunxiſſent regnis, non dubitanter elocârunt. Sed in multis quæ apud ſe deſtinauerit homo, vnum illud numen cuncta gubernat diuinitatis. Etenim maiori tandem natu paulò pòſt extincta filia, præter omnium ſpem & expectationem, Ioanna filia regnorũ euaſit hæres, & Carolum V. cuius demum filius Luſitania eſt potitus, die Martis fœtum edidit Martium, omnibus omnium gentium linguis & monumentis celebrandum. De quo, quod antea etiam dixeram cùm Iſabellæ auiæ fuiſſet nunciatum, quanquàm Michaëlem ex Iſabella nepotem viderat ante ſe inambulantem, illa ipſa verba ſacris ex codicibus ſumpta, è veſtigio recitauit. Rariùs enim alia, quàm ſacra ſacrato ex pectore verba debẽt tonare. Quorum vim & efficaciam vel ex eo eſt cognoſcere, quòd Auſtriacis regibus Luſitaniam fatale fuit tenere, inprimis verò Carolo V. ea natalis ſui die, Aquiſgrani imperiale diadema, & de Frãciſco I. Gallorum rege, ad Tycinum victoriam multaque alia obtinere. Habet

namque à feculis Deus Opt.Max. numerata,dimenfa,& perponderata apud fe vniuerfa, adeò vt idem ille Carolus V. fi ferè pari à Carolo magno, aut nato, aut inaugurato temporis interuallo, quo olim ille à Chrifto in hunc mundum edito, feliciſsimè diuinitus excitatus non fuiffet, in tanta Mahometanorum rabie & hęrefum varietate,ne falus quidem ipfa faluare Rempub. potuiffet. Crefcente enim horum illorum,decrefcit potentia, & ad externam vim,domi,funeftiſsima dogmatum eft licentia. Nam vt tandem iftius Centenarii, quo vtrumque hoc maxime ebulliuit malum,maximè quęque memorabilia breuibus percenfeam; & erit qui dubitet, omnia in eo plena tumultuum & bellicorum incendiorum fuiffe,& Carolum V. Cæfarem,vt nolentem in illa ipfa incendia,vel inde ab incunabulis incidiffe? qui dum adhuc in cunis vagiebat puer,Deo Opt. Max. eius gubernaculis & victoriis auguftiora adhuc præparante, tria illa memorabilia prælia intra vnius & alterius anni fpatium, iis ducibus,qui poftea etiam ipfius aufpiciis militârunt, funt commiffa ad Seminaram vnum, ad Carniolam alterum, & tertium ad flumẽ Gariglianum:& omnes quidem pugnæ illæ, vno Confaluo duce, & die Veneris tres, qui Hifpanis non infauftus effe, & idem ille dux, qui regnum Neapoleos bis recuperauerat,vel apud ipfos hoftes in tanta veneratione fcribitur fuiffe; vt duobus maximis Europæ regibus menfæ accũbentibus,Gallo,contra quẽ militauerat auctore, iuffus fuerit tertius afsidere. Etenim vel in hoftibus ipfis virtus & fortitudo fæpè fufpicitur & amatur. Ex quo ipfo tempore & Carolo V. feu quodam Martiali orto Hifpanis & Germanis fydere, Gallorum auctoritas imminui, illorum verò non obfcurè cœpit augeri. Floret quippè perpetuò nihil & faltatorium orbem,quæ falfò appellatur Dea, verfat fortuna. Atque vt ea, quæ polliciti fumus, tandem præftemus, neque multũ in iis, quæ Maximilianus Cæfar hoc nomine primus,Bauarico & mox Veneto gefsit bello: aut quæ Ferdinandus Catholicus etiam ipfe,nouo indagando orbe,aut quę Florentini contra Pifanos in Hetruria, & Veneti contra Germanos bella adminiftrarunt, immoremur. Carolo quidem Cæfare, iam annum agente duodecimum, crudeliſsimum illud ad Rauennam commiffum eft prælium: In quo Iulii II. Pont: Max: legatus Leo X. Pontifex ipfe intra annum poftea renunciatus,à Gallis captiuus eft factus, & Foffeius eorum dux interfectus. In fequenti verò anno, Mofchorum octoginta millia,à Sigifmundi Poloniæ exercitu, Ioanne Oftrogio,& Ioanne Suerceuio Ducibus,ad Orfcham funt profligata. Quibus veluti præludiis, fpectandis maioribus adhuc motibus,

bus, & priùs quidē ociosarū quæstionū, postea & cruentorū certaminū, tempus appetebat. Etenim Martino Luthero profugo, & omnis pudicitiæ violatore Monacho, facem Vitebergæ accendente, quam in Christiano sanguine spargendo paßim est laboratum, quis vnquàm dubitabit? Ac primū vt Lutherana ferè omnia cum Mahometanis quodāmodò cōueniūt. Ismaële Zophi Mahometanū dogma nouis interpretationibus exponente, tanta in Asia excitata in Turcas est seditio, quanta si in Christianis ea quæ debebat vigilantia & concordia fuisset, ipsorum euertere imperium potuissent. Sed tot tantæque occasiones neglectæ, & primùm quidem Constantinopolis à Mahomete Turca impune capta, demum Soldanus Ægypti à Selimo eius nepote, nobis videntibus & volentibus, debellatus, Mahometanum imperium stupendæ reddiderunt maiestatis. Quod quàm longè etiam futurum est maius & potentiùs, si hac tanta belli Persici occasione, cui implicatus hæret, vel aliqua saltem ex parte suis non fuerit Turca diminutus viribus, omnes intelligunt, qui habēt nō modò iudicii aliquid, verū etiā sanitatis. Sicuti namq; supremo gradu lapsis, à mediis ad infima descensus est prȩceps; sic rursus à mediis ad suprema, nisi impedimenta obstiterint, faciliùs peruenitur; prout in his duobus, qui vno eodemq; anno nati & gubernacula adepti fuerāt, Carolo V. Christianorū, & Solymano Turcarū, Cæsaribus licuit cognouisse. Etenim Solymanus Taurino primùm, mox & Rhodo expugnata, demū Ludouico Vngariæ rege ad Mochaczū interfecto: & Carolus V. Francisco ad Ticinū vix nō eodē anno captū, imperiū sunt auspicati: & hic contra Gallos triginta inuitus licèt, ille contra Hungaros penè quadraginta annis bella administrauit. Quo loco non potero non referre, quod de Francisco primo Galliarū rege audiui aliquando referentē nō neminē, cū propter grauißima quæq; bella, vel cū Turcis ipsi cōmunia haberet, in Carolū V. consilia dehortatā fuisse à tali instituto eū matrē, & illud demū cùm obstinatus esset, addidisse: & ipsum & liberos ipsius Gallorū reges, alioquin magno eorū merito, Christianißimos dictos; nec successum, neq; succeßionē in regno diuturnā esse habituros. Quod nū ita secusúe se habuerit, euēt⁹ declarauit. Sed nos his omißis, ad curriculū narrationis nostræ reuertamur. Ac Carolo V. Cæsare Francoforti, cùm absens in Hispaniis esset, electo, demū Aquisgrani inaugurato, quid alibi quoque terrarum sit gestum & subsequutum, breuiter percurramus. Prusia quidem post diuturna inter Polonos & crucigeros bella, & magistri nomine in Ducis permutato, Poloniȩ sub Sigismūdo primo associata est, eidéq; regi bel-

lum in Prusia gerenti, Sigismundus Augustus vnigena natus filius; & mox rusticani tumultus per Germaniam sunt excitati; qui, vix cogitari potest, quantum calamitatum per Germaniam pepererunt. Cùm namque omnibus bellis, tum nulla salus est intestinis. Taceo Romam à Cæsarianis militibus duce Borbonio direptam, & paulò pòst Viennam à Solymano Turca fuisse oppugnatam, qui ingenti adducto barbararum gentium exercitu eò audaciæ venerat; vt quędam ipsius copiæ longiùs in Germaniam progressæ apud Vathoffe superioris Austriæ oppidum, profligatæ fuerint. Cogitemus interim quid iã denuo facturi Turcę sint, si vires recollegerint; cũ vel antea tot ac tanta in Christianos moliri, & caput Austriæ Viennam, duobus orbis terræ luminibus, Carolo V. Cæsare, & Ferdinando eius fratre rege florentibus, acerrimè oppugnare, minimè dubitauerint. Dies quippè succedit diei, & crudelitas succrescit crudelitati. Nihil dico eodem ferè illo aut proximo statim tempore, motus fuisse in Italia grauissimos, & memorabilem illam Cæsaris Bononiam profectionem subsequutam, quam incredibili pompa à Clemente VII Pontifice, diademate imperiali accipiendo, in tot tantorumque Principum, & eorundem Oratorum frequentia celebrauit. Mox Florentia capta, eiusdem Cæsaris beneficio Mediceorum in Hetruria incepit principatus; qui virtutum omnium & humanitatis ac magnificentiæ gloria, non modò suæ patriæ, sed vel cunctæ adeò Italiæ anteà etiam prælucebant. Prætereo Christianorum Danorum & Suecorum regem, ob insignem crudelitatem regnis excidisse tribus Sueciæ, Daniæ, & Noruegiæ, simul ac nuntium remittere religioni cœperat orthodoxę. Nolo commemorare Henricũ VIII. Anglorum regem, secus quàm paulò antè quodam libro contra Lutherum edito, defensoris fidei appellationem retulerat, Catholicæ religionis hostem se turpium connubiorum & spoliandorum ergò subitò declarasse, & multos præstantes eius religionis assertores & patriæ suæ decora, crudelissimè sustulisse. Secuta est demum Caroli V. Cæsaris in Italiam profectio, qua per vtriusque Siciliæ regna, & Albæ Græciæ agros, duxit ipse Tunetum versus exercitum in expeditionem. Nec mora, Guleta, & Tunetano potitus est regno, & permulta Christianorum millia, quæ captiua tenebantur, pristinæ restituit libertati. Sed paulò pòst Franciscus Galliarum rex, infesta arma rursus in eum cepit, & ab instituto eum reuocauit. Quod Romæ apud Pont. Max. Paulum III. in reditu quæstus fuisse, & Galliarum regem ad singulare certamen prouocasse memoratur. Non deerat autem vel tum quoque belli contra Turcas suscipiendi

piendi & gerendi peropportuna Christianis occasio: Persa enim vrbē vulgo Tauris dictā, Turcis rursus eripuerat: & Imbraimū Solimani Turcæ gratiosissimum purpuratum, ad Euphratem maximis copiis profligauerat; & ipsi denique Solimano, cum filiis atrox certamen intercesserat, quod haud dubie Turcico dominatui, si tempore & viribus nostris vti sciuissemus, ruinā minabatur. Sed neglecta, vt dixi, fuerūt tū tēporis ōnia: Ita demū & naualis cōtra Hariadenā parandæ victoriæ excidit occasio, dissidentibus inter se classis Christianæ ducibus, Andrea Auria, Caroli V. Cæsaris, & nescio quibus aliis Venetorum. Qua ipsa re in spem rerum suarum meliorem Turcæ erecti sunt, & vires consiliaque nostra eluserunt. Omnia enim quæ inter homines fiunt, faciliùs sciuntur, quàm semel facta corriguntur. Nec multò pòst nobilissimi totius Italiæ principes tres, infelici & immatura quadam morte, exiguo vnus post alterum, spatio extincti sunt, Franciscus Forzia, vltimus Mediolanensium dux, & Alexander Medices Florentinorum, & postremò etiam tandem Aloysius Farnesius, Parmensium & Placētinorum. Gaudanum verò, apud se nato Carolo V. rebellauit Cæsari, cuius ille motus, cùm non alia facilè ratione, quàm præsentia sua compescere posse se iudicasset, contra omnem omnium eorum, qui ab ipsius consiliis erant sententiam, per dispositos ad celeritatē equos, paucissimis comitatus, Gallias traiecit, & nec Vascones, per quorum Prouinciam iter faciendum ei fuerat, & quos superioribus bellis maximè vexauerat, neque ipsum Franciscum regem, quem captiuum tenuerat; & non nisi magno auri pondere redemptum libertati restituerat, subueritus, in Belgiam celeriter venit, & rebelles suos castigauit. Vidisses autem quanta summi vtriusque principis fuerit constantia, & fidei hospitiique iuris obseruantia. Nam tametsi externis quibusdam rebus & significationibus, Franciscus Galliarum rex, & meminisse omnia, & multa in regno suo posse se innueret, & ingredienti Luteranā vrbem Cæsari, Madydi carceri inclusum se in arcu triumphali manu ostenderet, nihil tamen prorsus contra fidem datam in eum est molitus: Maior enim quàm priuatæ alicuius iniuriæ habenda ratio in dictis factisque omnibus regalis est firmitatis. Nec tamen multū postea effluxit temporis, ex quo inter eosdem illos tam arcta necessitudine deuinctos sibi Principes, bellum atrox exarsit, & in aliis orbis partibus varia & multiplicia certamina cœpta sunt inspectari, vtpote inter Turcas & Germanos ad Essecum, inter Polonos & Valachos ad Obertinum & Seretum: inter denique

que Hungaros & Turcas ipſos in Hungariæ auxilium imprudentiſsimè euocatos, occiſo præſertim Turcarum duce Gritto, Principis Venetiarum filio,& Hieronymo Lasko Syradię Palatino Budæ detento. Diceres malorum iam finem fuiſſe omnium,nihil profectò minùs. Imò verò quid hic à quingenteſimo ad ſexcenteſimū Centenarius monſtri adhuc magis aluerit, & quid adeò prodigiorum allaturus in fine ſit,tecum ipſe recognoſce. Omnes enim venenatorum animantium caudæ venenatæ magis ſunt, & in annis centenariorū periodi plura mōſtra alunt. Iam quidē cōſtat,Ioanne Sepuſio Hungariæ rege mortuo, quàm à Solimano Turca repente obſeſſa fuerit Buda,& ingens Germanorum cæſus ad Peſtum exercitus, & quàm cruentum inter Cæſaris & Gallorum copias ad Ceriſolā extiterit certamē, in quo,licèt vtrinque magna,maior tamen Cæſarianorum militum cecidit multitudo, Ioannes porrò Comes Tarnouius, Sigiſmundi regis Poloniæ exercituum dux, quàm fortiter, & gloriosè Starodubum & Homeliam, Moſco tum etiam ademerit,non commemoro; neque illud dico, quàm alieno anni tempore, & infeliciter Alligerium Cæſar ipſe adierit, vnde poſtea reuerſus Cliuenſem Ducem ad arma à Gallo exercitum compeſcuit, & Virtebergenſes motus pariter ſedauit. Infinitum deniq; perſequi eſſet omnia aut ſaltem narrare ea, quæ bello Turcico intermiſſo neceſſe habuerit: hìc Cæſar celebrare comitia, non tam quidem, licèt hoc vnum expetebat maximè,belli in Turcam mouendi gratia, quam diſsidii religionis ergò excitati cauſa tranquillandi: Verùm qui auita religione prophanata diuinam contempſerant, Cæſaris etiam ipſius ſpreuerunt facilè maieſtatem. Itaque Smalcaldico fœdere in Cæſarem percuſſo,exortum eſt bellum illud, quod vulgo appellabant Saxonicum; fama magnum, exitu pro Cæſare glorioſum,duorum inſignium Germaniæ principum, Saxoniæ electoris & Landgrauii detentione, inprimis memorandum. Quòd enim vel Romanis olim ipſis rerum dominis denegatum, hoc Carolo V. religionis Catholicæ vindici fuit conceſſum, vt de Germania triumpharet. Quod paulò ante quàm fieret mirabile præſtantium regum atque Principum floruit paſsim ſeculum, vt tanto maiores rerum à ſe geſtarum teſtes & ſpectatores, non ſine aliquorum inuidia,ſua quidem animi cum voluptate maxima, hic tam perinſignis habuiſſet Imperator. Sicuti enim ſuos parentes filiis, ſic regibus æmulos iucundum virtutis & felicitatis ſuæ habere eſt ſpectatores. Habuit ergò cum alios, tum Paulū III. Pont. Max. Habuit Solimanum Turcarum, Franciſcum Gallorum, Henricum

VIII.

VIII. Anglorũ, Sigiſmundũ Polonorũ, Emanuelẽ Luſitanorũ, Goſtauũ Suecorũ,& Grittũ Ducẽ Venetiarũ. Quos ferè cunctos, vt rara felicitate, ſic & admirabili imperii ſui maieſtate ſuperauit. Ac ne ſui ſuarũq; bellicarũ artiũ oblitus forte videretur, ſtatim, ac Hẽric' Francorũ Rex quibuſdã Germaniæ regulis denuò in eũ cõcitandis ad bellũ ipſum prouocauerat, Mettẽſis vrbis (ætate licèt & valetudine ſubaffecta) ingẽti coadunato exercitu tẽtauit oppugnationẽ. Cui demũ dux Guiſius, qui eã fortiſsimè defenderat, inaurato eiaculato ex maiori quadã bõbarda globo, cui, vt Mettim metueret, quæ meta ipſius felicitatis eſſet inſcriptũ erat, inſultauit. Nec mora tamẽ & Senenſem rurſus vrbẽ, memorabili parta de Gallis victoria, ſuæ effecit poteſtatis. Quo eodẽ ferè aut modico pòſt tẽpore inter Mauritiũ Saxoniæ Ducẽ,& Albertũ Marchionẽ Brandeburgenſem, & rurſus inter hunc & Ducẽ Henricũ Brunſuicienſem, vario & ancipiti marte in Germania prælijs aliquot eſt decertatũ. Vidit verò Cæſar, partim oppugnatione Mettenſi, partim Oenipontana nec opinata perſequente eũ Duce Mauritio fuga, ſeneſcere in ſe omnia, & vagã illã volubilẽq; falsò appellatã veteribus Deã, orbẽ ſuũ quodammodo verſare ſaltatoriũ. Deſerere igitur ludibria mundi, quàm ab iis deſertus voluit potiùs videri: quod nimirũ opus, quã tota vita non obſcurè præ ſe tulit, prudentiæ fuerat perſpicacis, & paucis annis in Belgio moratus, articulariq; morbo cõfectus, octennio antè in Auguſtanis Comiciis, cũ graui quodã oppreſſus eſſet morbo, prudentiſsimo & piiſsimo condito teſtamento, & Philippo Hiſpaniarũ regi Brixellis, omnium regnorum ſuorũ iure & poſſeſsione nõ ſine lachrymis tradita, eodẽ anno, quo & regina Bona ex Polonia in Italiã, & eius filia Zophia ad maritũ in Germaniã diſceſsit, in Hiſpanias nauigauit. Qui demùm Philippus, pernobili de Gallis ad Sanctum Quintinum victoria parta, imperium ſuum eſt auſpicatus. Qua Carolus intellecta, viſiſque feliciſsimis filii ſui gubernaculorũ initiis, cũ reliquũ illũ vitæ ſuæ actũ ſumma cũ religione exegiſſet, fereq; cunctorũ hoſtiũ ſuorũ iutuitus eſſet interitũ, in monaſterio Iuſti, ętatis ſuæ octauo & quinquageſimo, vitam cum morte cõmutauit. Quo poſt Carolum magnũ nemo potentior, felicior, amplior, & rebus gerendis clarior extitit Imperator. nempe qui Solymanum Turcam, tanti imperii, & felicitatis magnitudine ſibi præfidentem, ſolo penè caſtrorum ſuorum fremitu, à mœniis Viennæ diu multumque oppugnatis, & dirutis in fugam egit. Qui Andriadenum, Barbaroſsam vulgo dictum, acie ſuperatum, & Tuneti regno exutum, Africa depulit: qui ſuperiorum Cæſarum partim

ignauia, partim verò imbecillitate virium, & consilii, depressam imperii maiestatem, pristinæ restituit dignitati: qui Germaniam compescuit, Hispanias absens gubernauit: & Franciscum Gallorũ regem, & duos potentissimos totius imperii regulos captiuos diu apud se tenuit; & multo antè etiam priùs ad religionem Catholicam tuendam animatus, in nouum, quem vocant orbem, eiusdem lucem intulit: templa, cœnobia, Xenodochia, Episcopatus in ea erexit; & denique Cæsarum omnium primus, ob religiosę vitæ institutum, vltrò ipsum se imperio abdicauit. Raró namq; summæ opes, & summa religio sociantur. Venio iam ad eius filiũ Hispaniarum regem Catholicum, qui anno suprà sesquimillesimum, vigesimo & septimo natus, sexto verò & quinquagesimo à patre traditam omnium regnorum possessionem integram sortitus, illa quã dixi ad S. Quintinum memorabili victoria, & mox ad Theomuilum & Greuelingam aliis de Henrico Gallorum rege est potitus. Quanquàm idem ille, sub Philippo antecessore olim suo, Caletum ab Anglis occupatũ, sub hoc eodẽ Philippo tum Anglorum rege, suis se Gallis recuperasse etiã gloriabatur. Quo quidem Philippo Hispaniarum rege Catholico prædicando, cui deesse posset oratio? Sed ne id hoc loco faciam, tenent me quamplurima. Ac inprimis vita regis ipsa, ne quod virtuti debetur, auribus tributũ esse videatur. Qui enim virtutem colunt, liuori & inuidiæ semper expositi sunt: sed interim tamen eorum finis vitæ, principium laudis & gloriæ est sempiternæ. Tot tantaq; quidẽ optimi & Catholici ipsius regis nomini, correspondentia sunt opera; vt in multis, magnisque aliis, quibus maximam magnitudinem animi declarauit suam, vel tantũ in ipso Belgio, quibusdam auctoribus, quorum consilium malum iis demum factum est pessimum, non dicam profuderit, sed auita in religione, & hæreditate sua tuenda immensos thesauros collocârit. Quibus, si præpotentis Dei gloria salua, vti commodè alibi potuisset, iam haud dubie Bizantii cõsedisset. Sed reliqua persequamur, & quid tã à regis ex Belgio discessu istius, quã ab Henrici Gallorum morte alterius, quod pauco à se differenti acciderat tẽpore, gestum & obseruatu dignum fuerit, memoria repetamus. Ferunt quidem Carolum V. sapientissimum Cæsarem (si variis in vita principum auditionibus fidem habere semper par fuerit) ferunt inquam, vt, si suum dominatum auctum in Italia, si conseruatum in Belgio, si difficultatibus implicatum vellet, in Hispaniis maneret, filiũ aliquando monuisse. Quã rectè nescio. Lusitania quidẽ Philippum in Hispania manentem auctum cerno: sed quanti interim

rim etiam illud, quod à Belgio abfuerit ei conſtiterit, non memorabo. Conſiliis quippè Principum notandis, cauſæ etiam conſiliorum ipſorum exploratæ oportet habeantur. Quod facilùs dictu quàm pręſtitu fuerit. Quare vt ea, quæ ſuprà nos, nihil ad nos pertinere oſtendamus,quę tantū ex eo tēpore, partim in ipſo Belgio, partim in vicinis acciderint oris, ſi corporis nō poſſumus, mētis oculis cōtemplemur.Etenim primū omniū in Galliis,& Allobrogibus contra diuinas leges, & reges excitato motu, tantus in occiduis prouinciis profuſus eſt ſanguis, quātus ab vlla hominū memoria, profuſus fuiſſe nunquā auditur;adeò vt in Franciſci, hoc nomine alterius Galliarū regis, necē ab Vgoniis fuerit conſpiratū.Primū enim ſectarii Deo, mox & ipſius vnctis fiunt rebelles. Itaque primo quidem bello ciuili Gallico, Rothomagum obſidens, occiditur vulgo dictus Nauarreus, paulò pòſt Santandriæ Marſallus,Princeps item Gondæus, & Annas Momerantius, partim interficiuntur, partim verò capiuntur. Cadit & Dux ipſe Guiſius, proditoriè occiſus, de quo grauiſsimum ſuplicium ſumptum eſt à Pultroto. Et omnia toto Galliarum regno fiunt funeſta, & bello, fame, peſte miſeranda. Iam & Angli adiungunt ſe Gallis Vgoniis, & Normannia peruaſtata maritimum quendam portum, vulgo Garziæ appellatum capiunt, nec niſi vehementiſsima eiecti peſte, Galliis excedunt. Non tàm enim citò ad domeſtica venitur prælia, quàm ad prædam direptionemque patriæ accurrunt conuicini. Eadem verò ob vicinum malum inuadit contagio Belgium, fiunt atrociſsima vtrinque certamina, vrbium direptiones, agrorum vaſtitates, & multa magnaq; alia funeſta & exitialia, ſubſequuntur. Neque verò talis, ac tantus inteſtinus motus,lubrica quorundam ambitione, & naufragio patrimonii excitatus, cuius religionis integumento ſecundo populo tabulas ſe ſperabāt collecturos, quatuor clariſsimis regis Hiſpaniarum exercituum ducibus potuit in Belgio tranquillari. Albano Duce primo, mox Aloyſio Requeſano, & Ioanne Auſtrio, ac Duce Parmenſi poſtremo. Vno namque aut altero ſeditionis authore fatuo, complures etiam non ſedauerint ſeditionem ſapientes. Vtinam quidem & in ipſis quæ tàm diu ciuili bello flagrârunt Galliis,ſuprema hæc eſſent vulnera, & Franci maiorum ſuorum more olim victricia in Turcas arma à domeſtico ferant,quamprimùm laniatu.Phœbum diſcutere nubes,& poſt cōmunis impietatis pœnas ciuiles motus, lętiores poſſe ſequi dies nemo ambigeret ſanus. Nam vix nō eodē illo, quo hæc in occidente,in Galliis, Anglia, Belgio geſta ſunt tēpore, cōmutatæ religionis

pœnas dedit etiam in Aquilone Liuonia, & ab anno ſuprà ſeſqui-millesimo quinquageſimo octauo, vſque ad octogeſimum ſecundũ, nunc ſuorum ſeditionibus & proditionibus, nunc externorum Regum & Principum armis perpetuò eſt conquaſſata; quóàd tandem Stephanus Poloniæ Rex, Princeps immortali laude dignus, Moſchouitica ſeruitute fortiſsimè eã nõ liberauit. Quò magis rebus tota Europa ob religionem perturbatis, & nunc hîc, nunc ibi tanti ædificii concidentibus angulis, generale gentium nationumque omnium indicere oportuit concilium, quod aliquandiu quidem interruptum, tandem præſidentibus quatuor ſedis Apoſtolicæ legatis, duobusque item Cardinalibus, præſentibus Patriarchis tribus, vno & viginti Archiepiſcopis, centum & ſexaginta Epiſcopis, auctore Pio IIII. Pont. Max. Tridenti biennio eſt celebratum. Quid verò nauale ad Zelbas Turcis victoribus prælium? quid inter Ericum Sueciæ, & Fridericum Daniæ reges nouennale terra mariq; bellum? quid Maximiliani Cæſaris, Lazaro Suendio Duce contra Ioannem Tranſyluaniæ Principem, & Turcas præclarè geſtas res, & ad Sabbaticam victoriam partam commemorem? quid Moſchouiam longiſsimis itineribus emenſis, à Selimo Turca armis tentatam? quid Gottam ab Auguſto duce Saxoniæ captam, deque imperii rebellibus ſumptum ſupplicium referam? quid de Iula, & Segetho, duobus maximis Hungariæ propugnaculis à Turcis occupatis, & pariter de Maximiliani Cæſaris memorabili ad Iaurinum contra ipſos expeditione loquar? quam vtinam quo feruore cœperat, pari conſtantia continuatam vidiſſemus. Pluribus, quæ inde ſecuta ſunt malis, non modò mea, quæ manca & debilis eſt, ſed vel eloquentiſsimi cuiuſque non reſpondebit oratio. Numeroſos namque in expeditionem ducere exercitus, & nihil memorabile iis præſtare, hoſtem animo & potentia eſt auxiſſe. Taceo eodem ferè propemodum etiam tempore, Sigiſmundi Auguſti Poloniæ regis ingenti cum exercitu, ſed vix non pari cum Cæſareo exitu, ad Radaſzkouicium Lituaniæ oppidum in Moſchum profectionem: mitto chriſtianæ claſsis, poſt homines natos maximum ad Naupactum cum Turca prælium: prætereo regnum Cyprium, cum graui Nycoſiæ & Famaguſtæ excidio, in barbarorum redactum poteſtatem: minora alia, vt Inſulam Chio, poſt ducentorum annorum ſpatium, ex quo Ianuenſium fuerat, Olchinum Guletamque à Turcis occupatam, & Caſpari Bekeſsii cum Stephano rege conflictum non enumero. Feſtinat tandem animus ad infauſta Poloniæ interregna tria. Quæ quantò quibuſdam optatiora, tantò poſtea omnibus

bus fuerunt grauiora. Quæ enim nimiũ appetuntur, constant magnò aliquando. In his quidem regum electionibus, identidem geminandis,quantum non illud regnum tantùm, sed vicinæ etiam gẽtes & prouinciæ tulerint incommodi, nemo non intelligit; propterea quòd nihil Reipub. est infestũ magis, quàm immoderatus vsus & vsurpatio libertatis. Secuta sunt ergò vt dixi Polonica interregna duo, & tertiũ præcessit Sebastiani Portugaliæ regis in Africa cladẽ cum multorum Christianorum millium interitu. Sequutum in Hispaniis Beticum, & Lusitanum, in Polonia Dantiscanum, in Moschouia Polocense, Velcolucense, Plescouiense bellum ab ipso Stephano rege vbique & strenuè administratum. Sequuta in Perside sexaginta Turcarum millium post vrbem Seruan captam, memorabilis cædes, vt alia huic aut paria, aut paulò minora Turcis infelicia prælia taceantur. Secuta denique & præcesserunt alia quamplurima in multis Christianis regnis & prouinciis cum perinsigni eorum nominis & feminis detrimento. Nam quis & in Galliis ad S. Dionysium, ad Moncotorum, ad Druidas, ad Caruacum: in Belgio verò ad Rosbecum: in Frisia, & semel ac iterum Antuerpiæ: in Polonia contra Moschos ad Hulam & Vendenam, contra Gedanenses ad Libischeuium lacum poterit prælia non modò complecti orando, verùm etiam percensere numerando? Vt interim graues aliquot his viginti annis Tartarorum in Polonia incursiones sileam, vt Moschouiam vrbem direptam & incensam, regionemque ipsam longè, & latè peruastatam ab iisdem, prætercam. Vt nihil de Valachiæ, nihil de Bessarabiæ, nihil de Transyluaniæ motubus nunc harum nunc illarum rerum studio, & nunc his euocandis,illis conseruandis Palatinis loquar. Ventum quidem est tandem ad annum octauum & octogesimum, de quo multa multorũ extant vaticinia, siue hoc ille siue futuro Centenario vatũ oraculis prædictus videatur, tametsi vel istius Centenarii menses singuli octogesimi octaui semꝑ vna aliqua memorabili re insigniti sunt, & fuerunt. Etenim & Ianuarius mensis Biczinensi in Silesia conflictu: & Februarius Belgarum motu: & Martius Turcarum in Perside clade: & Aprilis Friderici regis Daniæ morte est perinsignis. Maius porrò Lutetiæ Parisiorum tumultu: Iunius clasis Hispanicę ab vltimis Lusitaniæ oris nauigatione: Iulius Arabũ in Turcas seditione: Augustus nauali pugna: Septẽber deditione Bonnensi: October Hungarica ad Sixũ de Turcis victoria memoratur. Nouember denique armorum in Sabaudia strepitu: & December obsidione Bergensi, & Antistitum atque Ducum in Galliis nece est nobilitatus.

tus. Sic vt tot tantisque rebus rerumque ſpectandis conuerſionibus non pœniteat me dixiſſe, hoc ſexcenteſimum poſt mille quingẽtos decurrẽs ſæculũ, cuius vt memoraui, ann⁹ primus Carolo V. magno Imperatori fuit natalis, præ multis aliis eſſe admirabile. Siue enim bello, ſiue pace geſtas in eo res aliquis conſideret, ſiue clariſsimorum ingeniorum celebritatem,& copiam videat,ſiue nouas & admirandas inuentiones, artes, opificia, oppidorum ſtructuras, arciumq; mœnia, & prorſus incognitas regiones non tàm paſsibus, quàm victoriis Chriſtianorum perluſtratas animaduertat, non dicam in vna & altera vrbe, ſed in toto terrarum orbe non tam rara, ſed planè etiam ſtupenda procul dubio plura deprędendet: vt ſileam ex orbe, quem appellamus nouũ, tantam & tàm variam inuectam eſſe rerum omnium & pecuniarum copiam, quãtam ab vlla hominum memoria conſtat non fuiſſe. Cedant huic centenario ſuperiora omnia ſæcula. Non vt dixi ædificiorum, non munitionum, non ducendorum ſub iis cuniculorum, non ſagaciſſimè bellorum gerendorum ſcientiam cuiquàm alteri concedat. Ecquando quàm hoc centenario primùm ſub Iulio II. Pont. Max. ad imitationem olim Romanæ cœptum eſt ædificari maieſtatis, quando mœnibus & propugnaculis hoſtium quatiendis & diruendis, & magna celeritate conficiendis campeſtribus naualibusque præliis, maiorum & minorum bombardarum vſus: quando Typographica ars ad ſuam veluti quandam perfectionem exactiùs tandẽ peruenit? Ferunt quidem horum vnum atque alterum inuentum etiam ſuperioribus ſæculis viguiſſe: & in orientis obeuntisque ſolis Indiis, quin & in regno Chinæ, aliquid ſimile multò antè quàm hoc ipſo centenario fuiſſe cognitum, aut ſaltem quodammodò adumbratum: præſtantiam quidem eius talem,qualem Europa habet, & hoc ſæculũ vel inprimis tulit, nuſquàm depræhendas. Quin adeò proximo ſæculo, quoties maiores bombardæ debebant in hoſtẽ explodi,voce præconis obſeſſos monitos dicunt fuiſſe, ſibi vt cauere maturarẽt:& neſcio cui Ducũ, quod maioribus bombardis in perniciẽ humani generis vteretur, munus abrogare Venetos voluiſſe incerto proditũ eſt auctore. Qua in re Romanorũ fortaſsè ſecuti ſunt exemplũ, qui à Pyrrhi medico oblatũ reſpuerant dolũ, cũ nec etiã hoſtes ipſos fraude & inſidiis volebant circũuentos. Quarum rerum fides penes auctores eſto: me quidem non modò vox & memoria, ſed ætas etiam deficeret ipſa, huius ſæculi nouis artibus, inuentionibusque enumerandis. Cui enim cuniculorum ducendorum rationem, puluere tormentario munitionibus ab imis

diſiici-

difiiciendis fundamentis folerter fubdendo à Petro Nauarro adinuentam? Cui nauigandi omnium fubtilifsimam fcientiam, qua Hifpani orientis & obeuntis folis vltima, Angli perluftrârunt Aquilonem totum, quàm huic fæculo feramus acceptam? Ac quod primo & pręcipuo loco debebam pofuiffe, religionem auitam in extremas oras numinis prouidentia propagatam. Eft enim res mira, eo maximè tempore, quo refrixit charitas, augenda in aliis pietate, feruentẽ fpectari charitatẽ. Quis deniq; difciplinã militarẽ, in Germania maximè obfoletã, quam Maximilianus Cæfar primus correxit; quis doriphoros, aut eorũ cufpides adinuenit? quis quàm Carolus V. inuictas Hifpanorũ peditũ legiones, vt quãdã firmã, & perpetuæ militiæ haberet officinam, per varia regna & prouincias diftribuit? vt veteranis noui fuccedentes milites ex præfidiorum ftatione, cùm necefsitas poftularet, prodirent in aciem exercitatiores. Vt enim eiufdem matris duo canes, capiendis pari vfu feris, fic nec ipfi quidem fine armorũ tractatione, vel eiufdem gentis nationifùe milites peræquè femper expectationi refponderint. Leuiora alia prætereo, cùm nemini fit dubiũ, minora horologia, varias & affabre factas fclopetorũ rotas, pulueris tormentarii magis exquifitũ vfum, & caftrorũ metandorũ exactiorẽ rationẽ, qua vnꝰ Albanus Dux mirè pręcelluit: excubiasq; ipfas mediis caftris locatas, & ordinũ deniq; ductandorũ modũ rectiùs intellectum, inter huius fæculi inuenta nõ iniurià numerari, nec vnquàm torculatoria inftrumenta, nunq̃ dealbandę cerę, ignotarũ notarum, venationũ & aucupiorũ nouos modos & artificiũ, nunq̃ tibialia fericea, & id genus alia, quã hoc ipfo fęculo aut effe inuẽta, aut certè haberi cœpta præftãtiora. Vt enim equi pernicitas alterius pernicitate, fic ingeniorum fagacitas excitatur fagacitate. Quorum celeritatem & acumen, & difciplinarum nunc inuentarum, nunc correctarum fi fpectes ab iis excellentiam; quis poft veteres illos motum cæli & aftrorum Copernico rectiùs intellexit? quæ vnquam ætas tàm bello, quàm pace viros præftantiores tulit? quæ omnium temporum difficillimas quæftiones tandem feliciùs explicauit? Ac vt viuis relictis, in multis paucos, quorum mors extinxit inuidiam memoremus, & fingularum nationum armis & literis proferamus lumina; quis Ferdinando Confaluo Cordubenfi, quæ eadẽ vrbs tot illuftrium virorũ Lucani, Martialis, Senecæ fuit mater; Cordonio, Leua Alarcone, Albano Duce, Ioanne Auftrio, Aloyfio Requefano, clarior in Hifpaniis Dux belli fuit, aut effe potuit? quis in literis Vega, Paina, Aloyfio Granatenfe, Didaco Conaruina, Nauarro, Oforio, inter

Hifpa-

Hiſpanos magis excelluit? Italia verò ipſa, quã fuerit ſemper virorũ in armis & in literis præſtantiũ ferax, quis ignorat? Neq; tamẽ poſt illos veteres Decios, Horatios, Scipiones, Cæſares, vel Pompeios, quã hoc ipſo Cẽtenario, Triuulcio, Piſcario, Aluiano, Proſpero, & Fabricio Columnẽſi, Marchione Vaſtio & Ferdinando, deniq; Gõzaga, & Guidobaldo Vrbinate, demũ etiã Philiberto Duce Sabaudię bello duces clariores prodierunt. Quibus rurſus varia & recõdita eruditione Caietanũ, Bembũ, Sadoletũ, Alciatũ, Bonamicũ, Sigoniũ, Robertellũ, Onuphriũ & alios plures cõſtat reſpõdiſſe. Sẽp enim laurea comitata Muſis, & toga ſepta armis magis refulget. Quid verò Germania? An vt in omni omniũ ætatũ memoria magni nominis habuit bellatores, Fraunsbergio, Rogendorphio, Comite Salmio, Felſio, Suendio, Rubero, Forensbergerio alter fuit noſtro æuo excellẽtior, vt breuitatis cauſa alios omittamus. Literis verò Ecchius, Staphilus, Caniſius, & alii in Germania eodẽ ſæculo etiam claruerũt. Age, an & Galli armis & literis excellentes eadẽ tẽpeſtate inter ſe multos nõ numerant? Ac in his primo loco, quẽ fulgur belli appellabant Foſſeium Momeranſios patrẽ & filium, Guiſios Duces, & Bellegardum Marſallum, quorum viciſsim in literis pares Budeus, Tornebus, Duarius, & Genebrardus recenſentur. Quid Angli? An tàm bellicę quàm & ſcientiarũ nõ fluruerunt ſemper gloria? Hoc tamẽ Centenario Ioannes & Iacobus Geraldini in armis, in diſciplinis Ioannes Roffenſis, Thomas Morus, & Cardinalis Polus, non ſolùm Angliæ ſed etiam noſtri ſæculi lumina, tenuerunt principatũ. Quid Hungaria lacera, & afflicta? nonnẽ Nicolao Zrenio, Georgio Thuri, Petro Edoardi, Paulo Iſtuanffi, Franciſco Torek, Thoma Nadaſdi, ſtrenuis bellatoribus: eruditis verò iuris Nicolao Olao, Antonio Verantio, Georgio Praſcouicio, Stephano Radſcio, Sigiſmundo Thorda, Ioanne Sambuco nihilominùs gloriatur? Difficilè enim eſt vbi claſsicum canitur, canere pariter & Muſis, otii & tranquillitatis amicis. Bohemia armis Stephanum Slikium, Carolum Zerotinum: literis Boguſlaum Haſenſetnium, Sigiſmundum Galenium, Ioannem Dubrauium, Cyprianum Leouicium habuit memorandos. Polonia poſtremò non tàm quidem publicis literarum monumentis claros, quàm in omni ætate perilluſtres ſortita eſt bellatores. Hac tamen tempeſtate vtriſque excelluit, & neſcio ſi Conſtantino Oſtrogio felicior, ſi Comite Tarnouio prudentior, ſi Senauio vigilantior, ſi Meletio animoſior, ſi Nicolao Radiuilio liberalior inter Polonos & Lithuanos fuerit Imperator; cùm pariter & literis claruerint, doctrinamque & ſanctimo-

niam suam variis scriptis æditis testati sint quàmplurimi. Ac in his, quis Cardinale Hosio sanctior? quis Martino Cromero doctior? Orichouio eloquentior? Patricio elegantior? Gorscio laboriosior? Sokolouio facundior reperiatur? De aliis gentibus & nationibus, quorum in hoc genere laudis & gloriæ non peræquè viguit industria, taceo: neque de rebus vel aliundè hoc sæculo in has oras importatis, vel in iis inuentis & excogitatis loquor: non denique, quod suprà etiam dixi, auri & argenti auctam Indica nauigatione copiam commemoro, non fruges, non ligna, non medicamenta varia allata, refero: non de opibus & potentia vrbium, non de vestitu inusitato aggrestiũ, non de splendore & ornamentis nobiliũ, non de magnificentia Principum verba facio: postremò nec ipsa pretia agrorum, in quibus tamen nec flumina piscibus, nec syluæ feris, neque terra respondet præteriti æui frugibus, exaggero. Vnũ tantùmmodò illud dixero, multarũ rerũ nunc inueniri, nunc etiam nos deficere copiam, & tamen manere insaturatam libidinem: & in eo tandem gradu constitisse iam omnia; vt cùm suprà non queant, breui infrà futura sit credibile, & eum venturum, qui vt in summa pace, sic eum qui in maximis bellorum procellis est nascẽdus, gladio oris est occisurus. Cuius interim prodromo authore Mahomete, quantũ Christianæ gẽtes & nationes calamitatis patiãtur, perspicuum est. Cùm verò eius assertor Turca tantum, quantum audimus habuerit in Perside cladis, & domi demùm suæ iam experiatur seditionis; quid ex hac quoque Europæ parte eum non vrgeamus? quid tot tantisque inuentionibus nouis gloriemur? & id quo pacto barbarorum liberemur metu non inueniamus? quid tot tantisque amissis, & hanc amittamus occasionem? Motuum quidem in Christianis sedandorum, cum externis gerendis (vt plerunque fit) bella cessent domestica; sed vel eo etiam magis Turcicæ labefactandæ potentiæ; cuius si (vt aliâs fecimus) capiet nos obliuio, ille quidem sui maiorumq; suorum instituti memor, breui nec opinantes nos aggredietur, &, quod Deus prohibeat omen, in cruore & cinere nostro exultabit. An verò non satis superque constat, quanta his proximis, non iam annis, sed mensibus subsequuta Constantinopoli sit seditio? cũ Beglerbegũ Græciæ, & quęstorẽ Turcicũ concitata multitudo morte mulctare, Cæsare inspectante minimè dubitauit? Quẽ etiã ipsum casum, paulò pòst atrox vrbis incendiũ est subsequutũ. Rara harũ rerũ aliqua in hostes opportunitas temporis, Dei ergâ nos propensæ prænuncia est voluntatis. Nobis autem, quid obsecro ampliùs Deus Opt. Max. conce-

det,ſi tàm opportunam,& tàm neceſſariam occaſionem neglexerimus, belli in Turcã maturandi? Enimuerò eum nobis parſurum, ſit incredibile, qui tot reges, & regna, tot gentes atque nationes inſidioſo ſuo fœdere, ceu quodam laqueo, variè & perfidiosè diſperdidit. Habemus adhuc Auſtriacæ familiæ potentiam tantam, quanta proculdubio eſt Turcica: & rurſus moderationis animi & benignitatis non iam adumbrata, ſed expreſſa veſtigia quamplurima. Sic, ut ſi adeò etiam Turcicum penitus debellarent imperium, de oppreſsione in alios graui & intollerabili Auſtriacorum aliquo dominatu ſolicitos eſſe (vt faciunt) quoſdam, non neceſſarium videatur. Sæpiùs namque in præſtantibus familiis maiorum exemplis corroboratam & continuatam virtutem, quàm Neronis quinquennia in peius mutata licuit numeraſſe. Cuius rei, vt in multis & magnis, pauca tantùm exempla proferam. An Carolus V. qui tamẽ ipſe vt bellator, & armipotens potiùs eius, quæ cum Marte nihil commune manſuetudinis habet, expers eſſe non ægrè credi potuiſſet, Saxoniæ Duci, & Landgrauio Heſsiæ non pepercit, qui eum imperii gubernaculis priuare, ac ne titulo quidem Cæſareo dignari ampliùs velle, non modo animis, ſed etiam diſsidentes ab eo caſtris apertè ſpectabantur? Quid verò Ferdinandus tùm temporis Romanorum, Hungariæ, Bohemiæque Rex, poſtea verò Imperator, an pro Hieronymo Laſco, Budæ à Ioanne rege eius æmulo detento, in cuius ille gratiam Solymanum Turcam ad Viennæ mœnia duxerat, non ſeſe apud eum interpoſuit? & an pro eo liberando nõ plurimum laborauit? Quid poſtremò de Maximiliano ſecundo Cęſare dixero? qui an Henricum III. Galliarum regem, cui in petitione Polonię regni cum Erneſto eius filio ſumma fuit æmulatio, ex Polonia ad ſe venientem comiter, humaniterque non habuit? non donis muneribusque eum ornauit? non filiis etiam ſuis in iter concomitantibus honorauit? quem ego ipſum Maximilianum dicentem audiui aliquando, cùm nũ tantũ tamq; paucis comitatum hoſpitem apud ſe videre ſperauiſſet, interrogaretur, Et vidi, inquit, & eo quo par fuit honore habui, cùm ille totũ meæ concrediдiſſet viciſsim ſe poteſtati. Magnificam profectò vocem, & magno Cæſare dignam, quem non tàm quod liceret, quàm quod deceret ſummis quibusque regibus cordi eſſe debere teſtabatur. Atque hæc videlicet rara & virtutis exempla ſunt admiranda; vt de tot tantisque aliis, quæ ceu quodam in ſpeculo in hac relucent familia, hoc loco taceamus. Sed nimirum luſcus oculus næuos cernit potiùs, quàm aliqua alia in corpore pulchriora. Vnde communi ſermone illud

tritum,

tritum in prouerbii abiit consuetudinem, nullam esse inuidiam quàm virtutis & felicitatis acriorē. Quæ cùm senescente hoc mundo, in Austriaca familia, occulta quadam diuinæ voluntatis lege, summa appareat, & si inuidi, & maleuoli non obstarent, Turcicæ rabiei & cupiditati haud dubiè finem modumque imponeret: non desunt tamen Christiani ii, si tantùm eo nomine sunt digni, qui si alterutrum eligendum esset, mallent fortasse Turcæ, quàm Austriacorum regum augeri potentiam. Vtinam quidem etiam ita ipsis eueniat, vt benè merentur de Repub. Sociis enim debilitandis fortioribus, fit barbaris gradus in omnium nostrum viscera ad vlterius fidentiusque penetrandum. Neque verò dubites magnis & tyrannicis imperiis, aliud aliquid ceu obicis cuiusdam loco poni & obiici oportere; quàm & magnis viribus, & moderati rursus imperii reges; vt quantum vel ipsa recordatione tyrannis homines non modò animis, sed ipsis adeò corporibus perhorrescunt, tantū moderati spe & expectatione vnius iusti magis alliciantur principatus. Malè quippè curatum est semper, quod à multis curabatur. Ad pacta & bellorum fœdera inter se firmiter obseruanda, adamātino illo sanguinis, vel arctissimæ necessitudinis nexu, est, fuitque semper opus. Dispari genere & semine reges vel ad tempus aliquod fœderū societate colligati, vix memorabile quid præstiterunt. Contrà verò, vnius capitis belluā, non multis caudis bellū indiget sociale. Cuius sex potissimū sunt leges: prima de ærario, de mortuorum beneficiis altera: de sortibus tertia: quarta sit lex epularis: quinta de sociorum belli clientelis: sexta de coloniis nouis. Quarum promulgatarum auctoritate necessariam pecuniam Christianorum Ducibus minimè opinor defuturam. Cogitate interim, quàm vera sint omnia, quæ dico, & reuoluentes animo cunctarū gentium nationumque historias, quantum sanguinis & arctæ necessitudinis sit vinculum, ad feliciter ordienda continuandaque & tandem etiam terminanda bella, vobiscum ipsi considerate. Nam vt duntaxat recentiora exempla proferantur, quæ etiam ipsa, haud scio, si non commouerint magis. Quid olim illud inter Carolum Cæsarem, & inter Venetos ictūm in Turcas fœdus habuerit firmitatis, satis constat: & quid denique & alterum inter Philippum Hispaniarum regem, & eosdem Venetos postremò percussum. Præterita quidem ætas magistra sit subsequentis. At verò, cùm ad eos est ventum, qui sanguinis & necessitudinis inter se vincula aliqua habuerunt, quàm firma fœdera, & bellandi fuerit societas iis rata, vobiscum ipsi recordamini. Nam, vt ab iisdem Austriacis non rece-

 damus,

damus, enimuerò ignoratur, quàm Ferdinandus rex Romanorum, Carolum V. Cæſarem ſuum fratrem bello Saxonico, contra Ioannem Fridericum Ducem, opportunis Hungaricis auxiliis, à quibus tandem & ipſe Dux captiuus eſt factus, ſubleuauit: & quàm ei viciſsim Bohemicis tumultibus gratiam Cæſar ipſe rependit, cùm Marchionem Marimani cum ſelectis Hiſpanorum Italorumque aliquot cohortibus Pragam miſiſſet. Celeriter enim ſeditioſi opprimendi ſunt motus, nec vel minimum ſpatii dandum eſt coniuratis. Quod cùm vel in bellis aliis, minoris ſanè momenti & periculi olim valuerit; quanto toto animo, & viribus incumbendum eſt vehementiùs in hoc bellum Turcicum Chriſtianis; vt ſi adeò nullus ſanguinis & neceſsitudinis iis eſſet nexus, ſolùm religionis vinculum, ſeruando ſemel icto fœdere, ſatis ſuperque nos animaret. Præſtat enim in communionem temporum ſe ſuaque ſociis dare, quàm vel aridis foliis Turcis dominis triumphare. Sit, fueritq; ſemper, maximis viris in magiſtratu poſitis, à ſe ſuisque arma auertere: nec ſatis iis fidere, à quibus aliquando nobis non minùs quàm à furore Turcico immineret diſcriminis; ſed tamen, qui Chriſtiani dici & haberi volunt, in tanta vicinorum miſeria, qui nõ fecerint officium, quãlibet ſingulis eſſet pereundum. Tyrannũ naturâ odimus, & in ſocietatem conſilii, fraudené an virtute, non requiras, è medio tollendi, tanquàm in equum Troianum non inuiti permittimus nos intromitti. Qui id non faciant pro aris & focis, pro ipſa ſui ſeruatoris religione & gloria, iuſtè indicto & denunciato bello, omnes certatim Chriſtiani? Nam vt Hungarorum hoc ferè ducentorum annorum Turcico in eos bello paruæ admodùm factæ videantur reliquiæ; quid & adhuc illæ valeant, & quantum tot tantarumque aliarum Chriſtianarum gentium reſtet robur; & quid nunc hæc, nunc illa, bellando habeat adiumenti, pauliſper expendamus: ſi ſerio aggredi rem, & vna alteri natio ſeruare fidem icto ſemel fœdere, & interpoſito iureiurando, aut certa aliqua cautione haberet apud ſe perpetuò conſtitutum. Quid enim Italo longè præſertim à patria diſſito eſt fuitque ſemper bellicoſiùs? quid ad Statariam pugnam Germano firmiùs? quid Gallo primo impetu validiùs? quid Polono animoſiùs? quid Sueco inediæ patientiùs? quid Anglo armis celeriùs? quid Scoto ſolertiùs? quid Dano robuſtiùs? quid Moſcho munitionibus defendendis obſtinatiùs? Et quiſquàm dubitabit tot tamque præſtantibus, quæ adhuc liberæ ſunt, gentibus, illæ in ſeruitute natæ & educatæ nationes, quàm longè ſint inferiores, & quàm exanguis Arabs, nudus Afer, imbellis Aſiaticus, ineptus

Syrus

Syrus, degener Macedo, luxuriosus Græcus, periculosissimè his opponantur? Vt enim publica munera plus vel minùs quibus conferuntur idoneos; sic rerum gerendarum occasiones illustrant bellatorum, vel obscurant nomina, & ipsas vniuersas nationes. Quo magis orientalibus deuictis, C. Cæsar, veni, vidi, vici, aliquando ipso de se prædicauit. Sunt enim Asiatici, vt plerunque fit, effœminati populi: Europei omniũ maximè bellicosi; quorũ cõtra, vt alicui etiam parti Turca dominetur, vel id quidẽ vnũ quòd dominatur, ad illud inuictum animi robur, quo & consilio omnia in bellis gubernãtur valde est infestum; nec aut recto vsu, aut exercitatione bellandi, aut armis, aut castrensi disciplina, aut quolibet bellico apparatu possunt Christianis respõdere. Europei deniq;, omnes illi Alexãdrini, Pyrrhi, Scipiones, Cæsares, Pompeii, & alii duces fuerũt, qui orbem terrarum nominis sui impleuerunt gloria. Quid? quòd & Romani ipsi rerum domini, non aliis quàm Europeis populis tot gentium atque nationum facti sunt victores. Ipsum denique Alexandrum, non pluribus, quàm aliquot & triginta bellatorum millibus, orbem terrarum suo subiecisse imperio accepimus. Germania verò omnium prouinciarum amplissima, & haud scio, si non & ditissima, quæ tot atque tantis aliis nationibus militem subministrat: Italia, quæ Romanæ olim virtutis hæres & æmula est: Hispania, quę plura his centum annis, quàm Turcia præstitit, tercentis: Polonia, quæ tot equitum & nobilium numerat millia: Moschouia, quæ cum Asia toties certauit, aliquid memoratu dignum hac in parte coniunctim non facerent? non barbaricæ seruitutis iugum à ceruicibus suis depellerent? non Turcas & Tartaros ab his, in quibus nunc sunt sedibus, longiùs amouerent? Sed expedit quidem nullã ampliùs belli contra Turcam gerendi, occasionis expectare tarditatem: neque præstolari, vt quod hactenus fecit, nunc populo aut principe isto armis perterrefaciendo, nunc ad tempus illo fœdere vinciendo, nunc ancipiti contentione distrahendo vno, nunc aggrediendo altero, omnes tandem spoliet libertate. Ferunt eundẽ illum, quem superiùs etiam memoraui Alexandrum (libenter enim in iisdem, & præsertim claris, perstamus exemplis) ferunt, inquam, in bellum profecturum, non plura quàm septuaginta talenta in militum stipendium, nec nisi pro triginta diebus secum accepisse cõmeatus. Quorsum verò Germaniæ tot erunt pecuniæ? quorsum opes & magnifica suppellex Italiæ? quorsum ex occidente tantum auri Hispaniæ? quorsum tot tantique commeatus, quæ horreum occidentis dicitur, Poloniæ; si in rem tàm, quàm est bellum Turcicum,

cum neceſſariam, aut ſumptuum eos pœniteat,aut commeatu deſtituantur? cùm ad debellandum terrarum orbem Alexander Macedo ferro omnia hæc habuerit viliora. Vt enim neruus bellorum vulgo dicatur pecunia,ferro geritur res: & vbi nauus, horridus, lacer miles amatur; ibi hoſpes pecunioſus & ſplendidus ſpoliatur. Benè denique agitur de Centenario, cuius numerus denarius veluti quidam cautor periculi eſt imminentis. Age, quantæ venationibus otioſis, quantæ ad luxum, & voluptatem epulis, quantæ ad ſuperbiam veſtibus & gemmis temerè pecuniæ impenduntur? Colligendis interim in Turcam copiis,pecuniæ nobis deeſſent aut commeatus! Abſit hoc tantum à nobis dedecus Chriſtiani nominis atque ſeminis. Sit monetalibus pecuniæ cura, & præneſtinis (ſi tollerandi erunt) commeatus. Careant verò omnes omnibus rebus,qui in bello tàm glorioſo & neceſſario proſequendo, digno ipſis ſe animo tandem caruerint. Quid? An ſi hoc tantum peſtilentiæ,ſeu in venis & in viſceribus Europæ incluſæ, vel quàmprimum noluerimus extirpare, in graue cuncti non deueniamus diſcrimen? Senſim quidem ſine ſenſu pericula augentur: ſed cùm vires ſumpſerint, difficillimè iis prouidetur. An verò alicui fuerit dubium,quantum non modò Chriſtiani, quorum talium operum merces in cælis eſt ampliſsima; ſed prophani etiam illi, ac à veri Dei cognitione homines remoti, dubiis temporibus ſuorum iuuandorum fuerunt cupidiſsimi? Fabius Romanus pro captiuis recuperandis hæreditatem ſuam vendidit. Gotifredus Lotaringus in Aſiam contra Saracenos profecturus,vendito patrimonio, pecuniam in militem ſecum ducendum corrogauit. Quid horum etiam aliquid hodie non fieret? à tot tantisque Chriſtianis opulentiſsimis regibus, atque principibus? qui quidem non iam vendendis principatibus, ſed minuendis duntaxat cupiditatum ſumptibus, magna hac in parte, & glorioſa multa præſtarent, neque (vt opinio mea fert) vlla alia magis re, quàm vel hac vna & facili, nomen & genus nobilitarent ſuũ; & tũ ſibi, tũ poſteris perpetuũ otium tranquillitatemque afferent. Multi enim multarum bonarum rerum auctores ſunt grati; ſed nulli quàm publici otii & quietis gratiores. Sed hæc fortaſſe optaueris, quàm ſperaueris potiùs; cùm vnus tantùm ſpectet alterum, & nemo, ſi vel maximè queat, operi admoueat manum; vt nõ multo omnes diſsimiles muribus,qui catto alligare volebant ſonos; ſed ad id præſtandum præ aliis volebat primùm vouere ſe nemo, videantur. Plures enim ſemper conſilium dare, quàm in ſe periculum viſi ſunt aſſumpſiſſe. Vetus autem eſt verbum, bella fama

conſtare

conſtare ſemperque conſtitiſſe, & audaces raro eſſe infelices. Quis igitur dubitet, ſi vnus alterué potentiorum principum Turcas ſerio aggrederetur, plures ſimul gentes atq; nationes, tàm quidẽ eas, quæ ipſis ſubſunt, quàm & eas, quæ talem iam pridem occaſionem offerri ſibi cupiunt, non tam mercede conductas, quàm pietate Chriſtiana excitatas, & bonæ ſpei plenas, arma ſumpturas, & illis Principibus ſe coniuncturas? Semper enim potentiorum opibus multi inhiant, ſed maximè tyrannorum. Pauci Gotti illi initiò fuerant, qui ad debellandam Romam, & in ſanguine Romano aliorũ vindicandas iniurias mare traiecerunt: ſed non tàm quidem citò tranſmiſſum ab iis eſt mare, quàm infinita multitudo ad eos confluxit; & non modò Romæ, ſed in multis etiam aliis regnis & prouinciis nominis & armorum Gotticorum terrorem propagauit. Quid? an non proditum memoriæ eſt, debellato oriente, Babylonem reuerſum, Alexandrum magnum, omnium gentium, etiam earum quæ ipſius armis domitæ non fuerant, legationes apud ſe habuiſſe? Quod & Carolo magno Cæſari bellis memorabilibus confectis ſcribunt quidam accidiſſe Aquiſgrani. Quid verò idem ſibi euenturum ipſi etiam Chriſtiani non ſperarent Principes? ſi vel ſemel in viſcera Turciæ ingreſsi, Conſtantinopoli potirentur. Eſt enim veluti quædam ſatietas rerum, & veterum dominiorum, omneſque tandem vel inuiti, ad nutum ſe accommodant ſemper, victoris. Equidem ita ſtatuo, Boſphori & Propontidis fauces, non tàm claſsẽ ſuperare facilè poſſe Chriſtianã, nec tàm triremes occiduas Tyriis vel Alexandrinis ſe oppoſituras; quàm omnes Ægei, Adriatici, Auſonii, Tyrrheni maris populi à Turcis deficerent, & Chriſtianos in Turciã venientes cũcti libenter adiuuarent. Nõ tàm denique per Valachiam Polonicus, per Hungariam Germanicus, per Epyrum & Macedoniam Italicus exercitus citò proficiſceretur; quàm Daces, & Valachi, & omnes Danubii accolæ, quàm Raſcii & Epirotæ auidè occaſionem arriperent recuperandæ libertatis. Amiſſo enim, quàm poſſeſſo, quid iuris ſui ſit eſſe, faciliùs exploramus. Conſtans in hanc vſque diem multorum eſt opinio, ſi poſt Naupactanam de Turcis victoriam, Chriſtiani rectà petiiſſent Byzantium, eo procul omni dubio potiri potuiſſe; vt ſicuti nauale, quod Antonius, & Cleopatra eodem in freto ſuperati ſunt, prælium, bello Romanorum inteſtino finem impoſuit; ſic & illa clades earum calamitatum, quæ nos adhuc à Turca manent, finem feciſſet. Magnus quippe vbique aduentantis terror eſt hoſtis; ſed in Turcico tyrannico imperio maximus eſſet victoris. Sed vereor

quod

quod olim Maharbal, à Cannensi pugna, suo Annibali dixerat, ne idẽ etiã nobis dici posse videatur, quòd videlicèt vincere sciuimus, verùm victoria vti planè nesciebamus: aut verò, quòd fortè etiam exercitus noster à tàm horribili post hominũ memoriam conflictu, nouis indigebat supplementis. Nemini namq; tàm feliciter vnquã cesſit victoria; vt etiã suos in ea aculeos Mars nõ reliquerit. Quæ ego vel propterea tantùm commemoro, vt recensendis præteritis, tales in posterum errores semper vitemus, & studia occupationesque nostras non in luxu,& voluptate, sed in perseuerantia, & labore, parta etiam victoria, collocare minimè dubitemus. Nihil enim in bellicis rebus firmum & stabile est, antequàm integrè fuerit debellatum. Et quæ olim Pœnis Capua à Cannẽs. pugna luxuriæ prębuit exempla, metuo ne Neapoleos Hispanis post Naupactanam rursus præbuerit irritamenta. Alacriùs namque vitiorum sequimur & exprimimus vestigia, quàm virtutum aliis etiam imitanda relinquimus exempla. Quantum autem non tantùm in assequendis, verùm etiam in continuandis victoriis sit positum, nemo non intelligit, qui habet nõ modo iudicii aliquid,verùmetiã sanitatis.Cũ enim secundas quàm aduersas ferre res difficiliùs semp fuerit, tum nimirũ in victoria, quæ naturà superba & insolens est, difficillimũ. Quo magis hoc vel inprimis Turcicum bellum consideratè,& cum magno apparatu est ordiendum, fortiter gerendum, & constanter prosequendum. Belli enim cum Turca administrandi lapsus, aut ipsa morte, aut æterna constiterint seruitute. Iam quidem Christianorum olim Ducũ & militum tantus erat ardor in hostes religionis excitatus, vt nec venti,nec remi (quod aiunt) eis satisfacerent: & vel Alexio Constantinopoleos Cæsare obstante, longisſimis itineribus emensis, terra marique, in Asiam penetrarent. Nos verò qui domi, & quasi præ foribus hostem habemus, quid tandem impediat? nisi fortè, quod tamen suspicari non possum, ipsimet Christiani. Qui si hoc facerent, à communione reliqui corporis, tanquàm putida, & sanguine carentia membra meritò abscinderentur; vtpote quæ indigna suo se capite Christo esse, vel hoc ipso facerent non obscurè cunctis testatum. Etenim nec opes & dominationes, neque vllius dolor iniuriæ debet esse tanti, vt Christiani nominis & religionis horum causa reddamur, & appellemur desertores. O beatum Pont. Max. quo Duce & auctore bellum hoc decerneretur: beatos reges & principes, quibus hæc tanta victoria nobis diuinitus daretur: beatos militum præfectos,& milites ipsos, quorum auspiciis, & manibus pararetur. Est in æterna memoria

Vrba-

Vrbanus hoc nomine ſecundus Pont. Max. & Bernhardus Clarauallenſis Abbas, Doctor mellifluus, qui in Clarauallenſi concilio, belli in Sarracenos ſuſcipiendi, piiſsimi fuerunt auctores. Gratum eſt Conradi Sueui Imperatoris apud poſteritatem nomen; quem in Sarracenos profectũ nõ hoſtiũ potentia, ſed Græcorũ impediuit verſutia, qui commeatus nomine, gipſum loco farinæ dabant, & Latinorum felicitati in Aſia inuidebant. Nõ enim obſcurus Chriſtianorum in alios eſt liuor: ſed tanto etiam grauior ipſius eſt fætor. Poſtremò ad aſtra ipſa Beldauinus fertur, Hieroſolymitanus rex quartus, qui rebus præclarè contra Sarracenos geſtis, & fugatis ad Aſcolonem Saladini copiis, longè lateque in Aſia imperauit. Nec verò & de Ludouico Sancto, peſte in Aſiatica contra Sarracenos expeditione extincto; non de Vladiſlao ad Varnam Polono, non de Ludouico eiuſdem ſanguinis ad Mochaczum à Turcis interfecto, vlla obmuteſcet vetuſtas. Acriores quippè ea bella radices agunt, quæ pro Chriſti gloria, & publica omnium tranquillitate gerũtur, quàm vt obliuione poſteritatis facilè obruãtur. Iam verò, nec ipſa Turcica potentia tanta fuerit, vt inuicta alicui videatur: & quid nos tantopere bellum illud terreat, quod volentibus nolentibus tandẽ aliquãdo neceſſariò eſt perferendũ. Qui enim id feceris inuitus, quod facere debes tandem coactus? Iis denique Turca ſit terribilis, qui eius vires & potentiã, opinione magis, quàm ipſa re metiuntur. Habuerunt fateor, peccatis noſtris exigentibus, multũ felicitatis in Chriſtianos Ottomani: ac vt prætercam ſuperiores alios, nonné prodigii cuiuſdam loco propemodum videbatur vnũ illum, qui cepit Conſtantinopolim, Mahometem, duo imperia, duodecim regna, viginti ſex prouincias, ducentas præmunitas vrbes, Ottomanorum imperio adieciſſe, Selymum, Soldanum Ægypti & Mamalucos debellaſſe: Solymanum Rhodum, & magnam Hungariæ partem poſſediſſe: Selymum alterum Cyprum occupaſſe. Et tamen iſta omnia, nonné Chriſtianorum inter ſe diſcordiæ, quàm Turcicæ adſcripſeris potiùs potẽtiæ? Paruis certè rebus, magna cõſenſione fit acceſsio: & grandiũ, ſubitus diſcidio eſt interitus. Quod vt in noſtris, ſic haud dubiè in Turcicis patere iam rebus, rerumq; conuerſionibus, quas à Naupactana Chriſtianorum de iis victoria videmus non obſcurè inclinare. Nam vt pater iſtius homo ebrioſus, & fuerit penè nihili: ſic & Amurathes filius non multò eò eſt præſtantior; vtpotè, qui voluptatibus deditus, exercitum ducere in expeditionem ipſe perrarò aut nunquàm voluerit; & ſi adeò etiam voluiſſet, per valetudinem non potuerit. Quo ipſo purpuratis &

prætorianis ferè omnibus contemptui eſt atque odio. Præcipuos militiæ præfectos amiſit in Perſide:infinitam Tartarorum multitudinem equitatui Perſico temerè toties obiecit: ærarium Conſtantinopoli exhauſit: & noua iam clade à Perſis accepta, iis omnibus, qui vel minimum ſtipendium merentur, militiam imperauit. Quãdiu id facturus ſit, neſcio. Sed illud quidem video, præter incertos valetudinis exitus, talium non diuturnos ſolere eſſe principatus. Et vt benè proſpereq́ue geſtas res, regum & principum felicitati; ſic aduerſos prœliorum exitus infelicitati & ignauiæ ferri acceptos, & militiam pecuniamq́ue crebrò imperatam, odium & tumultus in vulgo ſæpiùs commouere. Otium namque multitudo cupit: ſed parando interim otio, odit pecuniarum exactores. Ac ne multa, deeſt conſilium domi, foris languet barbaris animus: & tàm in purpuratis duces, quàm in prætorianis veterani milites, & denique in ipſis adeò Ottomanis priſtinæ virtutis æmuli, deſiderantur Imperatores. Omnia torrentis præcipitantur inſtar; quia & imperium quidem totum,Mahomete ipſo teſte, breui eſt præcipitandum. Ac ſicuti æger mortiq́ue proximus homo, non vno aut altero (vt plerunque fit) morbo laborauerit,ſed accumulantur,qui eum tandem emori faciant quàmplurimi;ſic & regna ſiue imperia, cùm ſemel viribus deſtitui cœperint, vel opinione celeriùs ad exitiũ deuoluũtur. Sunt enim vt in mortaliũ ætatulis,ſic & in regnorũ temporibus ſua pueritiæ, ſua adoleſcentiæ, ſua virilis ætatis, & ſua deniq; ſpatia ſenectutis.Sed fac in Turcia horũ ſpectari nihil,fac nihil deſiderari,nil requiri,quę ad ducẽdos in expeditionẽ exercitus, ad tuẽda ſua, ad infeſtãda aliena pertinerent, pares ſuperiorũ temporũ Turcicas eſſe vires, exercitatas copias, inuictas Prætorianorũ legiones, gazã immẽſam, innumerabilẽ Aſiaticũ exercitũ,florẽtẽ in Hũgaria equitatũ.Nõ audiẽdos eſſe eos,qui vel hoſtiũ extenuãt,vel noſtras vires verbis exaggerãt:qui,quod dici ſolet,in prœlia inermes ex triclinio educũt in aciẽ molliores; nec ſatis animaduertũt, quã parũ ſit fidei in amicis, cõſtantiæ in ſociis, firmitatis in ictis fœderibus, diſparitatis in pacatis & perturbatis tẽporibus: & quã deniq; pars maior opprimat ſæpè minorẽ etiã meliorẽ. Quid? An verò & iam fœderũ inter Chriſtianos conſtanter ſeruatorũ exempla defuerint? & an magnũ hoſtiũ numerũ paruis interdum copiolis nõ audiuimus profligari? quod ipſum vel eo etiam in Turcas magis ſperaueris,quo maior,& magis incõdita paſsim in exercitib⁹ eorũ occurrit multitudo. Non enim raró ſeipſos impediunt, quàm adiuuant multi vehementius, & primis ſecundiſue ordinibus perruptis, non

non vſque eò frequenter ordines redintegrantur. Itaque, qui prudentiores ſunt, niſi exploratam & quaſi in manibus habeant victoriam, vniuerſam rem vnius prælii exitui ægrè committunt. Quod contrà Turcæ non inuiti faciunt, quò faciliùs etiam profligantur. In Stataria enim pugna, ordines ſeruati, quod in Turcia ſecus videas, & milites armati valuerint plurimũ; cùm vel minimis etiam rebus, ſolis radiis infeſtis, locis decliuibus & luteis, aut non rectè diſpoſitæ copiæ, voces à præfectis militum ambiguè prolatæ, vel perperam à militibus intellectæ, omnem ſæpè facultatem incidant hoſtiles acies ſuperandi. Sic vt & noſtra, & auorum noſtrorum memoria, temeritatis ſuæ barbari ſæpiùs dederint pœnas; & quoties aperto Marte pugnatum eſt, non diu tulerint Chriſtianorum copias ſibi infeſtas. Sic Scanderbegius, ſic Ioannes Hunniades, ſic plures quam ſubitò cõmemorari poſſent, retulerũt de iis victorias: ſic Huniadis filius Matthias Hungarię rex, Budã ſuã, nõ ſecus ac perpetuã quandam in Turcas militiæ habuit officinã, ex qua cõparatis exercitibus hoſtes vincebat. Sic & noſtra ætate clariſsima illa ad Naupactum obtigit victoria; vt quantus Turcarum numerus Taurinenſi, Rhodio, Viennenſi, Melittæ, Segeti, Famaguſtæ, & nunc Perſicis bellis perierit, taceamus. Scitur quidem optimè, quòd armis tractandis idonei viri non peræquè quàm pereunt facilè adoleſcunt, & quòd omnia bella, tanquàm quædam nundinæ mortis & mercatus ſunt, quæ vna & altera die tot diſperdunt, quot multo longioris ætatis ſpatia vix aliquando parient & congregabunt. Quę omnia, vt ſe reuera habent, peruelim intelligas: & tanta tot hoſtium fama, atque potentia, à rebus contra eos gerendis non retardêre. Nam ſi hoc adeò ſpectaueris, ne ad tantum tamque locupletem tyrannum ſuperandum imparibus viribus rem aggreſſus, in medio quod aiunt curſu, neceſſaria requiras; ſolusné Turca fuerit, qui numeroſos exercitus ducat in expeditionem? Annis ab hinc circiter quingentis, in Calcedonia luſtrato exercitu, ſexcenta peditum & centum equitum Chriſtianorum millia ſunt numerata: quæ demũ Sarracenos Hieroſolyma expulerunt. Sigiſmundus verò Imperator, idemque Hungariæ & Bohemiæ rex, ſcimus quoties, quãta, & quàm ſelecta auxilia in Turcas habuerit ex Germanica, Gallica, Polonica, Boëmica, & Hungarica nationibus: ſi aut magis ſcienter voluiſſet, aut propter Boëmiæ auctore Zyska motus, facilè potuiſſet cum barbaris bellauiſſe. Multi enim ſibi videntur, & non ſunt; & multi ſunt, nec tamen facilè queunt eſſe & haberi bellatores. Age, an & Sabellicus, ſcriptor grauis & minimè imperitus au-

ctor non est Pio II. Pont. Max. bellum in Turcam apparanti,ex ipsa D. Francisci familia, triginta, quæ arma tractare poterant, millia, Generalem quem vocant, ipsorum præpositum promisisse? Quid verò (vt vel missos faciamus Monachos) bellicosissimas gentes, clarissimos Duces, numerosissimos milites profecturos in hoc bellum dubitemus, quod appararent tot tantæque Christianæ nationes,Pont.confirmaret,Max. Cæsar & reges alii constantissimè persequerentur? Absumpsit Gallia trigesies, Belgium paulò minùs cētena hominum millia; & quis non diceret longè minori hominum & pecuniarum iactura Constantinopolim capi, & Turcam ex Europa pelli potuisse? Visus ad Rauennam ab vtraque parte paulò minor quàm centum millium est exercitus,ad Cerisolam quinquaginta,ad Orscham, ad Mettim octoginta, ad S. Quintinum ad Harlemium in Belgio, ad Moncotorum in Galliis circiter sexaginta, & haud scio an Maximiliani Cæsaris aut ad Pozuolum & Radaskouicium oppidum Polonorum regis Sigismundi Augusti; cuius item successor Stephanus terna in Moschouiam profectione, vltra triginta millia habuit bellatorum.Quid horùm vnus aut alter exercitus in Turcia non effecisset? & num tot atque tantos populos iampridem rebellionis cupidos, ad arma in tyrannum concitasset? Sumus profectò ad inuidiam quàm misericordiam vel inter nos ipsos proniores. Quid ergò & Turcam inclinatum non vrsissemus? Sed si ne nunc quidem excitabimur, cùm ille & domi & foris infestetur; ne ob ingratum tanti erga nos diuini beneficii animum, infelicissima quæque tandem experiamur, metuamus. Deus Opt. Max. cùm loqui nobiscum non soleat, occasionibus quid fieri, vel secus velit, adhortatur.Hominum est,vel rerum & temporum momenta diuinæ voluntatis expendere secum prænuncia: vel diuinitùs semel oblatam rei benè gerendæ aspernari facultatem. Hostes sanè nostri, homines, vt nos de iis iudicamus, agrestes & barbari, posteaquàm diuinitùs discordiam nobis fuerint imprecati, in omnes omnium rerum,temporumque occasiones contra nos sunt intentissimi; & quod ad debellandos subigendosq; nos pertinet, vltrò ipsi consectantur. Nos verò & pro eorum discordia, & pro nostra concordia, segniter admodum Deum precamur: & cùm benè gerendæ rei obtulerit se occasio, parum auidè ea vtimur,aut scienter. Quid igitur nos futuros speremus aliis feliciores, cùm nihilò simus ad res gerendas promptiores? & quid non eorum potiùs extimescamus casum, quorum in rebus perniciosis proponimus nobis exemplum turpiter imitandum? Tantum quippè pro se quisque felici-

felicitatis, quantũ in rebus agendis habuerit induſtriæ aut firmitatis. Et quemadmodum cùm ad ſcopulos alliditur nauis, non ventos aut tempeſtatem, ſed naucleros citiùs accuſamus; ſic hoc vel illo regno prouinciaué pereunte, non aſtra, eorumúe motorem, ſed noſipſos potiùs inculpemus. Non enim fatis, ſed fatuis infeſti rerum & temporum caſus adſcribuntur. Sed heus tu, dicat mihi aliquis, bella ſuades, claſsicum canis Varſauici, reges & Principes noſtros ad arma excitare,& nouis quibuſque difficultatibus vis implicare. Abſit hæc à nobis cogitatio. Quid? An ignoras bellorum exitus eſſe, ſemperque fuiſſe ancipites, & eligendam certam pacem, quàm incertam ſperandam potiùs eſſe victoriam? & quo quenque magis deſtitui ratione, eò bellorum & tumultuum videri cupidiorem? Multa quæ recta ſunt, eſſe in propatulo, quæ expediunt rebus, latere in obſcuro. Cùm ad bellum ſemel deuentum eſt, plures præter opinionem difficiles ſuboriri quotidie res, ſed & ipſam perpetuò nodoſam eſſe deliberationem: vix namque aliquid decernitur, quod in magnam difficultatem nõ incurrerit. Eorum hæc eſſe conſilia, qui communi incendio, quàm ſuo volunt potiùs conflagrare, & qui neſciunt arma facilè capi; ſed non ſemper vt cui collibuerit deponi, & initia, ac finem bellorum non vnius & eiuſdẽ haberi poteſtatis. Non omnes opinor tuæ ſubſcribent huic ſententiæ. Difficillimè quippè his moribus & tẽporibus Principes ſibi fidunt, nec facilè qui conſilia præſtant, iidem & pericula adeunt; nec admodum ſtabilia & diuturna fœdera plerunque inter ſe ſortiuntur; & tàm poſteà quàm etiam antè quàm ineantur, multi vocantur in extremum diſcrimen. Primi enim, & periculis magis expoſiti, veluti feræ ex latibulis ſuis egreſſæ, ab hoc tyranno conficiuntur. Stant poſt principia alii, & alienæ calamitatis otioſi tantummodò ſunt ſpectatores; qui & malunt præſentibus ſubtrahere ſe periculis, quàm vel paulò tardiùs cædere in prædam victori. Maximè autem ij hoc refugiunt, qui regnorum & prouinciarum iacturam facere poſſunt, nec in hanc vt ita dicam, arenam, verbis ſe elici facilè patiuntur. Multa etenim effinguntur oratione, quæ præſtari haud ita facilè queunt ipſa re at q; veritate. Meminiſſe autẽ Principes debent, nõ ſolùm quantũ ſibi commiſſum, ſed etiã quantũ permiſſum ſit; & ſuſcipiendis bellis, nõ tã debent proſpicere, quàm reſpicere: cùm omnia quidem præterita, ſed maximè aduerſi bellorũ & prẹliorũ caſus ægerrimè corrigãtur. Antiqua fœdera, non temerè eſſe abrumpenda, cùm vel in minimis quibuſque rebus, antiquæ conſuetudinis momenta omnia rectiſsimè obſeruentur,

tur, & ad ruiturum murum non applicandum humerum; nec impellendum plaustrum, quod suapte ad ruinam est inclinatum. Videre indies liceret magnam varietatem rerum & temporum, dubios & ancipites casus multos, teneros & flexibiles mortalium animos; multum denique insidiarum atque vanitatum vbique deprehendas. Iam vel illud quoque tenendum esse memoria, priùs consilio, quàm armis omnia esse experiunda: & vel hosti seruandam esse fidem, nec quærendam latebram periurio, vbi maior quàm vllius alterius rei habenda ratio est æquitatis. Plantas non coalescere, quæ huc & illuc sæpenumerò transferrentur: nec studiosè quærendum, qua cum gente & natione à barbaris conculcemur. Postremò, omnia quæ dilapsa fluxerunt, seueris legibus prius esse vincienda domi, quàm exercitus coadunãdos foris, nescitur, si suis an hostibus grauius vulnus inflicturos. Tu vt voles multa dixeris, non habebis peræquè omnes dicto audientes. Cui ego vicissim sic respondeo, me non pacem odisse, sed magis bellum atrox & periculosum, pacis nomine inuolutum reformidare: in duobus malis, minus semper malum eligi oportere: & aut sub iugum Turcicũ supplicibus & abiectis esse eundum, aut vi & armis repellendam seruitutem. vnam esse salutis viam, semel vel in perpetuum salutem desperasse. Grauissimi quippè morsus irritatæ sunt necessitatis: & nihil amentiùs, quàm consulere otio, quod nõ habuerit dignitatẽ. Turcam perpetuum & hæreditarium esse hostem Christiani nominis atque seminis, eòusque fidum prorsus inuentum nemini, quo minùs illius quàm commodis potiùs suis, pacem & bellum cum eo metiretur. Quid igitur, cùm in hanc, vt ita dicam, foueam in Perside inciderit, non obruendum, & hanc vnam aperiendam viam, tumultibus in Europa tranquillandis? Militaria ingenia, si foris quod agant non habuerint, domi motus quęsitura: longè verò interim præstare alienis inuadendis, quàm suis tuendis occupari; cùm iure ille proximior Deo sit Opt. Max. qui vindicet & tueatur eius maiestatẽ, neq; vlla gens reperiatur, quæ religionis defensionẽ etiã cum periculo capitis & fortunarũ, non constantissimè sit prosequuta, & in vicinorũ calamitate non quæsierit modos & rationes expediendæ salutis. Viri boni esse officium, quęcunq; fors tulerit, casum cũ iis qui dicuntur esse boni, potiùs ferre, quàm ab iis disgregari: cùm non possit bellũ non esse æquum, quod est necessarium, & quo non nisi pax quæritur, & gloria Dei, interitu prohibetur. Vt enim labor spe otii fit leuior, sic bellum tranquillitatis gratia administratum aliquãdo est voluptati. Conscendendum ergò, & quidem ad

dem ad puppim eſt, cùm vna nauis bonorum ſit omnium, quam rectam tenere intereſt iis, qui nõ ſubeſſe, ſed præeſſe barbaris didicerunt. Magnæ & magnificæ res, non niſi magnis conficiuntur periculis: & vnũ periculorũ remediũ ipſum eſt periculum. Præſtat deniq; vel pulchrã per vulnera mortẽ oppetere; quã inſidioſo iſto fœdere, ad tempus delinitũ, demùm omniũ grauiſsimam ſeruire ſeruitutem. Leui aſperſione aquæ nõ extingui ignẽ, ſed potiùs augeri: ſic & Turcicã potentiã nõ niſi omniũ armis & animis ſimul iunctis ſuperari. Contemptus virium, & diſcordiæ noſtræ igniculus, Turcicæ in nos eſt audaciæ,& amplitudinis,ac maieſtatis eius, quæ in nobis eſt reuerentia,vtinã ſaltẽ nõ auctoramentum ſit ſeruitutis. Turcicæ vires,ratione vnde oriũtur gẽtis,ſunt exiguę. Maxima pars exercituũ,ſemp cõſtat Chriſtianis: quorũ ſi quę in humanis eſt reb' fortuna,quî nos terreat,quę caduca & fragilis eſt,& quos diu eſt per ſecuta;eos ſubitò deſtituit defatigata: & quos tot beneficiis ornat, eos ad caſum duriorẽ,vt plerunq; fit,ſemp reſeruat. Me funeſtorum cõſiliorũ, quis dixerit principibus voluiſſe eſſe auctorẽ,qui fuerim ſemp ſalutariũ,& tàm à temerariis irruptionibus vrbiũ,quã & à periculis pugnarũ dehortatus ſim nõ neminẽ? Sed maturuerũt iã omnia, & erumpat ex me oportet libera illa vox atque ſententia, quæ impẽdente calamitate,meã erga Remp. teſtificetur voluntatẽ; quæ admoneat,aqua quã ruina,in hoc tàm dẽſo tecto,tàm diu occultatum incendium potiùs extinguendum, & laborioſiorem multò fore negligentiam, quàm diligentiam, ſimul atque ex Oriente in Occidentem hoc Turcicum bellum transferetur: quo vtinam potiùs glorioſè cadamus, quàm in crudeliſsimi hoſtis poteſtatẽ veniamus. Finis quippè glorioſus vitę, decor ætatis totius eſt anteactæ. Hæc ego profectò dicerẽ, & ei qui hoc tàm pium, iuſtum,& neceſſarium bellum diſſuadere vellet, reſponderem. Ætas autem deficeret me, ſi quæ in hanc ſententiã dici & afferri poſſent, omnia velim perſequi & percenſere. Sed interim cordati prudẽteſq; ſecũ ipſi conſiderent viri, quantũ expediat Reipu. intentũ ad omnia habere animum, & militem exercitatum: nec expectare domi hoſtem, nec temerè amittere hanc tantam & tàm opportunam belli gerendi occaſionem; cùm inferentibus,non propulſantibus bella creſcat animus & auctoritas; & ante ipſa commiſſa prælia ad hoſtium terrorem præcurrant nuncii ſæpenumerò præliorum: nihil enim fama in vtramque partem, ſiue bona ſiue mala illa ſit,volucre eſt magis, quæ efficit, vt ab inimicis noſtris aut contemnamur, aut verò timeamur. Prodidit Beſſarion memoriæ, Mahometem Turcarum Cæ-

ſarem

ſarem, capto poſſeſſoque Byzantio, & multis maximis regnis & imperiis ſubiugatis,non plura tamen, quàm vigeſies centena aureûm nummûm millia annua habuiſſe. Qui imperium Turcicum,poſt ſuperiores Ottomanos, mirum in modum auxerat, & ampliârat. Iam verò,vt Selymus & Solymanus, & alter deniq; Selymus multa illi adiecerint, non propterea tamen ſuperatu incredibiles ſunt æſtimandi. Nam & ſumptus faciendi illis ſunt maiores, & habent haud dubiè plures etiam difficultates. Auctis enim diuitiis, & rerũ pretia, militumque ſtipendia augentur: & quantum quidem ad opes,vectigaliaque ſpectat; neque nobis etiam defuerint reges, qui maioribus vectigalibus, fortioribus copiis, magis bellicoſis & ingenioſis populis, & omni apparatu & artificio bellandi Turcicis Cæſaribus antecellunt. Qui ſi ſapient, (vt ſapiunt certè) tàm præclaram gerendæ rei contra barbaros occaſionem non amittent, nõ ſe ſuaq; deſerent, non opes, non copias, non exercitus ſuos requiri à ſe patientur. Omne enim, quod pro ſe quiſque habet, vt & retineat diu, & ſecurè poſsideat, concupiſcit. Quid verò?quale & quãtũ impedimentũ illud dixeris, quod nõ niſi menſibus quatuor aut quinq; in his præſertim Aquilonaribus regionib⁹,& hominũ cauſa, & iumentorum gratiamilitẽ detinere ſolere, & nec poſſe quidem, ſi maximè velit,Turcicus videatur Imperator? Quæ vt fefellerit nõnunquam obſeruatio; (nam ſub dio in Hungaria hyemaſſe Turcas aliquando conſtat) tamen plerunque ita fieri, vt ad dimidium Maij educatur, & à dimidio Octobris deducatur exercitus à multis annis eſt obſeruatum; propterea quòd alieno anni tempore, & cæli ipſius inclementia, & victus pabulique ratione mutata, à Turcis eorumque iumentis omnia bellorum incommoda ægerrimè perferantur,& caſtra ipſa Turcica paſsim & vbique obnoxia ſemper ſint peſtilentiæ,ex quibus miles miſsionem importunè flagitet, & ab vrbium oppugnationibus aduerſiſque præliis campeſtribus, tumultuariè ſe recipiat, vulnerum denique & caſtrenſium incommodorum impatientiſsimus habeatur. Quæ omnia ſimul iuncta, adde verò fides ſanciendis & colendis fœderibus fluxa, & in victoria crudelitas incredibilis, dominatioq; impotens,& infeſta ab orbe terrarum hactenus ſubiugando, Ottomanicam familiam facilè retardârunt. Naturâ enim appetunt quietem, & ſuapte homines refugiunt ſeruitutem. Iam verò ſicuti obſeſsis & obſidentibus multa ſæpè deſunt,quæ vtrobique neſciuntur: ſic & Turcicus, Chriſtianis licèt ſit terribilis, multa ad conſeruationem ſui deſiderat dominatus. Ac, vt curſim percurramus omnia, regendique imperii

formam

formam & præfectos animo collustremus. Asiaticos,qui regnis eius præsunt, circiter triginta habet Turcicus Imperator. Regunt Africam tres,vt Fessam & Marroccum prætercam; Europæ, quæ ei subiacet partem, multò plures gubernant, cùm non dicam prouinciis, sed vrbibus infiniti ferè præficiantur. Quo ipso furta & peculatus à Turcicis quæstoribus plures quotidie videas, & præfectus vnus ægrè auxilium tulerit alteri; quæ inter æquales perpetua accidere solet æmulatio, & quæ regionum, quæ in Turcicas deueniunt manus, est solitudo: cùm Turca suo, & multorũ aliorũ idiomatum significatione denotet vastatorem, & talem se vbique præstet, ac ab omnibus habeatur. Multorum enim etiam nominibus facta respondent. Iam verò in Hungaria & Bosina, & in quibusdam aliis Turcicis prouinciis, hoc vel maximè belli Turcici tempore multi tyrones inserti, & prætoriani asscripti, ita sunt congregati; vt in Turcico imperio, non dicam omnia, sed plurima certè sint & videantur immutata: & quamuis ab aliquot annis gubernatores Turcici in Persidem mittantur, qui prouinciis subiugatis præsint, dicis causa id fieri multi autumant. Hominum enim iactura magna, parua accessio fit imperio, præsertim verò impotenti. Quæ cùm ita sint,cognoscamus nos, viresque nostras,Christiani;& hostium etiam nostrorum non minùs exploratas habeamus; & cùm distractæ, cùm fractæ, cùm tractæ in Perside sint, occasionem rei benè contrà eos gerendæ, toto animo amplectamur. Distinere Turcicam potentiã vnus Persa tàm diu potuit: non possent, si vellent, vniuersi Christiani animis concordes, copiis instructi, viribus acres,fœdere, & societate fida inter se colligati? Hoc nimirũ eis ratio suadet, hoc exẽpla docẽt, hoc necessitas cogit, graue seruitutis iugũ terret, & õnia omniũ ferè Turcicorũ Cæsarũ periuriorum documenta Christianos adhortantur. Quid? An non eò deuentum est, vt si non Christi gloriæ causa,cuius potissima debet esse ratio & veneratio, si non tot regnorũ recuperandorum gratia, saltem salutis nostræ, coniugum liberorumque nostrorum amittendæ,& tot cruciatuum metu,arma in Turcas oportet capiamus? Et erit qui dubitet, quantus & quàm execrabilis eorum Christianorum, qui in potestatem Turcicam veniunt, sit fueritque semper laniatus, quàm dentibus, quàm oculis, quàm naribus, quàm ipsis adeò membris,quod dictu est horrendum,priuent eos genitalibus, pecunia pro redemptione postulanda? & nunc istum veluti in quodam Phalaridis torreant tauro, nunc illum candenti perforent ferro, nonnemini cutem detrahant viuo, vt tantùm suam caninam

expleant feritatem? Extant multæ multorum hiſtoriæ, de immanitate Turcarum paſsim & vbique ſparſæ. Sed & veteribus obmiſſis, recentiora tantùm proferantur. Et quis neſcit, vel à Byzantina expugnatione ipſa, quot & quanta crudelitatis ſuæ expreſſerint veſtigia, Chriſtianis gentibus & principibus occidendis? Non ſufficiebat Conſtantinopoleos iugulaſſe Cæſarem, ſed pilo etiam caput eius infixum, & per vniuerſam Aſiam eſt circumlatum. Quod & nouennio antè Vladiſlao Hungariæ & Poloniæ regi ad Varnam interfecto memorant accidiſſe. Quid? Templum verò illud Zophiæ, quod Iuſtinianus Cæſar toto terrarum orbe maximè admirandum ſtruxerat, ſubitò à Turcis eſt prophanatum, diruta altaria, incenſæ imagines, ſacerdotes occiſi, conſtupratæ primùm, mox & diſſectæ nobiliſsimæ virgines & matronæ, & tàm in viuos, quàm in mortuos nullum non adhibitum genus crudelitatis: barbarica quippè crudelitas poſtquàm alios vicerit, ſeipſam quoque nititur ſuperare. Quid? Feſtianis regulis captis, an non eiuſdem Mahometis iuſſu eruti ſunt oculi? an in Lesbo infinita puberum multitudo palo non eſt transfixa? an Boſsinæ rex ſalutem cum ſuo patruo pactus, & voluntariè ſe dedens, ab ipſius Mahometis manibus vita non eſt ſpoliatus? Taceo Moncaſtro à Baiazete Ottomanici nominis principe, Mahometis filio deditione accepto, nihil eorum quæ promiſerat ſeruatum fuiſſe, & vltra quadringentas Moncaſtrenſium familias abductas in ſeruitutem. Taceo Selymum huius Baiazetis rurſus filium Vſtarabim parricidam nefariũ, genitoris ſui, cuius opera ad eum veneno extinguendum fuerat vſus, medicum miris modis excarnificatum occidiſſe, ne vllus vel minimus eius parricidii conſcius ſupereſſe, & ille mortem paternam ſimul vltus eſſe videretur. Quanquàm enim ſceleratiſsimus aliquis fuerit; tamen quoäd eius fieri maximè poteſt, ſcelus auet occultare. Nihil dico de Solymano, qui tamen Ottomanis aliis volebat videri, & haud ſcio an habitus eſt, manſuetior; quàm filium ſuum immaniſsimè ſuſtulerit, & Imbraimum purpuratum ſocerum ſuum, & omniũ conſiliorũ conſcium & expeditionũ ſociũ, ſagitta traiecerit; cùm ne Eunuchi ipſius quidem ob tanti viri reuerentiam, eo iubente & comminante eũ auſi fuiſſent violare. Non enim ſemper armis, multi etiam aliquando ipſa ſe defendunt & tuentur maieſtate. Quid Selymus, huius rurſus Solymani filius? An iiſdem illis ſagittis, cùm inebriaretur, (inebriabatur autem quotidie) familiarium ſuorum non transfixit quàmplurimos? vt iaculandi peritia non ſecus ac Cambyſes alter, neſcio an non formidabilis magis, quàm admirabilis fieret.

Odium

Odium enim ſemper maius, quàm admiratio eſt vitiorum. Quid verò poſtremò de hoc ipſo Amurate dicam, qui non ſecus ac olim Romulus, non iam ab vnius, ſed quinque fratrum nece, imperium ſuum eſt auſpicatus? Quis igitur his eorumque poſteris ampliùs fidat? quis ſe ſuaque concredat? quis eorum fœdere, ſi fœdus dicẽdum eſt, quis amicitia, quis promiſsis capiatur? quis ſuas, maiorũque ſuorum non vindicet, cùm poteſt, in iis iniurias? quis diuinum numen & nomen eorum probris & contumelia affici impunè patiatur? Miſerum me, ſi ego his ſimilibusque rebus apud vos exaggerandis nihil profecero, ſed vos adhuc miſeriores ſiquidem meis dictis, veſtris factis fidem (quod abſit) aliquandò aſtruetis. Tua quidem Chriſte Opt. Max. nunquàm lædi gloria, neque imminui poteſt potentia; vt in te tuamque amplitudinem omnis, quæ in orbe reperitur irruat barbaria. Sed nos profectò tuo digni qui cenſeamur nomine: qui noſtras impotenter perſequimur, & tuas obliuioni tradimus iniurias: qui hæreditatem tuam ſacratam, ſepulchrum illud Hieroſolymis glorioſum, Palęſtinæ loca ſalutis noſtræ myſteriis plena, in priſtinam non ponimus libertatem. Non tulit olim prophanari idola ſua Roma, non paſſæ ſunt ſuas, ac multò minùs Deorum Athenæ iniurias: Nos impurũ Mahometanũ dogma ſinemus apud nos propagari, impios & ſacrilegos Turcas, crudeliſsimos Scythas fana & maiorum noſtrorum ſepulchra violari permittemus? tot in nomen IESV maledicta & contumelias ſpargi, agros noſtros vaſtari, homines cædi, vrbes & oppida diripi, virgines & pueros ſtuprari patiemur? O indignum facinus, ô conditionem temporum noſtrorum deplorandam! Te ego appello Sixte V. Pontifex. Quid olim Eugenius IV. Vladiſlaum Hungariæ & Poloniæ regem: Nicolaus V. Scanderbegum & Hunniadem: Pius II. Matthiam Hungariæ: Quintus Hiſpaniarum regem, & Venetos contra Turcas excitauit; tu quoque nõ animes tot Chriſtianos reges atque principes, in noſtros, & Chriſtianæ religionis hoſtes vinciendos atq; vincendos? Ecquando illis potior quàm nunc nobis de iis triumphandi data & oblata eſt occaſio? & à quo denique Pontifice, quàm à te vno, qui tantum cælati auri habes, afflictis Chriſtianorum rebus plus opis & auxilii eſt expectatum, Mouebuntur? Vt olim Pii II. Pontificis, qui contra Mahometem Turcam in expeditione belli eſt mortuus, tuo omnes exemplo, parebunt Catholici imperio, continebuntur aduerſarii in officio, omnes à ciuili inciuili maximè refrenabuntur diſcidio. Non volet priſtinæ virtutis obliuiſci, & ſub mœnibus Viennæ expe-

 ctare

ctare Turcam iterum Germania: Regem ſuum non ſolùm nomine, ſed ipſa re Catholicum, in ſocietatem talis conſilii, primùm omnium includet Hiſpania: Chriſtianiſsimi nomen, cùm ſerio rem agi videbit, nollet opinor amittere Gallia: & ipſa licèt omnibus omniũ iſtorum hoſtium telis magis expoſita ſit, nihil in ſe deſiderari patietur Polonia: Veneti, Italiæ decus, & reliqui eius Principes, ad hũc vnum communem exterminandum hoſtem toto animo accendentur. Cȩdet tandem quæ eius fidelibus, & non Mahometanis debetur Chriſti Opt. Max. hæreditas: decus & columen Chriſtiani nominis Hungaria liberabitur: caput orientalis imperii, & Thraciæ ornamentum Bizantium, in priſtinum ſtatum reponetur: Epyrus, Macedonia, Slauonia, Dalmatia, & regnum ipſum Cyprium nuper amiſſum, non illam tantopere crudelem ſeruiet ſeruitutem. Videor videre poſtremò mihi propoſito die, atque loco illo, qui tàm ſacræ & glorioſæ militiæ, & coadunandorum exercituum ſe præſtabit auguſtum, concurſuras eſſe infinitas copias, linguis diuerſas, armis & viribus fortes, commeatu & apparatu bellico abundantes; quibus pro Chriſti gloria, ſociorum ſalute, & communi omnium libertate, non maria traiicere, non montes tranſcendere, non flumina ſuperare, non vel immenſa emetiri itinera, in eo qui dux & auctor viæ & ſalutis eſt, factu videbitur incredibile: Non ſolùm enim paſsibus, ſed & victoriis vno illo Deo Opt. Max. duce & auſpice, vel totus terrarum orbis vrbis inſtar vnius perluſtratur. O lætiſsimam diem illam, ô locum ſacratiſsimum, quo rei tantopere optatæ, quo militiæ glorioſæ, quo deſideratæ & amabilis, in vnum illum hoſtem communis Chriſtianorum omnium concordiæ fieret initium: quo libera, quod eſt in ſacris codicibus, ancillæ iugo liberaretur: quo tot Chriſtianæ gentes & nationes ad ſuos redirent poſtliminio: quo non amplius Babilonicum aut Ægyptianum illud paterentur iugum; ſed Deo Opt. Max. ſeruatori ſuo in auitis & patritis ſedibus & fanis grates agerent, & ipſius diuinas, & immortales laudes perpetuò decantarent. Quorum, vt tandem non tantùm audiatis, ſed etiam exaudiatis aliquando preces: & ſi corporis non poteſtis, mentis oculis inſpiciatis vulnera. Commoueamini lachrymis, excitemini miſeriis, detis perpetuis aliquid querimoniis. Vos idem ille adhortatur Deus Opt: Max: & monet Chriſtiana pietas, vrget germanitas, communia ſtimulant pericula, tot Chriſtianȩ gentes ſeruituti mancipatæ, ſupplices ad vos tendũt & exerũt manus, vobis ſe deniq; oſtentant, vos orant & obteſtantur, vt eorũ calamitate docti, inſtituto religionis noſtræ tracti, temporis

oppor-

oportunitate illecti, armis & copiis inſtructi, è veſtris domiciliis, quo minùs ſit patriæ periculum longiùs egreſsi vobis, coniugibus, liberis, fortuniſque veſtris in perpetuum conſulatis.

TVRCICA IIII.

EN IAM TANDEM PEPERIT, QVOD TAM DIV parturiebat barbaria, & immaniſsimus Turcarum tyrannus, fidei & iuriſiurandi ſui oblitus, pace in Perſide facta, & ex oriente in Europam armis tranſlatis in Hungaria paſsim graſſatur. Quæ equidem futura dixi & denuntiaui vobis antea. Sed nec ſcio, nec ſi ſciã, facilè dixero, quî ſit factum, quòd pleriſq; rebus ſuis intentis, quibuſdam alienis inhiantibus, nonnullis etiam pacis atq; otii facilitate captis, & ferè tandẽ omnibus futuras Reipu. clades parũ ſecũ expendentibus pauciſsimi ſint reperti, quos cõmunia pericula, & calamitates permouiſſent. Habemꝰ igitur hoſtẽ, quod nõ dixiſſemus domi; ille verò impunè in diuinis humaniſq; perbacchatur omnibus, potentiaq; & ſpiritu in dies augetur, & quanti nos noſtraſq; vires faciat, ſemperque fecerit, vel hoc ipſo, quod cum Cæſare habuit, violato fœdere reliquit teſtatum. Quo quid indigniùs? quid intollerabiliùs dici aut cogitari poteſt? Cùm enim non ſeruatę à Chriſtianis barbaris fidei admodùm pauca exempla numerentur; Turcarum quidem tot tantaque ſunt, vt mea ſententia nulla par iis reperiatur oratio. Sic videlicet eam, quam debent, referunt nobis gratiam: vt cùm difficillimis illorum rebus atque temporibus nihil minùs quàm de iuriſiurandi religione contra eos perrumpenda, nos cogitauerimus; illi demùm in noſtrum, totiuſque Chriſtiani orbis exitium, temerè ea abutantur. Quantò enim benè moratorum hominum modeſtia, tantò barbarorum maior animi eſt impotentia, perpetua conſuetudine peierandi. Quo tamen loco & olim eſt repræhenſus, & hodie quorundam perſtringitur ſermonibus Vladiſlaus Iagellonides, Hungariæ & Bohemiæ rex, quòd cum Amurate Turca icto ſemel decennali aliorum verò inſtinctu mox abrupto fœdere, ad Varnam ignobile Thraciæ oppidum, verùm eius clade maximè nobilitatum, infeſtis ſignis concurriſſet. Qui vtrum tandem periurii, an verò iuuenilis feruoris & immaturè belli geſti magis pœnas dederit, conſideremus. Vt enim ipſius mortis, quod antè etiam fecimus, & omnium rerum & con-

filiorum momenta, quæ mortem præcesserant perpendamus; & quis tandem dubitabit, Vladislai illud cum Amurate fœdus, nihil minùs quàm fœderi simile fuisse, & pestem, ac euersionem Hungariæ denunciauisse, in quo non fides ab Amurate habita, non cõditiones pacis seruatæ, non Hungaria tuta, non libertas eius defensa, non Rascia & Bulgaria, sæpimenta Hungariæ salua spectabantur? Etenim cùm paulò ante idem ille prætorianorum Turcicorum inuentor, & Monasticæ apud suos vitæ desertor Amurates, patris cum Sigismundo Cæsare, eodemque Hungariæ & Boëmiæ rege belli gerendi institutum secutus, quasdam in Bulgaria arces, eidem in Constantieñ. concilium peregrè profecto, perfidiosè occupasset, & ad Vladislai Iagellonis Poloniæ regis, cui patrocinium Hungariæ Sigismundus commendauerat, minacem legationem restituisset, hunc eiusdem nominis filium, vno & altero amplissimo regno, in ipso iuuentutis flore auctum, & aliquot contra eum victoriis maiores aggrediendas res inanimatum in tanto odio & suspicione habuit; vt in Asiam traiecturus, quàm hoc fraudulento irretire eum fœdere, nihil apud se antiquiùs duxerit, & omnia simulandi & dissimulandi artificia adhibuerit. Vbi enim leoninum deest robur, ibi pro se quisque vulpinam caudam lubens assuit veterator. Habebatur verò belli & consiliorum omnium præcipuus tota Hungaria Dux & præses Hunniades. Qui eo non contentus, ad Hungaricum regnũ ipsum (quod etiã eius filiis, sub rege Hungariæ Ladislao Posthumo partim cæsis, partim captis apparuit) secretò quodammodo aspirabat. Vnde in omnes rerum & temporum occasiones intentus, fœderis cum Amurathe abrumpendi auctor fuisse, & ab Eugenio IIII. Pont. Max. dicitur petiuisse, ne vlla ratione fœdus illud ratum habere, imò ratione muneris, & auctoritatis suæ ad bellũ, cuius maiores, quàm pacis fructus essent, regem vellet excitare. Semper enim miles bella, sed maximè hostibus appetit imparatis. Hac igitur vna Eugenius re, & tanti viri, quantus in Hungaria Hunniades fuerat, commotus auctoritate, cum labantibus Græcorum rebus, defensionem contra barbaros præstari, & Ecclesiæ per id faciliùs restitui eos posse censeret; Iulianum Cardinalem, hominem sapientissimum & eloquentissimum, ad Vladislaum regem in Hungariam legatum misit; & vt pacem, si pax dici poterat, cum Turca abrumperet, solicitante in dies Hunniade, ei persuasit. Tantò enim quodlibet consilium maius habet pondus; quantò & temporibus necessitatis, & consulentibus plus est dignitatis. Nos porrò limanda

vlterius

vlteriùs in disquisitione veritate, & Eugenii Pont. Max. suasionem, & Vladislai occisionem ponderemus. Equidem eos, qui Eugenium auertere illo modo bellum ab Italia aiunt præ metu voluisse, in magno errore dicam versari. Quid enim timuisset, cùm nec Græcia, diuturnus obex Ottomanorum potentiæ, à barbaris tum temporis possessa, neque portus aliqui Italiæ ab illis occupati, neque ad inuadendas classes & triremes barbaris fuerint; & tum ante captã Constantinopolim Ioannes Dragazes, Constantinopolitanus imperator, sine vllo barbarorum metu, pro concilio Florentino, aliquot triremibus pontificiis comitatus in Italiam traiecerit; & ipse denique Mahometes, Ligurum nauigiis, ex Asia in Europam suum exercitum transportauerit, sic vt nulla rei mala fide actæ cadere potuerit, ac ne debuerit quidẽ in Eugeniũ suspicio; qui nõ minori fortitudine animi, quàm grauitate consilii præstans in omnes se vertebat partes, & in illa pastorali vigilia, seu specula aliqua collocat⁹, omniũ necessitatib⁹ prouidebat? Qui partim Florentiæ, partim Ferrariæ, œcumenico habito cõcilio, Græcis ad cõmunionẽ Ecclesię reuocandis, egregiam operam nauauerat Reip. & illum eundem Dragazem imperatorẽ Cõstantinopolim reuersum, & fidei sibi datæ oblitũ, disertè verbis illis additis, seriò est adhortatus, ne fugiens pastoralẽ baculum Papæ, acynaci Turcico subesse cogeretur. Quæ ipsa verba fatidico quodã spiritu ab eo fuisse prolata, triennio pòst Constantinopolis capta, & Imperator occisus, facilè cõprobàrunt. Multa enim alia, sed euentus maximè astruunt fidẽ assertionũ veritati. Per quos autẽ de fœdere cũ Turcis nõ seruando, idẽ ille Pontifex Max. egerit, perspicuũ est, nẽpè quẽ antea memoraui per Cardinalem Cæsarinum, qui ea quæ dixit gessit, quæ suasit fecit, & qui etiã iis, quæ in mandatis habebat prolatis, vitã quã naturę debebat, Reip. in acie reddere nõ dubitauit. Est enim Lydius Constantiæ lapis, dicta factis cõprobasse. Egit postremò & per Ioannẽ Capistranum, familiæ Franciscanorum professione Monachum, natione Italum, moribus integrum, miraculis notum, & cum per multa alia regna, tum maximè per hæc tria, Hungaricum, Boëmicum, & Polonicum tot tantisque concionibus, per interpretem ad populum habitis, & eo auctore pluribus Monasteriis, ac in his Bernardinorum, Cracouiæ extructis, inprimis memorandum; sic vt Cazimirus eius nominis tertius Poloniæ rex, orta inter Archiepiscopum Gnesn. & Zbigneum Cardinalem, vter eorum illud officii præstare debuisset, controuersia, Reginæ Elizabetæ Austriacæ matrimonio, non nisi à Capistrano Monacho iungi voluerit. Qui idem

Capi-

Capiſtranus,quibuſdam editis Cracouiæ,vbi in publico foro tot eſt concionatus, miraculis, & quodam aliquando viuo, quem illi per ludibrium pueri à morte excitandum offerebant, vt inter mortuos portionem ſuam habuiſſet, ſeu fulmine quodam exanimato, adductisq; ad Monaſticã amplectendã vitam Gymnaſiarchis pluribus, in Hungariam demùm profectus, Taurinũ defendit, & Chriſtianorum exercitibus cum ſigno crucis præcurrens, vna illa edenda voce Ieſus, infinitos Turcas in acie ſtantes equis deturbauit; ſi vera ſunt, vt vera ſunt maximè, quæ viri quiq; grauiſsimi voce & literis ad poſteros tranſmiſerunt. Crebriùs enim vel in viuis vitia laudantur, quàm vt aliquorum ſupra fidem geſta, poſt vltima maximè funera confingantur. Age verò, accedamus ad ipſum Vladiſlai regis factũ, & belli gerendi cũ Amurate rationẽ atq; inſtitutũ: & an vel in iuſtiſsima etiã cauſa, & belli adminiſtrandi tũ neceſsitate, tum etiã æquitate, ſummorumq; principũ conſenſione, & in hoc bellũ conſilio, de Turcis victoriam ſperare potuerit, aut debuerit. Nam cùm circiter viginti annos natus fuiſſet, nec omnes quas expectabat copias ſecum in expeditionem eduxiſſet, penè trecentorum millium exercitui occurrit Amuratis, apertè reclamante, qui in eius quoque comitatu eſſe debuerat Deſpota Seruiæ, vno verò illo inſtante Hunniade, Genueñ ſuperando mari, claſſe opem Turcis ferentibus Franciſco Cardinali Veneto, in cuius poteſtate eos tranſitu prohibere haud dubiè fuerat, paulò hac in parte remiſsiore. Ipſum denique reliquum progreſſum pugnæ & conflictus, ſi libet attentiùs conſideremus. Quàm ineptè diſpoſita, quàm temerè tentata, quàm infauſto exitu terminata fuerint omnia, quis ignorat? Diffugerat primo congreſſu Turcicus equitatus, ſuaſit & perſuaſit Hunniades mox Prætorianos expugnandos. Rex latere poſſe inſidias, & fugienti hoſti aureum pontem eſſe ſtrandum, in acieque ſtantes ad deſperationẽ nõ adigendos, ſecũ nunq̃ cogitauit Quid ergò inquies eſt ſubſequutũ? Mox equidem & verè aperiã. Qui regi cõſiliũ pręliãdi dederũt, periculũ pręlii nõ æquè cũ rege ſibi ſumpſerunt, & prorſus aufugerunt. Prætoriani verò fugã adornanti ſuo Amurati, omni ſpe elabendi prçcidẽda tantũ cõpedes nõ iniecerũt. Hos rex Vladiſlaꝰ aggreſſus, cũ in quaſdã foſſas, quas illi ramis ne apparuiſſent, texerãt, fortè cũ aliis incidiſſet, ſubitò eſt obtrũcatus, & caput ipſius auro, gẽmis & vnionibus redimitũ, à quodã Buchricadero ꝓtoriano Amurati eſt allatũ. Quod ille intuitus, nõ ſæpè tales victorias optare ſe ſibi, quæ tanto cõſtarent ſanguine, apertè quod ſentiebat, enunciauit. Malè ſe enim habet, cũ fugatis victis, ſuorũ

nihilo-

hilominùs multos requirunt victores. Quæ cùm ita ſint, & cùm amiſſæ tàm memorabilis pugnæ occaſionem & cauſam quidùis aliud, quàm violatum illud præbuerit fœdus; & quis hanc tantam labem, Vladiſlai regis, optimè de Repub. meriti, nomini aſpergendam, quam partim Hunniadis ambitioni (ſecus licèt Hungarici Hiſtorici referant) partim regis ipſius iuuenili feruori adſcribendã nõ potiùs arbitretur? Laus quidẽ fortitudinis vel inter confertiſsimos hoſtes cadenti, relinquenda eſt Principi, nõ nota temeritatis ſempiternæ: quã, mirũ eſt, tot continuis tẽporibus exagitatã ſic vulgo fuiſſe; vt innocentiſsimus rex vix non periurii publica laborauerit etiã infamia; cũ tamen ſciatur, ea, quæ à Vladiſlao contra Turcas ſunt geſta, ſiue rectè facti ſpectes conſcientiam, ſiue ſuaſorum auctoritatem, ſiue belli ipſius neceſsitatem, geri non modò potuiſse, verùm etiam debuiſſe. Multa enim regibus ſunt glorioſa, ſed ſuorum defenſio glorioſiſsima, maximè, ſi contra eos ineatur, quorum in omni genere fraudis, & periurii, nobilitata eſt improbitas. Nam vt perfidiæ & falſitatis Turcicæ, quæ propè ſunt infinita, vel aliqua ſaltem exempla proferantur. An enim obſcurum eſt Turcici iuriſiurandi (vt plerunque fit) edendi, duas eſſe rationes. Vnam in librum, quem vulgo Turcæ vocant Zamaliel: quæ & ipſa maioris apud eos eſt auctoritatis. Alterã, quæ ex quodam ſmegmatico libello, ad fucum Chriſtianis faciendum, confecto comparatur. Quo tantopere is, qui Conſtantinopolim cepit, vti, & ſibi abluere manus ſolitus erat Mahometes, vt quidam Michaël Conſtantinides eius Prætorianus, qui demùm Chriſtianus factus, omnes Turcicas fraudes & inſidias contra nos detexit, ſic Slauonicis ſuis de eo prodiderit literis, nimirum quendam Boſsinæ regem, pacem à Mahomete Turca petitum miſiſſe Conſtantinopolim, quam, & prima vt ſic dicam fronte impetraſſe; ſed ita, vt ſumma lateret in hoc ipſo fœdere fraudatio. Nam quandiu Turcicus collectus non fuerat exercitus, legati, qui pacis cauſa venerant, benè ſemper iuſsi ſunt ſperare, & demùm in hunc ſmegmaticum libellum edito iureiurando, literas per diplomata pacificationis expectare. Quos demùm profecturos, ne illis literis multum fiderent, ſcribit idem Michaël ſe monuiſſe, & addit, quòd cùm de reſponſione legatis danda, purpurati inter ſe conſultaſſent, ſe in archiuo Cæſareo, cui germanus ipſius frater præfectus fuerat, fortè latuiſſe, & omnia, quæ in quæſtionem vocabantur, audiuiſſe. Itum autem poſtremò in eam eſt ſententiam, vt regi in quindecim annos pace conceſſa, fieret in Myſiam bellica expeditio, & Chriſtianus,

qui alio modo vinci non poterat, armis interim peteretur. Diſcedentibus ergò legatis, quadriduo pòſt ipſe Mahometes, Turcicus Imperator, rectà in Myſiam cum numeroſiſsimo exercitu eos eſt ſubſecutus, & regem, nil tale expectantem, ita eſt adortus, vt & ipſe & vniuerſum regnum in ipſius peruenerit poteſtatem. Nihil enim faciliùs, quàm data ſemel, & promiſſa pace, ab omni re imparatos oppreſsiſſe. Atque ita apparet, quantum in Ottomanis omnibus fuerit, eorumque poſteris ſperandum ſit in fœderibus firmitatis. Poma enim à ſuo ſtipite non longè cadere, & liberi progenitoribus ſimiles eſſe conſueuerunt. Quid enim Baiazetes, huius Mahometis filius? An fide Venetis data, Mettonem, Coronem, & alia loca, per ſummam fraudem non occupauit? Quod exemplum pronepos ipſius Selymus, pace cum Venetis inita, capiendo Cyprio regno eſt imitatus. Quid verò à progenitoribus ſuis degeneraſſet etiam Amurates? partim Hungaria, ſub hoc ſpecioſo nomine pacis, tàm immaniter aggredienda, partim tranſmittendis in eam Tartaris, per Pocutiam regni Poloniæ, cum qua fœdus habet, Prouinciam, cui rei & molitioni non iam ſolos Tartaros, ſed Turcas etiam ipſos ceu quoſdam inſpectores, & regionũ ſpeculatores, voluit adhiberi. Quo grauior violati fœderis ſit iniuria, & Mahometanorum notetur audacia. Nulla enim re barbari, quàm maleficiorum, periuriorumque cumulis, & fœdis libidinum ac immanitatis exemplis reddunt ſe memorandos: niſi fortè nihili habenda hæc ſit iniuria, quòd præſtantiſsimorum Ducum, & militum Polonorum, hic tàm ſuperbus hoſtis, patientia abutatur; & illud expectandum, quod Capiſtranus Monachus in foro olim Cracouienſi concionans, (vtinam ſaltem non verè prædixerat aliquandò) vt Turca Camelis ſuis ſtabula in eo erigat, & in diuinis humanisq; omnibus perbacchetur; quaſi hæc, quæ fiunt ab eo, quotidie illo tàm inſidioſo fœdere diſrumpendo non ſufficiant, & magna inter Turcam & Tartarum ſit differentia, qui omnes Mahometis ſui lege, & inueterata conſuetudine, in exitium noſtrum ſemper conſpirant, vnus tantùm Turca, tanquàm regum regnorumque omnium ſupremus prædo, non tàm pacem, quàm pactionem quandam iniit, noſtræ omnium futuræ apud eum ſeruitutis. Etenim cùm omnes omnium hominum Chriſtiani, vno & eodem tempore non poſsint, ac ne debeant quidem propter anceps infeſtari prælium; delinit ſaltem fœdere ſuo Turca, ad tempus aliquos; & nihilominùs tamen ſub illo ipſo fœdere, nunc per Tartaros emiſſarios hos diuexat, nunc illos ipſe aggreditur impotenter, quöad tandem

omnes

omnes redegerit ſub ſuã tyrannidẽ, & belluinã non humanã dominationem. Cui quidẽ nos etiã ipſi vltrò quaſi manus damus, & odiis certaminibusq; noſtris mutuis facultatem præſtamus nos, noſtraq; debellandi; cùm pro anguſtiſsimis inter nos terminis, & vel minimis digladiamur iniuriis, Turcã verò tãtò & tàm iniuſto exuere imperio, & Chriſti Seruatoris, noſtramq; omniũ iniuriã in Mahometanorũ ſanguine nolumus vindicare. Tãtũ enim mihi is, qui in me fert arma, nocet, quàm qui à me non auertit cùm poteſt, inferenda. At enim cùm vel prophani, & à veri Dei cognitone homines remoti talia inteſtina bella ſemper abhorruerint; quid Chriſtiani nõ refugiant? & hoc maximè tempore, quo iam in omnium extremũ adducuntur diſcrimen, & in Chriſto ſuo magiſtro tanta exempla vident perfectiſsimæ lenitatis. Quid enim? An olim Romanos, qui à rogo ſupereſſe nihil hominis putauerunt, non legimus, in ciuilibus victoriis triumphum decernere nemini voluiſſe? Eſt enim inſolens ſemper victoria; ſed ciuium ſuorum cruore parta, inſolentiſsima; adeò vt vel ſapientiores potiri ea aliquandò noluerint, neſciuerint quidem vti certè. Difficiliùs enim ſecunda quàm aduerſa vti eſt fortuna. Iam verò & principium beneficii, tantũ diſtat à fine iniuriæ, quantum defenſio à propagatione dominatus. Quo fiebat, vt multi conſiderati Duces, maximis etiam geſtis & confectis rebus eam, quam animo conceperant, lætitiam, vultu ſaltem & oratione tegerent, & nihil geſtientis gaudii præ ſe ferrent. Vnde olim C. Catullus, M. Lepido cum omnibus omnium ſeditioſorum copiis abolito, moderatam lætitiam oſtendit: & C. Antonius Catilinæ victor abſterſos gladios in caſtra retulit: & denique Marius ipſe crudeliſsimus tyrannus, inimicis ſuis interfectis, ad diuorum templa non repente properauit. Recentiora exempla prætereo. Nam & Ludouicus Bauarus Cæſar, in Fridericum Auſtriacum, æmulum ſuum captum, & ad ſe deductum, nihil eiuſmodi hoſtile aut ſuperbũ voluit edidiſſe. Et Rudolphus primus Cæſar Auſtriacus, Ottocarum regem Boëmiæ captum, honorificè habuit, & Carolus V. Imperator, Ioannem Frider[illegible] Saxoniæ ducem, amiſſo prælio, & accepto in faciem vulnere, ad[illegible]m venientem, & vt pro dignitate Ducali haberetur flagitantem, repræhenſo hac in parte Ferdinando fratre, minimè ſuperbè & contumelioſè compellauit; vt adeò appareat, ſummos quosque reges atque Principes, ne delectatos quidem vnquàm fuiſſe, quam tantopere & imprudenter nonnulli appetunt, ciuili victoria; & denique eos, qui aut capti, aut occiſi in acie ſunt, furorem perculiſſe Martis, non iram victoris. In iu-

ſta enim indignatione modum ſtatuere rebus, & non potentia, ſed metiri omnia iuſtitia, penè ſolius eſt diuinitatis. Qua moderatione animi, quantò magis barbari deſtituuntur, tantò nobis Chriſtianis ſit ſemper commendatior: & quaſi quodam perpetuo ſtimulo ad deponendas inter nos inimicicias, & omnem armorum noſtrorum vim & rationem in Mahometanos conuertendam. Multi enim multis nominibus moriuntur infames; ſed nulli magis, quàm ciuium ſuorum ſanguinis profuſionis faces & auctores. Vnde olim etiã apud ipſos Ethnicos, qui contra patriam vel conciues ſuos temerè arma ceperant, inglorii ſemper habiti ſunt, & fuerunt. Ac inprimis quidem Cn. Pompeius, cuius geſta iiſdem, quibus ſolis curſus regionibus terminantur, & qui antè imperator quàm miles, triumphalis quàm conſularis fuit, vnius belli ciuilis incendio omnia ſua vetera ornamẽta inquinauit. Quid verò C. Cæſar, quo collatis ſignis ſæpiùs præliatus eſt nemo, & qui Europam cæde, Africam conſilio, Aſiam celeritate vicerat; an eo, quem ſibi in ciues ſuos parauerat armis, aut diu lætatus, aut illuſtrior factus eſt dominatu? nihil profectò minùs. Quin adeò, cùm de aliis egiſſet triumphum, ab vna illa Pharſalica pugna agere voluit, quod haud dubiè præſentiebat animo, non diuturnã fore, quàm variis artibus liberæ ciuitati attulerat conſuetudinem ſeruiendi. Beneuolentia enim ciuium ſeptum oportet eſſe, non armis eum, qui vult & in dominatione diuturnũ, & apud poſteritatem præſtare ſe glorioſum. Quid hæc noſtra, aut paulò ſuperior ætas? quot & quanta eius rei habuit exempla propemodum admiranda, ac vnus ille Ziska in aliis ſufficiat; qui tot ac tantis rebus contra duos Imperatores Romanos, Sigiſmundum & Venceſlaum geſtis; tot exercitibus Principum Germaniæ fuſis, vel ob id vnum, quod fax & incenidũ patriæ ſuæ fuerat, inter alios belli Duces non memoratur? niſi fortè Heroſtratum illuſtriorem putes factum, cùm Dianæ templum ſuccendiſſet. Aſpiciamus verò Angliam, in qua Henricus VIII. qui defenſoris titulum meruerat, quàm tandem inglorius eſt mortuus, quando repentè commutata pietate decem millia templorum, & [illegible] ia mille ſpoliauerat? Quibus tantum aberat, vt diti [illegible] eret, vt etiam nullus Anglorum regum maiorem poſtremò pertulerit egeſtatem. Vt enim Aquilæ pennæ, aliis intermixtæ; ſic cum Eccleſiarum prophanæ coniunctæ diſpereunt facultates. Aſpiciamus poſtremò ipſas etiam Gallias, aut Belgiũ, prouinciam orbis terræ florentiſsimam intueamur. Quonam illi Amirallii, quonam Aurantii, cùm illis ſi Deo placent rebus contra ſuos ciues & reges geſtis reciderunt, vix vt nomen

men eorum à tàm recenti obitu memoretur,ac vt laudentur ab aliquibus hîc,cruciantur illic: & nulla eſt præteritæ voluptatis cum præſenti comparatio cruciatu, cùm poſt homines natos nulla bella quàm ciuilia ſint funeſtiora: in quibus non externus hoſtis ciue ſit truculentior ſuo, nec ea quæ domi patrat, patret vel in hoſtico; neque ea, quæ conciui facit, faciat inimico; cùm illa res veluti in orbem ducatur legitima; & vbi ſemel cœperit, maneat crudelitatis perpetua viciſsitudo, & inexplebile ſtudium, ac cupiditas quædam immenſa iniuriæ vlciſcendæ. Etenim à ciue, quàm ab externo iniuriarum nobis factarum dolores ſunt grauiores, adeò, vt qui ſemel bellorum ciuilium fuerint anteſignani, aut duces, partim victorum ergâ ſe aliorum inuidentia, partim malefactorum conſcientia, pacificationis cum aduerſariis ineundæ præcludant vel aliis poteſtatem. O ſeruitutem! quæ in ipſa non alia magis ratione, quàm ſpecie tuendæ inducitur libertatis. Vt cùm alios oppreſſerint, & illi ipſi tandem propugnatores libertatis opprimantur. Quod ne fieret,ſemper principes & cordati Rerumpub. ciues,bellis contra hoſtes foris gerendis,hæc duo vel potiſsimum ſpectabât, & longè à patriis ſedibus arma ſua efferebant. Primùm quidem, vt contra internum aliquem motum, & ſeditionem ortam aut oriendam militaria ingenia alibi occuparentur. Alterum, vt ſua potiùs tueri, quàm infeſtare noſtra hoſtis viciſsim cogeretur. Verè namq; ille grauiſsimus prodidit auctor, plurimas gentes atque nationes, cùm inimicos foris non habuiſſent, domi ſui inueniſſe. Quod hodie etiam paſsim per Europam deprætendas. Nam neque Gallia priùs ad domeſticos tumultus venit, quàm cum Hiſpanis bellare ceſſatum ab ea fuerat: neque Belgium Principi ſuo hæreditario antè rebellauit, quàm omnia illa, quæ à Gallis eos manebant pericula, poſtremò,fœdere inter Hiſpanum & Gallum icto,ſunt tranquillata. Iam verò & illud alterum certo eſt certiùs, nulla alia re, ne nos noſtraque occupet, & miſſa faciat, hoſtem faciliùs auerti, quàm in eiuſdem hoſtis tecta, ancipiti contẽtione ad diſtinendum incendiũ illatũ & excitatũ. Quî enim prudẽtes illi Romani,& multarũ bonarũ ſanctionũ, & exemplorũ abundantes, in rerũ ſuarum deſperationem adducti, Scipionem in Africam immiſiſſent, & ſeruitute Annibalis eam liberaſſent? Natura comparatum eſt, vt quorum in alieno agro intuitu ne quidem commouemur; eorum domi noſtræ vel minimo accepto nuntio non modò animo, ſed corpore toto perhorreſcamus. Neque verò tantum Carthaginenſibus lætitiæ, ex Annibalis à Cannenſe victoria ſpoliis ad ſe miſsis fuerat;

quantum indoluerant Scipione veniente gemitibus ſuorum audiendis. Vnde ille Carthaginenſis Hanno, cùm poſt Cannẽſem Romanorum cladem, num pacem ab Annibale petiiſſent, fortè interrogaſſet, legatique ſe horum nihil audiuiſſe reſpondiſſent, bellum & non pacem expectare eos debere apertè denuntiauit. Quo magis & nobilis ille Orator Græciæ ſuis Athenienſibus non aliud ſuaſit, quàm bellum in hoſticum vertere, & hoſtem vi & impetu armorum domi ipſius diſtinere. Quid Annibal? nonnè ſua ſuorumque calamitate doctus, apud Antiochum fuga ſalutem quærens, idem illud non dedit conſilium de armis in hoſticum tranſferendis? Quod vtinam quidem & ipſi Chriſtiani contra Turcas amplecti iã pridem voluiſſent, meliorem haud dubiè conditionem Cræſo, qui & ipſe contra Reginam Tamyr Cyro illud dederat, habuiſſent. Sed ſemper magis ſperare quàm diſpicere meliora vni illi datum eſt mortali. Qua tamen ipſa ſpe, ne diutiùs alamur, & fortè etiam defraudemur, duce & auſpice Deo Opt. Max. in hoſticum egredi, & noſtras cum barbaris experiri vires minimè dubitemus. Odia & offenſiones deponamus mutuas, extinguamus inimicitias: & vnum illum Chriſtum Opt. Max. ſeruatorem & magiſtrum noſtrum, qui vel pro interfectoribus ſuis orauit, hac in parte imitemur. Fugax hominum genus Turcæ habiti ſunt ſemper. Non peræquè illis, ac nobis tuta vbique ſunt receptacula: non munitiones, non vrbes, non propugnacula: non minùs internum, quàm externum metuunt hoſtem & domi ſuæ interfectorem. Fidem nec ſuis, neque hoſtibus ſeruant: corpus luxuria eneruant: animos habent non decori & libertati: manus & pedes compedibus aptos & ſeruituti: nihil eis ingenuum, nihil liberale eſt: caput deraſum: capitis cacumen linteis obuolutum: corpus fuſtuariis fractum: os phrenetica potione plenum: demiſſa ad talos veſtis: breuis gladius: longa calcaria, ſeſſorem impedientia: equi in gyrũ vix aliquando verſi, nec peræquè vt noſtri exercitati: inædiæ & frigoris impatientes: diurnus & nocturnus tyranni metus, ſub quo tantum quiſque, quantum aut eius imprudentiam ſubterfugit, aut ſupereſt ſatietati, poſsidet: mens ſibi peſsimè conſcia, abnegati Chriſti memoria, quidùis aliud quàm victoriam pollicentur? Sunt enim ſua data Marti iura, & pro ſe cuique conſcientia dicit, quæ ſunt ei euentura. Nota ex aduerſo domeſtica & Caſtrenſis Chriſtianorum eſt diſciplina, nota liberalis educatio, robur corporis eximiũ, expedita arma, commodus habitus, vigor animi ſummus, miles, nõ tridui neq; triuii, neq; coactus, quin exercitatꝰ liber & fortis, & omniũ incõmodorũ belli,

vulnerum

vulnerũ etiam ipſorũ tolerantiſsimus: libertas denique ipſa,& tàm humanitùs quàm diuinitùs propoſita bellantibus præmia, quam non fiduciã attulerint ducibus & militibus Chriſtianis? Nihil enim tàm addit animos, quàm certa ſpes æternæ vitæ, tàm victis, quàm victoribus ſemper relicta. Commouebunt ſe in Turcas vltrò, quæ olim in communione Chriſtianorum fuerant, tot regna & prouinciæ,tàm externi quàm indigenæ: tàm domeſticæ, quàm aduentitiæ copiæ: tàm longinquæ Aſiaticæ gentes, quàm Europeæ omnes vicinæ. Nondum Illyrios & Epyrotas ſui Scanderbegii cepit obliuio: nòndum Hungari Coruinorum: nondum Græci Paleologorum: nondum reliqui populi ducũ & principum obliti ſunt ſuorum. Nihil non peruium Polonis pateret in Thraciam, nihil Hungaris in Raſciam, nihil Italis in Cyprum aut Macedoniam, nihil Germanis in Illyricum & Dalmatiam. Conſtantinopolim dierum quadraginta ſpatio ex Pannonia cum exercitu itur, & à Danubio ex Valachia decem peruenitur. Vnus ille aliquis Chriſtianorum exercitus Conſtantinopolim profectus,omnes gentes & nationes Turcæ ſubiectas,ad arma in eos capienda excitaret. Quid igitur, quominùs, vel quamprimùm hoc fiat, tandem obſtabit? quid nos ampliùs morabitur? quid continebit? num ſemel credo in hoſticum excurrendi deerit animus? num opes? num commeatus? Nihil horum profectò. Sed torpor quidam impedit,& alieni mali,ac noſtri boni ignoratio, & liuor neſcio quis alterius felicitatis: ipſe denique ſalutis noſtræ & communis diuinæ quietis hoſtis gloriæ Sathan;ille in ſuos quàm in barbaros potiùs ardorem exacuit, conatus auget, funeſta cõſilia ſuggerit, & arma ipſa hoſtib⁹ ſubminiſtrat. Quã autẽ rectè id fiat, ii ad quos maximè id ſpectat, viderint. Prodibant olim depoſitis priuatis iniuriis, conſopitis inimicitiis, prodibant inquam media hyeme longiſsimis ab oris, aſperrimis itineribus in Palęſtinam Chriſtiani, ſacra repetitum loca, ſanguine Chriſti reſperſa, ſalutis noſtræ myſteriis inſignita. Non traiicere maria, non montes tranſcendere, non immenſa & difficilia emetiri itinera, non grauia & infinita adire pericula, factu ipſis videbatur incredibile. Expediti & alacres per Aſiam, per Africam, per Europam volitabant. Nunc proh dolor tàm minimè alieno anni tempore,tàm vicino loco, tàm opima propoſita præda, tàm hoſte cum metu & horrore circumſpectante pericula domi & foris omnia, Hungariam adiuuare ſociam, prohibere calamitate Auſtriam, nauare Reipub. operam,Chriſtum & religionem eius, domumque noſtram tueri, durum & difficile fuerit? Abſit hoc à nobis tantum Chriſtiani nominis & ſeminis

dedecus;

dedecus;absit ignominia.Nihil turpiꝰ est,quã nõ esse id,quod dicare,& vna manu mõstrare panem,& altera ingerere Scorpionẽ,aliud polliceri, & aliud præstare,aliud deniq; stãtẽ,aliud loqui sedẽtẽ.Nõ possũ obliuisci verborũ Maximiliani Cęsaris,quę in extremis Augustanis Comitiis, à quibus in Solymanũ Turcã Hungariã inuadentẽ, & Giulã Segetũq; munitissima loca occupantẽ, ad Iaurinũ exercitũ duxerat in expeditionẽ,multis audientibus protulerat; cùm assidẽs mensæ,multis,vt fit, circũstantibus, laudandæ Austriæ occasionẽ captaret,& quid nunc hæc,nunc illa edulia Augustæ constarent, interrogaret; cara omnia esse respondentibus ; Ecquis inquit, pro opima, Austria cum hoste barbaro & importuno vel sanguinẽ non profunderet, quam ille nobis eripere tantopere concupiscit ? Sua enim suis omnia sunt chara : sed quò opima & florentia magis, eò etiam chariora. Quid verò Hungariam proferam? cum qua,aut nullum, aut Galliarum vnicum regnum potest conferri ; tanta bonitate soli, magnitudine pastionum, boum, armentorum copia, auri & argenti riuulis, militaribus præstans viris, tot Christianis regibus & Principibus florentibus, tot populis eiusdem nominis & professionis virentibus & videntibus impune pereat, dilanietur, contabescat? Reuiuiscas Vrbane Pontifex, & tu Bernharde Abbas,omnibus omnium gentium linguis & literis meritò celebrande. Vestris olim precibus, vestris Christiani permoti sunt adhortationibus, vt patrimonia sua diuendere, vt milites in barbaros conscribere , vt in Asiam proficisci, vt mortem denique non dubitauerint oppetere, vna illa omnium preciosissima Christi Opt. Max. hæreditate in libertatem vindicanda. Cùm interim inter nos torpeant omnia otio; rarissimus sit,qui vel aliquo occupetur negotio, & qui non plus tribuat priuatæ cupiditati, quàm publicæ omnium saluti atque dignitati. Ardent domi cuncta bellis, æstuant inimicitiis : non de defendendo, sed de diffundendo Christiano sanguine cogitatur. Implicata intestinis armis tota est Gallia: nihil ad se pertinere putat id Anglia: nouos concupiscit motus Germania : Polonia insidioso fœdere irretita, tanquàm in alieno agro grandinem, vicinorũ interitũ otiosa intuetur.Tu solus idem ille Christe poteris opem ferre supplicibus, succurrere afflictis, resistere barbaris, animo & voluntate in nos perditis tantum adimere ardoris & felicitatis; vt Christiniani Principes in communionem consiliorũ & temporũ contra Turcas minus possint sociari. Quod quidem vt faxis, vel quod facis potiùs, summe Deus grates tibi agimus, agemusque perpetuò,& in tui vnius spe conquiescimus, à te opem & auxilium implo-

imploramus: te vnum ducem & præsidium nostrum esse, semperq; fore profitemur; & tuis denique auspiciis, qui omnia potes, ne nõ tuorum causa multa præstare soles, de hoc tàm perfido & crudeli hoste victoria potiemur.

TVRCICA V.

SI QVANTVM OLIM CHRISTIANIS REGIBVS & nationibus propria & peculiaris inter se fuit dissensio, tantum nunc demùm armorum & animorum in barbaros curæ esset consociatio, non minùs profectò dubia & formidolosa Reipub. ista tempora, omnium cederent vigilantiæ, quàm vestræ maiorumque vestrorum tot ac tantæ rei contra Turcam gerendæ occasiones olim cesserunt negligentiæ. Vehementiores quippè aculei figuntur in perditis, quàm in rebus antè non possessis. Sed cùm præterlapsa non peræquè semper corrigi, quàm facilè queunt repræhendi; elaborandum est saltem, vt non tàm de iis, quæ præterierunt, multa verba faciendo, quàm ad ea, quæ nos manent, auertenda mala vires nostras serio applicando, in rerum & temporum communionem omnia conferamus. Etenim cùm ab imis ad media, quàm à mediis ad summa difficiliùs veniatur, magnopere certè verendum est, ne quæ olim Turcica sine aliorum sensu sensim inualuit potentia, nobis quidem tandem omnibus sentientibus, sed haud scio, ne frustra renitentibus, eò magis inualescat. Quippè vel inualida robustiora facta, ad fastigium efferuntur. Et quisquam dubitabit, quàm à paruis & obscuris principiis, ad tantam, quantam videmus amplitudinem & potentiam Turcæ peruenerint? Quæ omnia omnium sæculorum memoria, vni Christianorum discordiæ semper adscripta sunt & fuerunt. Nam vt Mahometem primum dogmatis auctorem silentio transeam, Christianarumque gentium & nationum discidia illius æui non enumerem, Ottomanorum familia, sub Andronico Constantinopoleos Cæsare orta, quo demùm peruenerit, obscurũ est nemini. Fuit Zichus tenuissimæ conditionis inter suos homuncio, qui nec locũ, neq; focum, neq; denique quod sciã, patrem habebat certum, cuius Ottomanus filius tum primùm extulerat caput, cùm ferè per omnia Christiana regna & prouincias grauissimi motus & tumultus cierentur. Nam primùm quidem in populosissima omnium prouinciarum Germania, diuturnum illud extiterat interregnum, quo Rudolphus primus hoc nomine Cæsar

est declaratus, & in Italia atque Gallia maxima bellorum incendia exarserunt: cùm ferè circa eadem illa tempora Clemens V. Pont. Max. ob Italicas factiones, quibus nullum poterat afferre remediũ, sedem suam Roma, sub eodem illo climate existentem, transtulisset Auenionum, & omnia omnibus in locis bellis arserunt ciuilibus, & vel in primis Græciæ quidam Principes inter se diuisi Constantinopolitana vrbe vexanda, & oppugnanda occupabantur. Quo magis Tartarorum in Asia labante dominatu, & Christianorum rebus hic & ibi perturbatis, primo illo Ottomano, vt dictum est, auctore suarum Turcæ virium iecerunt fundamenta; & per viginti annorũ aut circiter spatium vicinos populos eodem duce infestando, confinia sua protulerunt. Vix enim pro re & tempore nouarũ rerum & tumultuum, vel aliquid ab aliquo excitatur, quo minùs ei etiam adsint studia, & ministri. Itaque Ottomano illo, vicinorum suorum domitore tandem mortuo, Orchanes eius filius in gloriæ & imperii hæreditatem successit, & Ioannis Paleologi sorore sibi desponsa, magnisque inuitatus præmiis, in Thraciam transmittens, aduersus Paleologi Socerum, Ioannem Cantacuzenum, & Theodorum filium adductis copiis, tàm diu rem duxit; vt Græcis mutuis conflictibus eneruatis, non modò vrbe Callipoli, sed bona Græciæ parte potiretur. Vidisses autem, quàm & subiectorum in Principes suos conspiratio, & Principum in Turcicis auxiliis malè cesserit confisio. Cùm enim Græci barbaros in auxilium euocassent, illi quidem confestim accurrerunt, sed vulgari non contenti præda, Callipolim, & vicina Hellesponti oppida, præmii loco sibi seruarũt. Ita demùm confirmatis viribus, & aditu ad Hellespontum præmunito Philippoli, & Andrinopoli potiti sunt, & denique ad ipsum orientis siue Græciæ totius imperiũ, ab iis tandem est peruentum. O egregios hospites, ô expetenda auxilia, in quibus nec hospes, quod aiunt, ab hospite tutus est, nec minùs victi flent, quàm & lugent victores. Cùm enim bellorum omnium, tum in bellis perpetua crudelitatis est vicissitudo: Iam igitur Orchane ad eum modũ triumphante, & paulò pòst Amurate eius filio, à Myloschio quodam Mysorum equite, cùm in Hunnos expeditiones nouas appararet, interfecto, successit eius natus Baiazetus, qui cùm Thessaliam, Phocidem, Boëtiam, & Atticam suæ effecisset potestatis, & ipsum tandem oppugnatione Byzantium pertentauit. Sed Temerlani per Asiam cursus, (felix né an ferinus magis non facilè dixerim) ex insperato ad fortunæ, si quæ est, ludum ludibriumque Ottomanorum eum retraxit, cùm ab eodem Temirlane in prælio captus,

ptus, & aureis catenis vinctus,per totã Asiã circumueheretur. Quo enim altius ascenderis, eò tũ maximè casum timeas grauiorẽ. Quo loco non memorabo, quanta Christianis Ottomanicæ extirpandæ stirpis, patre in vincula cõiecto, quasi quædã diuinitus oblata fuerit occasio: si Genuensiũ cum Venetis,Hungarorũ cũ Transyluanicis Saxonibus, & Ioannis Galeaci Mediolanensis Ducis cum Scaligeris bella nõ obstitissent. Verùm cùm iam iam Ottomanici nominis principes occasuri crederentur; en subitò Græcorum leuitate, vel ipsorummet copiis auctus est vnus,quẽ his Calepinũ, illis Cybelium, Kiriskellebem aliis placuit appellasse. Qui Bulgaros, Seruios, & Macedones adeò infestauit, vt ne vicina quidem his locis Hungaria potuerit quieuisse. Ignis enim ex proximo facilè in aliud inuolat tecto, & in nostrum ex inimico. Præerat tum rebus in Hungaria Sigismundus Cæsar, nescio feliciorné maritus, an imperator. Qui adeò parum fortunatus fuerat, vt & Boëmicos Zisca duce, in se tumultus non potuerit sedauisse. Raro namque aduersa, non nisi vel aliorũ occurrunt in comitatu. Sed nos his obmissis, ad alia progrediamur. Iam quidem cùm Asiaticas, & Europeas vires, sede Andrinopoli fixa, barbari coniunxissent, Amurates eorum dominus Vladislaum Hungarorum, & Polonorum regem ad Varnam interfecit. At quo modo & tempore, suppudet sanè dicere, cùm videlicet Christiani ipsi exercitum Turcicum, ex Asia in Europam transportassent; cùm plena in Italia, & Germania omnia tumultibus fecissent: & cùm postremò Latinos & Græcos inter se commisissent. Qua ferè etiam tempestate, Thessalonica Venetis adempta est, & Sinderouia sub Georgio Peloponesi domino occupata; cuius paulo antè filia Turcæ in vxorem ducta, captos nihilominùs vxoris fratres duos Stephanum & Georgium, quòd adeò certis sagittis arcum tenderent, vt destinatum scopum semper cõfigerent, igne oculis admoto excœcauit. Nullam namque rationẽ sanguinis nec modum in rebus habet tyrannis. Age enim, an fax & incendium Græciæ Mahometes, ab Amurathe imperio suffectus, cum patre defuncto, Germanis fratribus iugulatis, sui primitias imperii à scelere, & maleficio inauspicatus fuisset, mirabilibus consutis dolis, Constantinopolim non oppugnauit? Qua trigesimo ab oppugnatione die capta, non tantùm saciare animum, sed adeò etiam ipsos immani crudelitate pascere voluit oculos, & nunc viros in partes secari, nunc pueros laniari, nunc matronas & virgines ante se iussit stuprari; vsque eò, licèt hæc & similia antea quoque commemorata fuerint, vt cùm præ metu & horrore Genuen-

ſem coloniam Peram, vltrò ipſi oppidani dediſſent, eius nihilominùs mœnia deiicere, & magno fœminarum puerorumque numero ciues mulctare minimè dubitauerit. Quo eodem penè etiam nunquàm audito victoriarum curſu, cùm Athenienſium relliquias deditione accepiſſet, alterum lumen imperii extruxit Trapezuntũ. Imperatori namque inibi capto, ac ſeptem ſimul filiis cùm tyrannicè capita abſtuliſſet, buſta eorum inſepulta, vix tandem petenti conceſsit Auguſtæ. Et mox Mytilenis miſerabiliter direptis, conſtupratis, venditis, trucidatis; nec in Euboëas minori immanitate eſt vſus, oppidoque eorum expugnato, partim excoriari, partim in ignem mitti ciues iuſsit quàmplurimos. Vt enim aliȩ, ſic hæc ferina humani profundendi voluptas ſanguinis, in ſe augetur & diſtinguitur varietate. Quid dicam, cùm altera Genuenſi Colonia, antiquitus Theodoſia, poſterius Capha dicta, violata fide habitatores abduxiſſet, quàm immaniter Thomam Peloponenſi Deſpotũ ac Demetrium Conſtantinopoli fratres, omni honore ditioneque ſpoliauit? Et quàm Dynaſtro ac Tyſſo oppidis à militibus eius direptis, fœminis, & pueris ſtuprandis in turpiſsimarum voluptatum cœno, veluti lutulentus ſus fuerit volutatus. Quid quòd & in ipſa demùm Italia Hydrunto capta, & toti Neapoleos regno per Aconiatum ſuum ducem ſubiectis ignibus, haud ſcio ſi quieuiſſet, niſi mors atrociora molientem, & ad vrbis orbiſque imperium anhelantẽ præoccupauiſſet. Nihil quippè mẽte vaſtiùs,exitu vitæ incertiùs,curſu victoriarũ tenerius copiis diſſolutiꝰ eſt bellatoris.Quæ õnia,proh dolor,ciuili Chriſtianorũ ferenda accepta ſunt diſcordiæ, adſcribenda negligentiæ, furori tribuenda & amentiæ. Nihil enim Græciæ Cæſaris, cùm Conſtantinopolis à Turcis oppugnari debuiſſet, apud tot, tantoſque tum temporis Europæ reges valuerunt preces: nihil Græcorum legati, & legationes: nihil Pont. Max illius tempeſtatis cohortationes; cùm Germania, duce Alberto Brandeburgico,Achylle Germanico dicto, inteſtinis ſeditionibus, Columnenſi & Vrſinorum factionibus Italia, & Crucigerorum bello arderet Polonia: & cùm poſtremò per multa Europæ regna & prouincias, ſurſum ac deorſum omnia miſcerentur. Sic vt Baiazetes patrem Mahometem imitatus, & à Sforzia, Mediolanenſi inſtigatus, non multum negotii habuerit,Mettone & Corone Venetis adimendis. Qui idem haud ſcio, ſi & militibus peperciſſet Rhodiis, niſi diuinum affulſiſſet lumen, & Ferdinandi Hiſpaniarum regis Catholici, clariſsimi nominis dux Conſaluus, Venetis auxilio miſſus, Turcarum conſilia diſturbaſſet. Qui cùm demùm Venetias

triumphanti-

triumphator appulisset, & à Repub. splendidisśimè fuisset muneratus, gratiis actis, Venetorum militiæ præfectis, omnia rursus munera illa est dilargitus. Magni namque viri non tam præsentes fructus, quàm posteri temporis spectant memoriam, laborum & periculorum suorum sempiternam. Ante quod paulò tempus Caroli VIII. Gallorum regis Sforziæ instinctu incidit profectio, & multi Italiæ proceres, Cæsaris Borgiæ crudelem persenserunt dominatũ: quo facilius exciti, & à nostrismet principibus animati, Turcæ per Europam sunt perbacchati. Quod tamen diuina iustitia, similes conatus semper vlciscente, cùm alii, tum minimè tulit ipse impune Sforzia, qui arbitrum Italiæ agere videri volens, tandem arbitrium suorum tulit hostium, & decennali carcere fœdo ad mortem vsque scelera expiauit. Turbulenti namque homines, vt plerunque fit, ad turbida & tenebras deturbantur. Quo tamen ipso (vt omnia semel lapsa in peius ruũt) nihilo prouisum meliùs fuit Reip. tametsi enim faces illæ & incendia rerum, Sforzia & Borgia vinculis mancipati fuissent, & Selymus Turca Baiazetem patrem veneno enecasset, semper erat aliquid, quo Christiani reges atque principes inter se committerentur. Vnde illud ad Rauennam inter Gallos victores & Hispanos non incruenta cedentes victoria secutum est prælium, & bellis Christianorum durantibus, Selymus Turca, nescio si non vna eademque æstate Arabes, Ægyptios, Cylices, & Caramannos subiugauit. Quo ipso tantus Christianis omnibus terror erat iniectus; vt ad communia in communem hostem capienda arma, per Europã clamatũ sit vniuersam, & quasi ob immensam potentiam, qua indies magis magisq; augebatur, Turcis superandis fuerit desperatum. Vt enim in oppugnationibus vrbium & munitionũ, non priùs obsesi desperauerint, quàm duces, & commeatum amiserint; sic & in tyrannicis istis imperiis, vix nobis suspecta fiunt prius omnia, quàm nulla ampliùs resistere iis queũt auxilia, cũ maxima infamia nostræ & euidentisśima pœna tarditatis: cũ interim non modò vtile, sed adeò maximè sit fueritque semper necessarium, hostem ancipiti contentione distractum, & quàm longisśimè à nobis, nostrisq; sedibus tenere perpetuò segregatum. Multæ enim ærumnæ vicinorũ ęrumnis longè lateq; sæpè dimanãt. Vidit hoc, & nõ vidit Christianũ imperiũ, & cùm in multis aliis, tum in Solymano Turca Selymi filio tandem cognouit; qui simul atque pater in viuis esse desiit, eodem, quo & Carolus V. Cæsar imperio auctus, ad Christiana regna & prouincias occupandas animum applicauit, & hanc, de qua continuò nobis est institutus sermo, Hungariam dilacerauit.

uit. Quam ad rem nullã ſanè aliam, ceu quandam ſegetem & materiam, quàm ipſorummet Hungarorum habuit diſcordiam, qui regum ſuorum electiones temerè geminabant: nec deerant alibi etiam crudeliſsimorum bellorum, inter Chriſtianos incendia, quibus Solymanus rerum ſuarum ſecurior & animoſior factus, paulò antè, quàm inter Carolum V. & Franciſcum Galliarum regem exoriretur bellũ, Rhodũ occupauit, & demùm etiam ipſum Ludouicum regem ad Mohacum interfecit. Quem cùm fortè dixiſſes quieturum, tum ille vel maximè ferox, & ſibi ſuæque felicitati præfidens, Viennam Auſtriæ vrbem, non tàm mœnibus, quàm viris munitã fortibus, anni alieno licèt tempore, obſtinatiſsimè oppugnare cæpit: à qua tandẽ reiectus, irrito conatu diſceſsit, & quantùm in ſtrenuis vrbium defenſoribus poſitum eſſet, multis ſuorum deſideratis, non obſcurè declarauit. Non tàm enim muris aut mœnibus, quàm virorum fortium pectoribus propugnacula defenduntur. Plena tum Lutherani dogmatis fuerat Germania; & idem etiam mali, vel in ipſa Pannonia graſſabatur. Itaq; dum ob internos motus, ægrè cum infidelibus armis Hungari, otioſis quæſtionibus cum fidelibus Germani contendebant, & dum nobiles Hungaros ſub iugum ſuum barbari mittebant; Germani ruſtici in Euangelicam (ſi Deo placet) libertatem ſeipſos aſſerebant: & dũ Hungari liberos, libros Germani ſuos contra matrem eccleſiam editos tuebantur; Germani denique cogebant diſceptationum gratia conuentus: Hungari omnium miſerrimè Turcicos ſuſtinebant ictus: illi denique dogmatis ſui confeſsioni, hi patriæ defenſioni incumbebant. Quid igitur ex tàm impari & impia colluctatione ſit ſubſequutum, audite obſecro, & mandate id memoriæ, ne ſimilibus exemplis imitandis, non multò exitus referamus lætiores. Carolus quidem hoc nomine Cæſar V. haud ſcio, an poſt Carolum magnum aliis potentior, vix memorabile contra Turcas aliquid potuit præſtitiſſe. Ferdinandus quoque Romanorum & Hungarorum, Boëmorumque rex, Caroli frater, malum nactus aduerſarium, omnes ſuas tuenda Hungaria exhauſit opes, & infinitas contra barbaros, Germanorum obtriuit legiones. Turca interim non ſolùm in ipſo capite Græciæ, aut Hungariæ, ſed tantùm nõ in reliquo triumphat Europæ: quẽ noſtrũ vult premit, cui quid collibuerit, adimit, noſtras omniũ ſedes concupiſcit, nobis extremam ruinam & exitium (niſi Deus prohibuerit) vniuerſis machinatur. Fac fuerit ſuperioribus annis, nauali victus prælio. Quid tum poſtea? Nobis tantùm carinæ, mali, & proræ; illi regna, illi prouinciæ, illi maritimæ oræ ceſſerunt ſub imperium.

Quem

Quē quàm Philippū Hiſpaniarū regē, vnū ſibi ſuæq; potentiæ veluti quendā obicē poſitū reformidet non habet. At & is, cùm ætate grauis, tū ipſiſmet Chriſtianis eū oppugnantibus in Turcā futurꝰ eſt tandē imbecillis; cū quotus quiſq; ſit, qui ſummis & tyrannicis imperiis vel ſummorū etiā regū potentiā opponi oportere intelligat: & tantū abeſt, vt aut difficultatibus eius condoleat, aut ad ſananda Reip. vulnera manū admoueat; vt hoc etiā eius imperium primo & præcipuo loco euertendū, tū demùm Turcicū, ſi fieri queat, aggrediendū potiùs arbitretur. O inuidiā! quaſi verò, quàm ab omni iuſtitia & humanitate, ratione, cōmodis, neceſsitate alienū id ſit, omnes non intelligant, ac vtinā quidē tardè, ſed vereor ne vel ipſa opinione noſtra celeriùs eius rei & conſilii nos tædeat atq; pœniteat. Faciliùs enim ſummæ auctoritatis & potentiæ, in Turcam Principis vires cuniculis eſt ſubuertere, quàm demùm vel apertè nouū aliquē eadē potentia augere. Quamobrē, quid de nobis tandē his diſtractis partibꝰ & artibꝰ futurū ſit, proſpiciat ſecū quiſq; animo: auertat pro viribus clades, quæ impendent; & nullū nobis nocendi finem impoſiturum hoſtem, ſi noſipſi non impoſuerimus nobis, certò ſibi polliceatur. Turcæ nomen denotat vaſtatorem, dogma Chriſtianorum facit prædonem, impotentia animi euerſorem, vſus & caſus reddunt in dies cautiorem. Nihil barbaris magis proprium & peculiare eſt, quàm perpetuas in Chriſtianis diſcordias alere, in iis priuata odia & inimicitias, bella ex bellis ſerere, & vna Chriſtiana gente oppreſſa, ad alteram opprimendam properare. Nos verò, quaſi vltrò etiam ipſi barbarorum dicto audientes ſumus, bella inter nos gerimus, ſeditiones & tumultus excitamus, occupamur in dies armis domi, ſegnes & inermes ſumus omninò foris. Ceſsimus tot regnis & regionibus noſtris Turcæ diſcordes: ne vnū quidem eripuimus ipſi contra eum ſociati. Quid nos vel ipſa ſaluare poterit ampliùs ſalus, cùm ita volentes & videntes ruimus ad interitum? Iam quod ſciam, nihil aliud ei deeſt, ad nos, noſtrumque hunc reliquum dominatum euertendum, quàm iuſtum & moderatum in deuictos imperium. Quo ſi vſus iampridem fuiſſet, vt varia, & mobilia multarum gentium nationumque ſunt ingenia, plura inter nos deditione, quàm armis poſſediſſet. Sed nec nos etiā quid æquū & moderatū ſit peræq; omnes ſcimus: neq; ita à turpiſsimis quibuſq; cupiditatibꝰ liberare nos poſſumꝰ, quo minùs ſaltē vultu, & oratione ſecus præ nobis feramus, & quòd refugiamus ſeruitutē. Catholici re & nomine regis potentia maiùs, Chriſtianorum rebus addictiùs, dominatu iuſtiùs, gubernaculis nihil eſt moderatiùs. Verùm

rùm nos incognita pro cognitis ſæpè apud nos habemus, & falſis auditionibus plus quàm par eſt commouemur, alienæ potentiæ inuidia, quàm ſociorum miſeriæ magis ducimur miſericordia. Noctuarum denique inſtar non ferimus libenter ſolem, paulò ſplendidiorẽ. Temporibus ſine omni dubio, quæ vereor ne cito veniant, durioribus, huius diei voce voluntatis meæ teſte, iſtius regis ęquales aliquandò expetemus. Qui quantum his quadraginta penè continuis annis, nunc ad Zerbas, nunc ad Melitam, nunc ad Naupactum, nunc ad Guletam, cum barbaris confligens, Turcarum reſtiterit potentiæ, illi opinor nobis longè meliùs recordantur, & damna magis dolent ab eo accepta, quàm nos ponderamus beneficia in Rempub. collocata. Verùm cùm & ille homo ſit, & humani à ſe alienum nihil vnquàm duxerit: & cùm denique rei benè gerendæ occaſio ſemel amiſſa raRò redierit; quoad tandem per incertos eius, filiique ipſius valetudinis exitus licuerit, & tempora, rationeſque eius tulerint, vita & potentia illius vtàmur: & cui pro præſtantibus meritis omnis debetur honos, eum inuidia minimè proſequendum arbitremur. Plena voluptatis & ſecuritatis eſt res, potentiorem bonorum patronum, quàm hoſtem & inſidiatorem libertatis habuiſſe.

TVRCICA VI.

NEMINEM DVBITARE ARBITROR, MVLTO QVIdem plura & grauiora bella, quàm quæ à me paulò commemorabantur fuiſſe, odiis & inimicitiis Chriſtianorum inter ſe exercendis. Itaque, quî mirum & incredibile ſit etiam alicui, ad tantam rurſus amplitudinem & immanitatem Turcas veniſſe, cùm & quanta à nobis præbita eius rei habuerint exempla, & quanto diſcordiæ noſtræ auxerint eos ſpiritu intueatur. Nam vt quidam vetera, & obliuione ferè ſepulta, ſilentio tranſeam, quàm non modò auorum, ſed noſtra hæc ætas multa immanitatis in ciues ſuos exẽpla viderit, quis ignorat? vt adeò barbaræ quæque gentes, vix aliquãdò in nos talia patrare auſæ fuiſſent, aut adeò etiam præ pudore commiſiſſent qualia nõ in hoſtes, ſed in cõciues noſtros, ſine omni reuerentia patrata à nobis ſunt & fuerunt. Ac ne vetuſtiora repetam, reuoluamus pauliſper animo in quibuſdam Italiæ factioſis vrbibus, quæ ſub Guelforum & Gibellinorum nomine, nunc Pontificias, nunc partes tuebantur Cæſareas; quàm immaniter in hoſtes

ſtes graſſatum ſit, & quàm tota ferè Italia ciuili ſanguine redundarit, cùm ii, qui inimicorum ſuorum in poteſtatem veniebant, quidam forcipibus candentibus diſcerpti, quidam ex domorum faſtigiis erutis oculis præcipites acti, pueri verò ipſorum in cunis vagientes occiſi, matronis in conſpectu ipſorum coniugum ventres exſecti, & multa alia nefaria, & dictu adeò etiam fœda commiſſa memorentur. Quippè vt impudici tactus libidinem, ſic ſanguis fundi cœptus, maiorem quotidie elicit crudelitatem. Quod non modò patrum aut auorum noſtrorum, ſed hoc ipſo noſtro ſæculo facilè fuit depræhenſum. Etenim triginta plus minùs ab hinc annis, ſi omnia omnium Europæ regnorum & prouinciarum ciuilia valde inciuilia bella, furoreſue potiùs memorem, non tantum dies, ſed & ætas ipſa me deficeret. Quis enim ignorat, quæ & quanta vis ſacris virginibus, quàm varia & crudelia mortis genera ſacerdotibus, quæ & quàm atroces contumeliæ fanis & altaribus ſint illatæ? quot & quanti religioſarum familiarum viri, quot Antiſtites ſacri, alii in terram defoſsi, abſtracta cute, clauiſque crania tranſfixi alii, humum ad ſepulturam ſibi effodere quidam ſunt coacti? quoties ex ſacerdotum adhuc ſpirantium ventribus diſciſsis, atque inter ipſa gementium piorum viſcera, iniecto hordeo, pabulum equis eſt propoſitum? quoties ad altare puluis tormentarius in ſacerdotum os ingeſtus, aut ad bombardæ foramen ſufflare iuſsis, caput eſt diſcerptum? quot & quàm illuſtres Catholici viri, conuiuio primùm ab hæreticis excepti, tandem de turribus & montibus ſunt præcipitati? quot prægnantium & viuentium mulierum vteri ſunt diſſecti, & embriones palpitantes in ignem iniecti aut verubus alligati, & ad focũ toſti? Vt tot, tantaque alia, quæ nec in media barbaria patrata fuiſſent, hoc loco taceantur. Quid? in viuisné tantùm hæc tam immanis notata eſt immanitas? imò verò in ipſis quoque mortuis: neque tantùm in gregariis aliquibus, ſed in ipſis etiam regibus. Age enim. An Ludouici hoc nomine vndecimi, Galliarum regis (horret referre animus) oſſa, quæ iam pridem quieſcebant, in vetuſtiſsimo & nobiliſsimo tota Galliæ fano, non ſunt exhumata? & caput impoſitum pilo, per multa & varia loca non paſsim eſt circumlatum? Quid, quòd ne inanimis quidẽ eſt parſum? & cùm numinis occulta quædam cunctis ingenita ſit reuerentia, & vbi prædæ non ſupererit aliquid ſpei, vix tantum laboris dederis in inanima vltioni; hoc in iſtis, in figura hominis immaniſsimis quibuſdam, non dicam religionis hoſtibus, ſed belluis eſt depræhenſum; vt ſacroſancta Dei Opt. Max. templa di-

ruerint, euerterint, complanârint. O perfidiam & amentiam execrandam! Nobilis quidem iampridem facta Moſchorum in captiuos eſt crudelitas: nota Scytharum & Tartarorum immanitas; quos canino propterea lacte lactant matres, vt inde à pueris ſint ferociores, & equorum ac animantium reliquorum uorandis carnibus eos aſſuefaciant. Quid? An & Turcarum non notata eſt truculentia, qui noſtris excarnificandis pretia redemptionis poſtulant grandiora? Sed nihil hęc ad noſtros hos (ſi Deo placet) qui ſe appellant Chriſtianos. Quid ergò mirum etiã ſit, cùm tot & tanta immanitatis exempla in conciues ſuos barbari apud nos videant, omnẽ etiam crudelitatem adhibere in noſtros conſueuiſſe? Et tantò quidem fidentiùs nos perſequi, quantò inter Chriſtianos diſcordias & diſſenſionem maiorem ſemper & vbique liceat intueri. Magnus enim hoſti ad capienda arma eſt ſtimulus, vicinus, cum altero non modò animis, ſed aliquandò etiam caſtris ipſis diſſociatus. Vnde olim Romani difficiliora bella habuerunt nuſquàm, quàm in ipſa Italia, cùm Hetruriam inter ſe colligatam, & aditu difficilem ſubiugarent. Quod haud dubiè quoque & barbaris ipſis, contra Chriſtianas gentes & nationes eueniſſet, ſi ipſimet quaſi ad accipiendũ vltrò vulnus diſcordiis ſuis latera non aperuiſſent. Faciliùs enim ferire eſt eum, qui ſeipſum offert feriendum. Quo etiam eſt factum, vt non Tartarorum, non Perſarum, non Mamalucorum arma remorata Turcas ſint, non Aladoli, non Sultani Ægyptii, non Ottomanorum patrum in filios, & filiorum in genitores bella ab inſtituto retardauerint. Habent, quod aliâs etiam dictum eſt, viuentibus & videntibus maioribus noſtris duo imperia, regna quàm plurima, innumerabiles prouincias, vrbes & munitiones infinitas: ac, quod ſummũ eſt, habent bene cõpacta & connexa inter ſe omnia, & in omnibus firma præſidia, exercitatos milites, auri & argẽti magnos aceruos; vnum, cui cuncta obediunt caput: & tàm bello, quàm pace, tàm domi quàm foris æmulationis nihil; aut in ordinibus, vt hîc ſunt noſtris, & in quibus nullus ordo reperitur, diſtractionem voluntatum. Quo loco non poſſum non meminiſſe, quòd Herberſtainum ſenem, Turcicis, & Moſchouiticis legationibus clarum, apud Cardinalem Oſium, tum apud Cæſarem Ferdinandum Pii IIII. Pont. Max. legatum, Viennæ vnà nobiſcum aſsidentem audiui memorantem; cùm eiuſdẽ Ferdinandi legatione apud Solymanum in Budenſi expugnatione fungeretur, riſiſſe nimirum Turcam Chriſtianorum principum diſcordias: & ſe quidem ipſum Dra-

coni

coni vnius capitis, cum multis caudis; Ferdinandum verò eius dominum, itidem Draconi ſed multorum capitum, & vnius caudæ comparauiſſe. Quo tandem ſequeretur, vt Turca ad omnia expeditus concomitantibus eum caudis, & nullo remorante capite profectus, ex animi ſui ſententia cuncta conficeret. Ferdinandus multis capitibus eum detinentibus, non ſemper quo vellet perueniret. Sic barbaro & impotenti hoſti, re benè feliciterque in Chriſtianos geſta, placuerat adeò iis inſultare. Quem enim damnum, eundẽ & contemptũ ſæpè videas retuliſſe. Quæ tamen non propterea refero, vt deſpondendus, ac non multò etiam propterea magis aſſumendus ſit animus; cùm appareat, qua, & quàm immenſa ob diſcidia noſtra Turca ſit fiducia, & quæ his malis remedia, & quàm in tempore requirantur. Quippè quò plures ciuiles diſcordiæ, eò & grauiora Reipub. ſunt detrimenta. Videre quidem non neminem eſt, in tanta vt facierum, ſic ingeniorum in hominibus varietate, inutiles prorſus conatus iam noſtros, & Turcicum Cæſarem mole imperii ſui, vt ruat, quàm vt irritari debeat, potiùs expectandum, aut ſaltem non multò etiam Auſtriacos reges adiuuandos magis ſermonibus vſurpantem. Sed quantum is longè aberret à ſcopo, quis vnquàm dubitauerit? Nam vt puerile nimis fuerit, flumen quod traiiciendum ſit, vt defluat, & in mare, aut aliò ſe exoneret expectaſſe: ſic & Turcicum dominatum, qui noſtra partim ignauia, partim diſſenſione creuit, ſine armis & bellicis expeditionibus noſtris velle videre corruiſſe. Sunt enim multæ cogitationes vanæ; ſed de barbarorum animi in nos beneuolentia, aut his, quæ iam occuparunt imminuta cupiditate vaniſsimæ. Iam verò, quod & ad Auſtriacos ſpectat reges, vt iiſdem temporibus, An non longè diſsimilibus artibus, ab Ottomanis aucti ſunt & fuerunt? Etenim, vt vel vnum illud Auſtriacorum regum progenitoris pietatis proferam exemplum, & cui credibile non fuerit, vt flumina ab ortu ſuo longiùs progreſſa, latiùs ſe fundere: ſic nec quidẽ à præclaris maioribus ſuis, multum poſteros degenerare. Fuit quippè abhinc tercentis & pluribus annis, qui parochiali munere fungens, ad quendam ægrotum, ſacroſanctam Euchariſtiam pedes deferebat. cùm interim torrens quidam illis diebus exundauerat, & deferenti periculi nonnihil minabatur. Superuenit tum Abſpurgius Comes, qui vltrò parochum equo impoſuit, & in alteram ripæ partem delatum, ad ægrotum vſque pedes eſt comitatus. Re (vt fit) vulgata, monacha quædam, illis temporibus ſanctimonia vitæ clara, huius tanti viri progeniem nunquàm degenerem fu-

turam, & magnos honorum cumulos, diuinitus prædixit ſortituram. Et quidē non immeritò. Quemadmodum enim in Ottomanis impietatis & crudelitatis, ſic in Auſtriacis regibus religionis & humanitatis exempla ſemper relucent. Quæ quoniam contentione, quàm per ſe ipſa magis cognoueris, vnius & alterius familiæ principum inde ab incunabulis ingenia, mores, inſtitutum vitæ, & omnem gubernandi modum & rationem, ex iisque demùm progreſſus & conſecutiones omnium, tum & exitum dominationum, vel tecum ipſe faciliùs recognoſcas. Et quid Ottomano primo gentis auctore rapaciùs? quid Orchane immaniùs? quid Amurate vicinis infeſtiùs? quid Baiazete alieni appetentius fuit aut eſſe potuit? quos omnes Mahometes auaritia, Baiazetes perfidia, Selymus inſidiis, Solymanus ambitione, Selymus alter temulentia, Amurates immanitate ſuperauit. Et quis denique negauerit, Otomanici nominis & ſeminis regem, qui in ſuorum ſanguine ſuas non polluiſſet manus, vix vel vnum aliquandò extitiſſe? Orchanes quidem Ottomani filius fratres germanos interemit tres: eius ſucceſſor vnum: Baiazetes à Temirlano pòſt captus, ſeptem: huius porrò filius Muſulmanes occidit vnum, quem rurſus Moſes eius frater, & hunc Mahometes interfecit. Diceres experiundo contemnere, ſatietate abiicere, hunc tandem laniatum Ottomanos voluiſſe. At in hanc vſque diem & quodammodò etiam maior crudelitatis regnat in iis viciſsitudo. Mox quippè Mahometis illius filius Amurates dictus, eius filium ſuſtulit: & rurſus Mahometes alter, qui cepit Byzantium, Amuratis ſoboles, quinquennem fratrem interfecit: poſtremò verò huius filius Baiazetes, qui omnium Ottomanorum fuit doctiſsimus, & Auerroem in linguam Turcicam vertit, Gemem fratrem Turcia pulſum, & in Italia mortuum, crudeliſsimè interficere ſemper eſt conatus; vt nihil emollire mores, aut manſuetiorem facere illæ potuerint eum literæ. Quippè mali corui malum ouum, vt habet Græcorum verbum, eſſe conſueuit. Sed age, progrediamur. Quid enim? an huius Baiazetis Selymus filius, eundem illum genitorem ſuum, cuius mortem ſenis expectare non poterat, veneno non ſuſtulit? & an fratrum filios quinque, germanos verò fratres duos Corcutum & Amuratum non interfecit? Cui cùm vnicus fuiſſet Solymanus filius, & haberet prorſus fratrem germanum neminem, aliquandiu quidem neſcio quàm moderati animi præ ſe tulit ſpeciem: ſed poſtremò etiam tandem Muſtapham filium, & ex eo ſuſceptum nepotem alterum interfici, & illud proclamari iuſsit: Vnum Deum in cælo, & vnum Solymanum in terris eſſe colendum

lendum. Huius denique Selymus filius, qui nostra vixit memoria, an non quinque fratres? & iste Amurates, qui nunc rebus præest, an non totidem interemit? Nihil dico de hoc paucis ante diebus creato Mahometo, quem incredibili crudelitate ferunt in suos grassatum fuisse, & ferè superiores Ottomanos omnes hac in parte superasse. Faciliùs enim sectêre scelera, quàm exprimas virtutis vestigia vel minutiora. Iam verò in Austriacorum regum & Cæsarum familia contraria omnia videas, & nulla non optima omnis generis, virtutis & mansuetudinis exempla intueare. Quid namque? An Rudolphus Cæsar Austriacus primus non modò à suorum fundendo abhorruit sanguine, sed in Ottocaro rege Boëmiæ hoste, quàm esset mansuetissimus, non declarauit? cùm affinitate sibi deuincendum, quàm captiuum morte mulctandum potiùs iudicauerit. Quid duo Alberti Austriaci Cæsares? an vt vnus militari gloria clarus, alter grauitate maximè esset spectatus, non vterque huius mansuetudinis laudem retulit singularem? de quorum altero famâ vulgatum est, quòd cùm rusticum quendam in ponte Pragensi, fœnum curru trahentem habuisset obuium; & ne eum, Cæsar prægrandi naso, proficiscentem impediret, inclamantem audiuisset; manu naribus admota, & paulò deflectens, vt tutò iter prosequeretur suum, humanissimè compellauit. Quid verò, à quo Austriacorum Cæsarum continuata cœpit successio, Fridericus, quibusdam hoc nomine Cæsar tertius, aliis quartus, an iis omnibus qui eum aliquandò obsessum Viennæ tenuerant, & fame ac inædia diu macerauerant non pepercit? Et huius rursus filius Cæsar Maximilianus primus Brugis ab oppidanis captus, & huius denique nepos Carolus hoc nomine V. Romanorum Imperator, à suis, apud quos natus fuerat, Gandauensibus proditus; an vitam, quam iustissimè eripere poterat, non liberalissimè multis donauit? paucis admodùm affectis supplicio, qui proditionis illius extiterant auctores. Nihil enim pulchriùs est, quàm pœnam ad paucos, metum ad omnes pertinere præstitisse. De Ferdinando & Maximiliano patre & filio Cæsaribus non loquar: cùm constet, vel Anachoritam aliquem Ferdinando religiosiorem, vel Maximiliano Cæsare, illũ Octauiũ Imperatorem, qui humani generis deliciæ dicebatur, humaniorem benignioremúe non extitisse, ne viuorum laudes, cùm non obscura aliquorum inuidentia fortè hic persequamur. Et cùm nemini sit dubium, Austriacos Cæsares exempla virtutum reliquisse plura, quàm in multis philosophorum scholis præcepta illarum tradita sunt selectiora. Qui, vt tantùm nouem, & Ottomanici nominis fuerint qua-

tuordecim, longè quidē latiùs ſuū protulerunt, & florentiùs reddiderunt, quàm illi imperiū: & quantū barbari continuis rapinis, vi, fraude, immanitate, truculentia; tantum illi laudatiſsimis artibus, connubiis, affinitatibus, benignitate, clementia, ſibi poſterisq; ſuis amplitudinis comparârunt. Quos ego aliis obmiſſis nō idcirco laudauero; vt mihi per id aliquā eorū velim venari gratiā: qui bono illo cōmuni cōmunibus quod reſiſtūt hoſtibus ſum cōtentus: ſed cū barbari hos ſibi potiſsimū propoſuerint euertēdos, eorumq; potētiā ad orbis terræ imperiū cupiditati ſuæ maximè obſtare arbitrentur; vt vnius & alterius familiæ ortus & incremēta, tū & progreſſus, actionesq; omnes & dominationis ratio, hac veluti cōtentione faciliùs cognoſcantur. Multis enim modis, ſed cōparatione vel in primis res, rerumq; cauſas, & vel horū felicitatis & potentiæ, vel illorū imbecillitatis & infortunii effectrices magis explores. Infer igitur quo velis oculos, & tam in Turcico imperio regnorū vrbiumq; vaſtitatē & tyrannidē, quàm in Auſtriacorum regum Reipub. florem & dignitatem, & imperandi iuſtitiam ac moderationem animo intuere. An verò dubitaueris nuſquàm elegantiores ditioresúe ciues, præclariora ingenia, florentiora regna, ſolidiorem libertatis ſtatū, quàm ſub Auſtriacis reperiri? Aſpiciamus Hiſpanias; an vllo alio, quàm hoc ipſo tempore magis aliquando floruerunt? Cùm enim duo ſint Hiſpaniarum tempora; vnum illud quo vel ipſa Roma, præſtantiſsimis ducibus, ingeniis, Cæſaribus lætabatur; hoc verò alterum, quo quibus ſolis curſus, iiſdem ferè Hiſpanicum imperium terminis continetur; repetamus paulò memoria, quàm his cētum annis, non ſolùm Hiſpaniæ ipſæ diuites factæ ſint, ſed alias innumerabiles gentes & nationes ſemper ditârint, cùm ex Indiis, & tàm obeuntis quàm orientis Solis vltimis, ingens auri & argenti vis in has oras importaretur. Quid verò Italia? an vnquàm antea fuit pacatior, quàm ſub hoc Philippo Hiſpaniarum rege, vtramque Siciliam, & Mediolanenſem tenente principatum? Cuius rei vel illud vnū fuerit argumentū, quod ædificandarū extruendarūúe Neapoli ædium, oportuerit cupiditatem hominum latis legibus inhibere, vt commune totius Italiæ taceam beneficium, quæ hoc rege regnante propè iam à quadraginta annis perpetua fruitur pace & tranquillitate. Potentiorum enim auctoritas & reuerentia, imbecillorum eſt concordia. Quòd ſi in Belgio eſt aliquid tumultuum, vt velis nolis, fateare eſſe plurimum; vereor, ne quod in prouerbii conſuetudinem abiit, turdus ſibiipſi malum cacaſſe, & ob vicinum Galliæ incendium, illud quoque exortum eſſe non potiùs videatur.

tur. Noluerunt quippè Belgæ vicinis Galliarum ærumnis erudiri: ſuo igitur malo, quàm minimè ſint bella bella ciuilia, experiuntur. Quæ vtinã quidẽ ſopita iam pridẽ eſſe potuiſſent. Hæc quæ iis gerendis profuſa eſt pecunia, eorum optimum regem ad Chriſtiani nominis decus & præſidium Byzantii procul dubio collocaſſet. Sed & quærelæ ingratæ, quando erunt ſeræ, & huius ſæculi ſeu quædam labes, & macula eſt, ſuorum potentiæ & amplitudini inuidere. Quare his obmiſsis, nos ad noſtrum reuertamur curriculum, & quid & Germania tot Imperatoribus Auſtriaci ſeminis recta & tecta hactenus habuerit felicitatis, nobiſcum ipſi conſideremus. Magnum ſanè vt Germanorum conſtantiæ, ſic & Auſtriacorum Cæſarum magnorum in Rempub. meritorum eſt teſtimonium; his tercentis annis ſemel & iterum interruptam ſucceſsionem, ad eoſdem illos Auſtriacos quaſi quodam poſtliminio reuertiſſe. Etenim, vbi ſpes ad multos, poteſtas eligendi ad aliquos, exitus ad vnum in Cæſarũ pertinet electionibus; vnius ſanguinis multos multũ fuerit Cȩſares ſpõte ſibi præfeciſſe. Itaq; & Principis neſcio cuius electoris, vox illa eſt memorabilis, qua cum ipſi imperium delatum potiſsimum fuiſſet, ſolos in Germania Auſtriæ Archiduces, dignos imperio ſibi videri; & alendis falconibus, quam non neminem ſuſtinendis imperii faſcibus plura præſtare poſſe, ingenuè fatebatur. Multum autem eſt regem vel eligi Cæſarem: ſed multò fit pluris omnia decora, & præſidia imperatoriæ habuiſſe maieſtatis. Quo etiam apparuit magis, vt ſemel de ſe concitatæ expectationi Auſtriaci Cæſares reſpondiſſent, vel in his Germaniæ, quæ religionis rebellioniſue potiùs gratia excitati fuêre motus, quanta moderatio animi, quanta æquitas, quanta in puniendis ſontibus lenitas eorum fuerit; vt non magis armatos quidam timuerint, quàm depoſitis armis coluerint victores. Iam quid ego eorum in ſubiectos ſibi populos fidem, quid miſericordiam, quid pecuniis imperãdis iuſtitiã, animique moderationẽ proferam? Nota eſt illa Caroli V. Cæſaris apud Hiſpanos, maximè autẽ apud Arragonios manſuetudo; à quibus cùm aliquid ſubſidii volebat impetraſſe, humili veſte tectus, & equulo vectus, Menzonum, vbi ordines cogebantur, ingrediebatur: ad mouendam haud dubiè in multitudine miſericordiam, quȩ tanto tamque benè merito principi à ſuis debebatur. Omne enim artificium in rebus eſt honeſtũ, modò ſit finis bonus propoſitus honeſtatis. In qua quidẽ Arragonia, ſi qua nunc demùm in rebelles ſubſequuta eſt animaduerſio, ne vel ipſorũ ad mortem damnatorũ confeſsione victus

iuſtè id eſſe factum procul dubio fateare. Omnis enim rebellio, aut diſsimulanter ferenda, aut alia quauis arte conſilioue auertenda, aut verò quamprimum nec modo apertè, ſed & acriter eſt punienda. Quid Bohemia? quæ quorundam ſermonibus à libertate in ſeruitutem eſſe redacta, circumfertur. An ducentis ab hinc annis maiora & magis magnifica ædificia in ea erecta ſunt, quàm hoc ferè decennio vno, omniũ cũ admiratione tandem ſteterunt. Hæc quidẽ omnia, quòd magnificè ædificant, quòd agros diligenter colunt, quòd tot hortos ad amœnitatem extruunt, quòd poſſeſsionum pretia inter ciues mirificè creſcunt, maiora argumenta ſunt libertatis, quàm alicuius ſeruitutis. Vt enim rerum copia tædium; ſic ſeruitus elegantiarum omnium generat deſpicatum. Age & Hungariæ miſeræ illi & afflictæ, rebus regionibuſque, quoad tempora & opes ferũt, maximè fulciẽdis, quot quęſo & quãti ab Auſtriacis nõ ſunt profuſi, & profunduntur theſauri? quæ non auri & argenti vis in illius nobiliſsimi regni ſalute, extra etiã ipſius regni auri riuulos non eſt collocata? vt cùm Hungariæ reliquiæ maiora quàm Matthiæ regis tẽpore habeant vectigalia, multa tamen aureorũ nummũ cẽtena millia, vel extra vectigalia ſub induciis ea tuenda impenduntur. Et audiui profectò, ſummum quendam ſapientiſsimumque virum dicentem, ſi Ferdinandus ad res Hungaricas animum non applicuiſſet, ditiſsimum omnium Auſtriacorum Cęſarũ fieri, eum potuiſſe. Quod, quibus nitebatur rationibus ille, qui id aliquandò dixerat, viderit. Neminem interim exiſtimo fore, qui dum Chriſti Opt. Max. dum Reipub. cauſa agitur, dum incenſus proximus paries, nobis quoque incendium & calamitatem minatur, optimos Principes contra Turcas adiuuandos non dicat oportere: qui non vulneribus moueatur Hungariæ: non precibus & gemitibus Auſtriæ, non domeſticos tumultus ſopiendos, & alias aliarum rerum curas & conatus miſſos faciendos: Turcas verò vel quamprimùm longius remouendos non arbitretur. Vera & Catholica eſt opinio, ex inferno redimi poſſe neminem: at idem prorſus habere Turcicam videmus ſeruitutem. Nullum ibi ſolatium ampliùs miſeriæ, nullum doloris alleuamentum, nulla ſpes ſupererit recuperandæ libertatis. Videmus, quot & quanta iam regna & prouincias barbari deuorauerint. Nihil verò minùs, quàm vt noſtri vnum vel minimum ſub iis recuperare potuiſſent. intrò patent veſtigia, nulla retrò, dixit alicubi poëta. Quod vel in Turcia idem experiare, in quam, ceu hiatũ quendam terræ, & res & regna demerguntur: & haud ſcio, ſi ieiunis ſuccincta canibus Scylla, tantas abſorbuit,

quantas Chriſtianorum opes, non vnus aut alter Turcicus Imperator, apud quem inter nobilem & ignobilem, inter benè meriti patris & ſecus filium nullum eſt diſcrimen. Omnia eius ſubiecta ſunt libidini, filii & filiæ è gremio matrum, matres à filiis & filiabus cùm imperauerit, abducuntur: nemo ſuæ rei dici poteſt dominus: Purpuratorum multorum ſæpiùs nudi & ſerui conſpiciuntur, quàm diuites & liberi liberi: & ſi vel minimũ cõgeſti peculii apparuerit veſtigium, quibus illud amittas, tenduntur inſidiæ, vt adeò in lucro poſueris vitam, ſi licuerit ſeruauiſſe. Et tamen hoc Turcicum latrocinium cum Auſtriacorum regum conferamus imperio; ſub hoc religionis expetamus libertatem, ſi libertas, & non ſumma potiùs appellari debet confuſio: & deniq; tollerabiliorẽ in media Turcia, quam ſub inquiſitione Hiſpanica appellemus ſeruitutẽ? O amentiam! ô impium & ingratum noſtrum animum! ô confingendis rebus impudentiam ſingularem! Perinde ac ſi extra anni Soliſque vias (verbis vt vtar Vergilii) ſint Hiſpaniæ, & vel manibus ipſis (quod aiunt) palpare non liceat, quàm ſit æquum, quàm moderatum, quàm bonis legibus & moribus plenum Hiſpaniarum Catholici regis imperium, quod ab iſtis (ſi Deo placet) nouarum rerum, & falſarum auditionum authoribus, neſcio cuius crudelitatis inſimulatur. Quæ, qua in re, & magiſtratu ſit, breuiter ſi libuerit percurramus. Nullo quidem loco, re, occaſione, tempore, atrocia ſcelera, atrocibus pœnis coërceri negatur oportere: quòd quantò magis impunitas, tantò & peccandi creſcit ſtudium: & quòd vnius pœna, metus plerunque eſt permultorum; & vt inter bonos & malos ſit differentia, quorum aliis pœnæ debentur, aliis præmia; & vt denique animaduerſionis ſeueritate, tuta ſit virtus & innocentia, & ſuum cuique conſtet ius & æquitas, ſine qua regna, non tàm regna quàm latrocinia iudicantur, & confuſio ſequitur rerũ, & ſocietatis hominũ, negotiorũ commertiorumq; omniũ perturbatrix. At verò inter alia vel maxima crimina, quæ iure & meritò atrociſsimis pœnis vindices, potiſſima eſt hæreſis, quam iſti nihilominùs cuperent impunitam: quæ cùm in re noceat omnium præſtantiſsima; quid obſtat, quo minùs ea, quæ per illã dilapſa fluxerint, graui animaduerſione vinciantur? Omnia certè diuina humanaque placita, & patrum conciliorumq; decreta, tum & ratio ipſa, & tot gentium nationumque exempla hæreſim docuerunt puniendam. Quid? Deoné violare fidem, quàm mulierem viro, fuerit leuiùs? quod ipſum vbique pœnis coërcetur, & illud alicubi manet impunè. Vndè tot ſectæ tàm inter ſe diſſectæ

N ſunt

ſunt, quot Cerbero capita Poëtæ olim finxerunt. Quid? Qui ciuiũ concordiam, & Reipub tranquillitatem labefactant; an non pœnis & ſuppliciis, etiam exquiſitiſsimis digni iudicantur? Pulchrè enim alicubi M. ille Tullius, Non inquit priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura chara habere poteſt, quem diſcordiæ, quem cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat, eumque ex numero hominum eiiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto. Quis autem quàm hæreticus homo id & crebrius & ardentiùs fecerit, qui ſuis contionibus & ſcriptis tanquàm flabellis ſeditionum, concitat in magiſtratus populum, gerit in Orthodoxos Vatinianum odium? nunc hanc, nunc illam, in regnis & prouinciis commouet diſſenſionem & tumultum: & denique non tantũ corporibus ſuorum ciuium, ſed animabus adeò interitum machinatur. Quo etiam fiebat, vt non tantùm Chriſtiani, verùmetiam Æthnici ipſi hæreticos ſeuerifsimè caſtigauerint, & Athenienſes Pythagoram Philoſophum vrbe eiecerint, & Socratem condemnauerint, quorum alter Deos, eorumque negauerat opem, alter noua neſcio quæ dogmata ſpargere nitebatur. Non niſi enim certis, nec niſi certa lege vulgo myſteria patefaciẽda ſunt diuinitatis. Quid Anaxagoras, Anacharſis & alii plurimi, an apud Græcos, Scytas, & Perſas vel hoc ipſo nomine nõ multa paſsi ſunt, & varia tormẽta ſubierunt? Ipſe deniq; Plato, quẽ ſemper inter alios excipit, & diuinũ appellat Cicero, nõ vna tantũ morte, ſed ſi fieri queat pluribus hære ticos cẽſuit extinguẽdos. Eſt enim hæreſis, tanquã quędã gangræna vi & ferro eradicanda; quã nõ alia de cauſa punierunt etiã prophani, quàm quod veteri mori & inſtituto patrio videbatur aduerſari. Quid quòd illi iidẽ hæretici, in quo alios damnant, hoc ipſi faciunt: & quã ſeueritatẽ animaduerſionis odio habent, eã ipſi in alios exercent impotenter. Quod Geneua & Heidelberga teſtãtur, in quarũ altera, à Caluino Seruetum exuſtum fuiſſe, alteram ſuo illi dogmati refragantes aliquos conſtat eieciſſe. Vna enim via eſt veritatis, & vmbra oportet cedat ſoli, nox diei. Quo minùs mirandũ, ſi Hiſpaniæ coërceant hæreticos, ne eadẽ illa, quæ per eos paſsim excitata ſunt incendia, tandẽ etiã patiantur. Illa verò Hiſpanica quã vocant inquiſitio, quàm multa ſecum bona attulerit, quis non perſpiciat? Nam cùm inter Eccleſiæ Dei Opt. Max. ſigna alia quamplurima, vel illa quoque duo ſint illuſtriſsima, gubernandi prudentia & militaris fortitudo, videamus vtrum ab inquiſitione Hiſpanica, quæ Mahometanorum cauſa inſtituta primùm fuerat, non magis Hiſpaniæ vtroque illo munere & felicitate dotatæ, quàm ab Auguſtana con-

na con-

na confeſsione, Germaniæ orbatæ videantur. Harum quidem infinitos penè exercitus contra Turcam, in Hungariam ductos vidimus, victoriam vix vllam alicubi vidimus. Hiſpani verò, ex quo inquiſitio eſt orta, vtriuſque rei vigent & celebrantur gloria, & ſupremi numinis magiſtratusque reuerentia, haud ſcio, ſi inter tot alias gentes atque nationes ampliſsimi imperii, non obtinuerint maieſtatē. Creſcit enim, & quomodo neſcit, qui Deum Opt. Max. & eius vices gerentem reueretur magiſtratum. Quo loco non minùs verum, quàm & facetum neſcio quid, vobis non inuitus percenſebo, ſi quemadmodum cœpiſtis, me attentè audietis. Annis ab hinc pluribus, cùm Roma ſub Clemente VII. Pont. Max. capta, militari licentia Hiſpani graſſarentur; Ioannes Caraffa, qui poſtea Pont. Max. creatus Paulus IIII. fuit dictus, poſtq̃ circū vicinis ſpoliatus domibus, ad ſuā quoq; aduentare militē cognouiſſet, ſellam ſibi afferri, ac præ foribus in pontificalibus veſtibus ſedere voluit, quem miles conſpicatus, continere ſe illicò, & ab illa prædandi frænare cœpit libertate. Quem vt eo etiam magis Caraffa cohibuiſſet, vt erat Hiſpanicæ linguæ apud Ferdinandum regem, à ſacris exiſtens ſcientiſsimus, alta voce exclamauit: Siccinè inquit Prædones ſancti officii, quod inquiſitionis apud Hiſpanos nomen eſt, depoſuiſtis reuerentiā; vt nec Antiſtitum ædibus velitis videri peperciſſe, næ ego vos aliquandò facti faciam pœnitere? Retulerunt Hiſpani pedem è veſtigio, & quo loci furere alii magis, hoc illi dicto audientes ſacerdotis eſſe minimè dubitârunt. Quo, quid admirabiliùs in milite dixeris? & an non multò Hiſpani, hac ipſa inquiſitione duce, rebus geſtis glorioſiores, quàm auctore & adſtipulatore Luthero ruſtici Germanici continentiores videantur, qui ſtatim à primis eius concionibus, totam concuſſerant Germaniam eorū animi ferocia? Mihi quidem in illa, quàm iſti ſi Deo placent Spartaci appellant Hiſpanicam tyrannidem, ſumma videtur eſſe lenitas, qua & animi, & corporis ſarta tectaque conſeruatur ſanitas. Iſta verò Germanorum quæ volunt ſentiendi, quam vocant Chriſtianam, à confeſsione, ſeu confuſione potiùs Auguſtana ortum trahens, quò te aliò pertrahet, quàm vt in perpetuum ſeruias, & qui nō vis ferre legitimi auctoritatem magiſtratus, Turcicus tibi imponatur dominatus, & tu tuaque omnia in eo contabeſcant? Atque tum demùm Chriſtianorum regum inuidere deſines potentiæ, & illud tecum ſed vereor nimis ſerò recognoſces, his centum, paulò plus minuſue annis Dei Opt. Max. nutu & poteſtate, Auſtriacorum regum imperium iuſtitia magis creuiſſe, quàm Ottomanorum tyrannide

 rannide

rannide tercentis augeri potuiſſe. Omnia enim æqua & moderata, quàm tyrannica imperia & facilius adoleſcere, & ſolẽt eſſe diuturniora. Itaq; vt nulli vnquàm familiæ, quod Auſtriacæ contigit, vt aut orbem terrarum ſuo circumdederit imperio, aut tot tamque diuerſos populos ad verum diuinitatis cultum, & humanitatem perduxerit, ita viciſsim Ottomanis hoc maximè proprium præcipuumque fuerat, regnis & prouinciis afferre vaſtitatem, ſic vt mirum etiam non ſit, ſicuti arctiores regnandi terminos, ita & virtutum exempla, aut nulla, aut certè multò inferiora eos reliquiſſe. Quod vt planum vobis faciam, Auſtriacorum & Ottomanorum, ac in his vel vnius Auſtriaci Philippi Hiſpaniarum regis potentiam, & gubernandi tàm æquitatem, quàm etiam intelligentiam mente colluſtremus, & quod oculis corporis cernere non poſſumus, animi intueamur. Sic non modò longè lateque imperandi felicitatem ſed etiam iuſtè ſapienterq; regendi populos facultatẽ, quod illi aliquando Rex diuinitùs nobis dari & concedi magis proculdubio optabimus: & quos ex præſcriptione diuinæ legis amare debemus, nunquàm odio & inuidentia, ſed noſtros noſtræque religionis hoſtes armis potiùs perſequemur.

TVRCICA VII.

INTEMPERANS EGO FORTASSE ALICVI VIDEar, qui duorum maximorum, potentiſsimorumque orbis terræ principum, Philippi II. Hiſpaniarum regis Catholici, & Mahometis Turcarũ tyranni, talis ac tanti imperii, inter ſe conferendam mihi propoſuerim maieſtatem. Quorum vt conſilia, ſic & vires vectigaliaque omnia, cùm ſcitu non peræquè ſint facilia, mirabitur non nemo, me hac in parte præ cæteris, tantum mihi ſumere voluiſſe libertatis. Sed tantò quidem mihi venia danda magis, quãtò grauior neceſsitas incumbit noſtræ & hoſtilis oſtendendæ potentiæ, hac tàm opportuna oblata occaſione & facultate dicendi. Multarum quippè rerum ignoratio eſt pernicioſa, ſed noſtræ & hoſtilis potentiæ pernicioſiſsima, & quiſquàm dubitabit, eo in errore multos eſſe verſatos, Turcam ſuperari non poſſe, vt aliquandò crediderint, niſi ab omnibus omnium nominum Chriſtianis regibus & Principibus animis & viribus in eum ſociatis. Quid quàm rationi contrarium, & ab omni veritate alienum ſit ſemperque fuerit, quis

non

nō intelligit?cū vel adeò eius rei & victoriæ in Turcā exēpla plura & recētiora habeam⁹. Ac ne lōgè abeā, quis nescit vnus Philippus Hispaniarū rex Catholicus, vel antequàm adhuc Lusitaniæ regno, & Orientalibus auctus fuisset Indiis, in Belgio verò, & alibi magnis difficultatibus implicatus, quoties & quantopere de Turcis triumphauerit? Cui eiusque posteris, quid etiamnum factu idem sit incredibile, si ab aliis, qui eius felicitati inuident, non distineretur, quandoquidem post homines natos amplissimo imperio, & haud scio an multo, quam Turcicum dici potest, ampliore potiatur? Etenim, vt Turcicas primùm vires potentiamque expendamus, demùm ad ea etiam omnia, quæ Rex Hispaniarum possidet, examinanda veniamus; nemini sanè futurum est dubium, vt gemmam gēma, cursum cursu, sic magnorū Principū opes opib⁹, & amplitudine superari. Magnus haud dubiè & exaggeratus Turcicus est, & videri potest dominatus, vtpote qui non vnum, aut alterū, sed plura perpetua continuatione regna, & in latissima orbis terræ parte Asia, vetustissimi sedem imperii possidet Assyriam, & vtramque Armeniam, Mediam, Ciliciam, Cappadociam, Mesopotamiam, & in his nobilissima duo emporia, Cayrum & Alexandriam, in Africa, Asylum pyratarum, Alligerium, & Trypolim, in Europa, de qua Deos etiam ipsos certasse inter se Poëtæ fabulantur, Græciam, & nobilissimi regni Hungarici partem haud postremam. Cuius potiundi spe & cupiditate, Ottomanici nominis Turcorum reges tanta cupiditate semper arserunt; vt aliquandò Solymanus, quod Imbraimi purpurati sui suasu, Ioanni Sepusio Hungariæ regi Budam semel & iterum à se captam reddiderit, pœnitentia facti ductus, & furore accensus, eundem Imbraimum interfecerit. Sunt enim multa regna pulchra, sed Gallicum & Hungaricum iu Europa pulcherrimum. Quod præ Gallico etiam diues auri, aureum pomum vulgò fuit appellatum, adeoque Turcis venit optatum, vt cùm aliquandò Buda capta, sumptuosissimaque regis Matthiæ bibliotheca direpta, Turcæ triumphassent, publicæ lætitiæ signo edendo illustris quidam Turca, eques, in Danubium vltrò se præcipitauerit. Quasi iam eò, quò maximè desiderabant, peruentum fuisset, nec vatum suorum oraculis progredi vlterius potuissent. Quæ vtinam quidem oracula, quàm illa sint veriora, quibus ad Coloniam Agrippinam, triū Magorum sepultura nobilem Turcam profligandū nescio quis olim prædixerat. Amissa enim nō peræq; tantū, quantū adhuc nos metu sollicitudineq; distinēt amittenda. Sed ad propositum reuertamur. Nam si præter regna ipsas etiam regnorum opes,

& vectigalia Turcica consideres, nec ista quidem omnia, magna ex parte incredibilia sunt vestigatu, cùm ex Asia, nō plura, quàm quindecies cētena, ex Ægypto & Arabia paulò plùs, ex auri & argēti riuulis totidē, ex portoriis duodecies, ab eorū morte, qui steriles emoriuntur, quadringenta, ex Cancellariæ quæstu totidem, ex diuersarum prouinciarum tributis bina aureûm nummûm centena circiter millia, Turcicus habeat Imperator. Ex quibus tamen cunctis prouentibus aulæ militumque stipendiis persolutis, vix vigesies centena aureûm nummûm millia eidem superfuerint, adeò æris & fidei minùs passim & vbique reperitur, quàm speratur. In tyrannide enim oculi & loculi maximè occultantur. Non tamen exactiones extraordinarias, non nouas nouorum prouentuum inuentiones, non alia eius generis hoc loco posuero, quæ haud dubiè vectigalia illa Turcica faciunt maiora, & quibus alii principes egent, Turca ditescit vnus, bellis ipsis indies auctiora. Sella enim vilis iumenti dorso semel iniecta, & tributa Turcica gentibus & nationibus seruis imposita, raro leuantur. Quantum verò ad Turcicos milites & terra mariq; spectat eorū copiā, minora certè sunt cuncta, quàm vt vinci non posse videantur. Etenim cùm centū ab hinc annis vix totidē triremes Turca habuerit, eæ quibus postea prędando est auctus, Naupactana Turcarū clade ferè omnes perierunt, sic vt maximè glorietur, pari quanta est Christianorū omnium, ac in his vel maximè regis Catholici classe & classiariis nō potiatur, ab illaque tàm memorabili Naupactana Christianorum de Turcis victoria, & Præfectis & rebus omnibus, quæ ad maritimum spectant imperium, sensim destituatur. Omnes enim aduersæ pugnæ, sed nauales in primis constant immenso. Restat ergò terrestris illa vna, quanquàm etiam potissima Turcica excutienda nobis militia, quæ equitatu & prætorianis continetur. Quorum Prætorianorum numerus vt maior dimidio, quàm aliorum Cæsarum temporibus appareat, illud quidem rursus habet incommodi, quòd admodùm paucis & exercitatis lætatur veteranis: & eò iā tandē est deuentū, vt quinquaginta aureis nummis numeratis, vel vilis & ignauus quisq; prætorianis annumeretur. Omnes enim res à summo semel motæ, magno motu ad ima decurrunt. Quo ipso & imperio & omnis generis militiæ Turcicæ; & eius qua bella cōstant, famæ, multum auctoritatis ademptum esse, quis ignorat? Senes enim victoriis factos, in acie stantes non iniuria metuas, Rudes & adolescentulos floccipendas. Videamus verò equitatum, qui & ipse ducentis licèt circiter (vt illi volunt) equitū constet millibus, an

cupiã alteri, quàm illi fuerit ſimillimus, de quo C. Cæſar aliquandò veni, vidi, vici loquebatur? Qui cùm ex Aſia ſole toſtus & exanguis venit, an tu mihi cũ Europæis conferas? Et Europæos Turcicos omnes, Hungaricis militibus æquiparandos arbitrere? Nõ facies opinor, ac & illos quidẽ Hungaricos paucißimos iam ſupereſſe velis nolis fateare. Qui,tantum abeſt, vt Chriſtianis præferendi, vt ne adeò etiam videantur comparandi, cùm non pro aliqua vera & ſolida libertate, ſed paulò pro ſplẽdidiore dimicent ſeruitute; & eminùs quàm cominùs, ſtructis inſidiis, quàm apertis prælis, fidenter, quàm ſcienter magis congrediantur; & interim non ſitim, non famem, non frigora, non auræ patiantur intemperiem; non tàm denique arte aut virtute, quàm caſu aut multitudine tandem peruincant,& illum dominatũ ſuum conſtabiliant,in quo plena metus, iniuriarum & ſuſpitionum ſunt omnia, prona ad faciles motus & ſeditiones excitandas. Tamdiu namque tyrannis durat, quandiu aliquo & nec opinato concuſſa motu non diſſoluitur. Vt enim in humanis corporibus, ſi ſanitas & integra adſit valetudo, membrorum vitia facilè occultaueris, ſin ſecus ſingulæ quæq; partes affectæ ſuo loco reſpondent; ita ſi quod in barbarorũ fortunas incendium conflatum aut intentatum periculum illis fuerit, erumpent occultata diu vitia: nec ſolùm virtute noſtrorũ qua ipſi egent, verùm etiã domeſticis malis,quibus referti ſunt collabentur. At verò Philippi ſecundi Catholici Hiſpaniarum regis iuſtum & moderatum imperium, vires, exercitus, vectigalia, amplitudinem, duces, & militiam omnem rurſus conſideremus. Enimuerò dubitabimus à primo ad hunc Philippum Auſtriacum alterum Hiſpaniarum regem, Hiſpanis centum annorum ſpatio virium, quàm Turcis ſub Ottomanis tercentis plus accreuiſſe? Quod non vlli alteri rei, quàm Dei Opt. Max. adſcripſeris prouidentiæ, & ipſorum regum partim in gubernando artium omnium arti, partim verò etiam æquitati. Quod enim de Atlantis humeris cælo ſubditis fingunt poëtæ, hoc de Hiſpaniarum regis rectiùs dixeris gubernaculis, quibus tot ac tantæ tamque diſiunctæ prouinciæ quoad eius fieri poteſt hactenus ſuſtinentur. Nam vt ad rem propiùs veniam. Habet Hiſpaniarum Rex ampliſsimum florentiſsimumque imperium, tot nobiliſsimis & ditiſsimis regnis, tot ingenioſiſsimis populis, bellicoſiſsimis fortiſsimiſque gentibus, munitiſsimis vrbibus, opportuniſsimis portubus, immenſiſsimis opibus auctum & ſtabilitum, quod complura in ipſis tantum Hiſpaniis regna, in Italia vltra & citra fretum, duo, & quòd aliquibus præſtiterit regnis Mediolani

conti-

continet principatum.Regnum itidem poſsidet Sardiniæ,& inſulas Maioricæ & Minoricæ duas, & vltra fretum Herculeũ, (quæ vulgo dicuntur) inſulas fortunatas, & quòd deniq; multis ſimul iunctis præſtiterit regnis longiſsimos, & omnis generis diuitiarum feraciſſimos tractus Orientalium & Occidentalium Indiarum. Qui per vnam illam Hiſpalenſem nauigationem, vt Vlixponenſem & alias taceam, à Betica ſub Ferdinando rege Catholico capta, ad eius motus poſtremos (quod nimirum temporis ſpatium octoginta circiter annos continet) infinitas aureûm nummûm myriades in orbem terrarum effuderunt. O beatum Ferdinande te, Rex olim Catholice, qui primo illo Indiano, non Toloſano auro, vaſis ſacris conflatis, orbis terræ templo ditiſsimo munus obtuliſti Toletano. Hæ nimirum tuæ quas ſacraſti Deo primitiæ, tantam in Indiis auri & argenti nunc pariunt vbertatẽ.Quibus Hiſpaniæ potitæ grati ſui ergâ Deũ Opt. Max.animi teſtificãdę cauſa religionis Catholicę lucẽ quouis auro cariorẽ in illas oras intulerunt, tot gentes & nationes ad vnius veri Dei cultum pietatemque perduxerunt, Hiſpanici imperii terminos protulerunt;vt mirum non ſit vel priſcis illis temporibus ſacris literis laudatas Hiſpanias fuiſſe, & Romanos orbis terræ dominos iis partis exultaſſe. Quemadmodum namque in herbis, hominumque ingeniis; ſic & in quibusque principatibus atque imperiis,multò ante herbeſcentem & magnæ felicitatis prænunciam videas viriditatem. Vt igitur aliquando Afris ferè tota Hiſpania ceſſerit, iampridem omnibus ferè Africæ oris, cum nonnullis inſulis quas Oceanus alluit, viciſsim potiuntur. Nec non & inſula Zaccotora in ſinu Perſico & Ormucio altera, cum pluribus in Arabia & Perſide portubus, & prope Indum inſula Dio appellata. Qui iidem Hiſpani cis Gangem, propemodumque maritimas vrbes & inſulas vniuerſas, & inde in aurea Cherſoneſo præclariſsimum regnum, & in conſpectu innumerabiles Inſulas ſuorum gubernaculorũ ambitu complectuntur. Ac denique in inferiori Germania ipſa, vt nunc lacera & afflicta videatur, decem & ſeptem habet prouincias, in quibus aliquot centena vrbium, magnus numerus munitionum, inſignis varietas mercium & diuitiarum paſsim ſpectatur; adeò,vt vel ſolæ illæ merces, quæ indigenitalium Belgiæ conſtabant induſtria, nonagies olim florente Belgio aureûm nummûm millibus æſtimatæ, & Carolo V. Cæſari in vna Antuerpia vigeſies centena aureûm nummûm millia, quadam belli neceſsitate mutuò data vna die fuerint. Quo ipſo nomine immenſam Belgii vim opum & pecuniarum fuiſſe, facilè eſt colligere. Nulla enim

magis

magis alia re, quàm ciuibus reges abũdant opulentis. Quo magis, si vel imperii fines, vel ditissimos ipsius ciues, vel deniq; amplissima spectes vectigalia, multo nè dicã dimidio Turcicis prouẽtus maiores regis Hispaniarũ dicuntur. Qui eò etiã futuri sunt diuturniores, quò nõ veluti quibusdã cisternis, cælo delapsos imbres cõtinẽtibus, sed ex aquæ viuæ fontibus profluunt perẽnibus, ex auri argẽtiq; riuulis, quos immensi tractus Indiarũ, & Americæ suppeditare cõsueuerunt. Cũ enim omniũ aliorũ propemodùm principum, maiori ex parte portoriis & contributionibus constent vectigalia, hæc belli tempore cessant proculdubiò ingruente, nec aliundè merces importantur, nec sine metu & suspitione pecuniæ imperantur. Interim immensæ illæ regis Hispaniarum diuitiæ, quæ, vt dixi, non cisternis aliquibus, sed aquæ viuæ fontibus constant perennibus, perpetuò efflorescent; & quantò mundus vlteriorem habiturus est terminum, tantò maiorem ex cauernis terræ pecuniarum cumulum orbi terræ credibile fuerit eum largiturũ. Quod vel in vna illa Hispaleñ vrbe Hispanicę aulę inter alias altrice facilè videas, ad quã tot tantæq; & tã immensa auri & argenti copia onustæ naues sæpè appellunt. Quibus vtinã tantũ ad proterendas barbarorũ vires optimo regi vti semper liceret. Non mea quidẽ sentẽtia desiderari in se aliquid, quod ad publicã defensionẽ spectat, haud dubiè pateretur. Cuius amplitudini atque potentiæ vel illud quoque accessit commodi, quòd quemadmodum veteres dixerunt, Græcis non barbaris, liberis non seruis, hominibus imperat, non animantibus, quo aliquandò nomine regem Galliarum & Cæsarem regum vulgus appellabat; & licèt immensas profundat aut potiùs locet in defensione Reipub. pecunias; nunquàm tamen ob tàm opulentos ciues & mercatores suos necessaria destituitur pecunia, & tàm classes & classiarios, quàm legiones & exercitus alit immensos; & quantumùis numero minorem militem Turca habet exercitatiorem, & ex tyronibus collectum & veteranis intermixtum, triduo vt ita dicam efficit veteranum; vt taceam belli duces & præfectos eius excellentissimos; vt prætercam præmia ab eo amplissima virtuti proposita, quæ sine vllo vel minimo rerum suarum detrimento potest, & solet benè de se meritis & merentibus liberalissimè largiri; vt tot regnorum proreges eius sileam, qui ferè maiori quàm rex ipse splendore magnificentiaque in prouinciis vtuntur, Indiarum, Neapoleos, Belgicum, Siculum & Mediolanensem; & vt denique non percenseam ea, quæ ad augenda adhuc ipsius regis vectigalia possunt passim reperiri, citra omnem vt ita dicam conscientiæ scrupulum, & popu-

pulorum iniuriam,quæ duo imperandis pecuniis ſciſcendisque tributis maximè conſiderantur. Iniquum quippè fuerit, vt nimium lambendo ſanguinem,ſic imperando ſæpiùs tributo viuendi populis exſugere facultatem. Cui autem erit dubium (vt vnam tantùm in multis rem exempli cauſa afferam) ab Hiſpaniarum rege magno id empturos Indianos, vt defunctis parentibus ſine proregis eius aſſenſu adeant hæreditatem? Quod non adimendi iis patrimonii cauſa, ſed maioris auctoritatis regiæ fit gratia, & coërcendæ in multitudine,quæ cum opibus in iuuẽtute creſcit inſolentiæ,vel immoderatioris alicuius libertatis. Plus enim ſemper metus, quàm beneficii poteſt memoria gentibus & nationibus gubernandis. Atque vel ab hoc quidem exemplo vno, non ſecus ac leonem, ab vngue leonino plura etiam reperiri eiuſdem generis poſſe quis non intelligat. Multò enim eſt difficiliùs quærere regiones, quàm quæſitis imponere exactiones. Venio iam ad alia etiam, tàm animi, quàm potentiæ Hiſpaniarum regis Catholici non obſcura argumenta vulgò probata.Quis enim neſcit his ferè continuis quadraginta annis acceptis à patre Bruxellis gubernaculis, quanta terra mariq; bella,clades, naufragia ſit perpeſſus. Quibus perpetiendis, haud ſcio ſi non tantùm vnus,ſed vix aliquot Cæſares Turcici ſuffeciſſent. Multi enim canes vel ipſum leonem, & hoſtes conficiunt bellatorem. Ac primùm quidem reminiſcendo recordemur, quanta illa clades fuerat, cùm ad inſulam vulgò dictam Zerbam, duce Darhute Turcico, claſsis ipſius eſt ſubmerſa, & nobiliſsimi quique Hiſpanici pręfecti captiui ducti ſunt Conſtantinopolim, nec niſi biennio pòſt à Straſcho Polono Turcico Aulico Francforti, cùm Maximilianus Cæſar inauguraretur, eius Auguſtæ donati,& libertati reſtituti. Quid ego Betticæ grauiſsimos, qui non niſi magna hominum & pecuniarum iactura ſedari potuerunt motus, quid Guletam à Turcis captam, quid poſteriùs in littore Britannico claſſem Hiſpanicã diſiectã, quid Luſitaniã ab hoſtibus defenſam ſub eo cõmemorẽ? vt interim alias difficultates,ſumptus & naufragia ipſius prætereain, vt nihil eorum referam, quòd acceptis ſtatim à patre gubernaculis difficillima bella plura confecerit: in Belgio locis opinor tribus, in Italia duobus, videlicet in regno Neapolitano,ad Trontum in Ducatu Mediolanenſi, & Pedemontana regione ad Alexandriam, in Belgio ad Theomuillam, Greuelingam & ſanctum Quintinum. Quo loci memorabili relata die Bartholomæo ſacro de Gallis victoria, templũ omniũ ſumptuoſiſsimum in Hiſpaniis ædificare cœpit, & admirabili opere tandem extruxit.

Quibus

quibus tamen ſumptibus faciundis,& bellis bellorũq; difficultatib⁹ ſubeundis omnibus,non dicã tabulæ ex hoc & illo naufragio collectæ, ſed proræ & puppes quod aiunt ſtant erectæ, ſi eũ nõ impedierimus, cũ cõmuni hoſte pro nobis ad cõfligendũ præparatæ. Nihil infregit ipſius animũ nũc hæc, nũc illa accepta calamitas, nihil tot infeſti caſus, nihil hoſtiũ inſultus, nihil inuidorũ calumniæ & morſus, à glorioſo inſtituto retardârunt. Quin adeò vt diſcuſsis nubib⁹ ſerenitas diẽ,ſic ſummi regis,aduerſi in tãta amplitudine caſus animũ faciunt illuſtriorẽ.Qui adeò vel de hoc etiã ipſo,quẽ metuimus, hoſte tantas victorias retulit; vt egregia cladiũ patre iã in Hiſpanias abitũ maturãte,(vt ita dicã) facta ſit retaliatio. Age enim, an ab annis quadraginta,Cziapin⁹ Vitellius ei⁹ militũ præfect⁹ exigua manu ad quendã Hetruriæ dictũ portũ Herculeũ aliquot Turcarũ millia nõ profligauit? Quid verò Melitẽſis à Turcis obſidio? parumné teſtata eſt excelſum quendam huius regis animum, & curam cogitationemque de rebus cummunibus ſingularem? Quo etiam ipſo loco Turca inferiorem illi eſſe ſe, & milites ſuos non æquè ac ipſius exercitatos habuiſſe fecit teſtatum. Vt enim ſaxum ſaxo alliſum ignem, ſic militia militiæ oppoſita, quantum quæque valeat, elicit veritatem. Quandoquidem non oppugnandarum arcium ſcientia, non animi robur, non conſilium, non caſtris loci eligendi, non cuniculorum ducendorum, non ſcienter irruptionum aggrediendarum Turcis conſtiterit ratio aut obſeruatio; ſed confuſa & trepidationis plena fuerint iis omnia, cùm non obſcuro barbarorum à Chriſtianis contemptu, poſteaquam Garzia Toletano regis Hiſpaniarum claſsis præfecto aduentante, non exploratores fidos, non portus bene cuſtoditos habuiſſent, ſuique Drahutis morte, & multorum millium Turcarum interitu, Chriſtianorum illuſtraſſent victoriam; ſic vt denique vltra vigeſies centena aureûm nummûm millia expenſa, & omnem opinionem fortitudinis ſui exercitus Turcę amiſerint; & rex rurſus Catholicus quadringentis tantùm millibus, & commeatu aliquo perdito eam recuperauerit. Raro enim de victoria certatur, vt ea parta, non ſimul etiam multum victor acquirat auctoritatis. Betticos hoc eodem auctore rege, ſedatos non commemoro motus, neque ad Naupactum de Turcis relatum memoro triumphum, vbi noſtrorum etiam aliqua hoſtium quidem plurima millia perierunt. Cedat huic vni Chriſtianorum victoriæ Themiſtocleum cum Perſis prælium: cedat Auguſti cum Antonio ad Actium promontorium: cedat Genuenſium contra Alphonſum regem olim Arragonum. Nec tàm aut pugnæ omnes æ-

qualē eū hac vna partē glorię petant, aut alii reges huic pacis inter arma domino rebus geſtis ſe conferant. Plura ille in penetralibus ædium ſuo imperio & auſpiciis geſsit, quàm alii in campis tentârunt. Plura in effectū deduxit, quàm cogitârunt, ac & nunc quidem, vt adeò immenſos eius theſauros, exorbuiſſe Belgium videatur, non propterea aut vires in barbaros amiſiſſe, aut animum putetur deſpondiſſe. In corpore licèt languido integer adhuc ipſius eſt animus: & effigie atq; nomine referens patrē optimæ ſpei filius, non ſolùm in hæreditatē, verùm etiam in virtutem paternam creditur ſucceſſurus. Vnā auet videre in Chriſtianis concordiam, &, qua nobis exitium afferimus omnes, minorem ergâ ipſum inuidentiam. Quæ, in quantas coniecerit nos anguſtias, facilè eſt cognoſcere. Modicus & obſcurus Turca annis ab hinc tercentis fuerat, non Aſia, non Africa, non Europa Turcarum nomen audiebat. Iam verò, proh dolor, tàm mali nominis, & ominis re perſonant paſsim omnia, & vereor ne adhuc plura fiant Turcis peruia, ad commune periculum nobis conflandum. Quod hoſtium inſtitutum noſtra ipſorum adiuuat æmulatio, opitulatur pro re & tempore contra noſmet ipſos legatio; qui vt alteri eruamus oculū, vel ipſi vtroq; priuari minimè dubitamus. O amentiam! Equidem non multò patriarchis Bizantinis video eſſe nos diſsimiles, qui vnius in alterum liuore, tota Græcia maximum amiſerunt magiſtratum. Etenim cùm à Mahomete Turca vrbs illa fuiſſet capta, diffugientibus vt fit omnibus, quinque millibus aureûm nummûm propoſito ſtipendio, reuocatus fuerat Conſtantinopolim Patriarcha, vt vel eo ipſo habitatoribus vacua, quod in illa immanitate accidere fuit neceſſe, non cerneretur. Quare cùm primus ille, qui fugam dederat, reuerſus fuiſſet, tanta quidem aliorum Græcorum mox contra eū excitata eſt æmulatio, vt alii atque alii minori quàm ipſe ſtipendio munus illud obituros ſe, apud Cæſarem profiterentur. Quod cùm Cæſar non illibenter audiuiſſet, & nunc hunc, nunc illum mutauiſſet; peruentum eſt eò, vt tandem non modò Græci, ſed & Hebræi numerata purpuratis pecunia, & multò minori quàm anteceſſores ſtipendio Cæſaris contenti, eo munere potirentur, ſpoliataque eo magiſtratu reſtaret Græcia, qui alias maximus in ea habebatur. Quod, ne & nobis ob perpetuas æmulationes accidat, verendum eſt. Tam diu enim hac inuidia inter nos certabimus, & barbaro hoſti fidem & operam noſtram contra Chriſtianos ſocios noſtros venditabimus; quoäd tandem ipſe nunc hoc nunc illo membro labefactato totum corpus Reipub. proſternat

& con-

& conculcet. Præceps enim eſt ambitio: & qui illi indulgent, facilè præcipitantur. Et erit, qui aliqua maiori terra marique molitione bellum contra Chriſtianos apparante Turca, quàm hic vnus rex Catholicus poſsit ei reſiſtere? hoc enimuerò præſtiterint illi, qui collatam Turcicæ potentiam habent nullam, auctoritatem apud barbaros perexiguam, famam rerum geſtarum obſcuram, conſcientiam ſauciam, voluntatem perditam, mentem diſtractam, vicinitatem apud ſe ſuſpectam, & potentiſsimorum Chriſtianorum principum felicitatem odioſam. O quàm peruersè non tam quidē eſſe, quàm tantummodò Chriſtiani volunt quidam nuncupari, & vnius regis re & nomine Catholici euerſam, quàm Turcicam auerſam libentiùs viderent potentiā! quaſi, quæ per quadraginta annos vim innocenti attulerit nemini, ob ea nunc demùm in principis decrepita ætate alicui ſit metuendū. Quid aliud tot tantisq; rebus ab eo geſtis, tot theſauris in Chriſti gloria & populorū ſalute collocatis, tot magnificentiſsimis tēplis & xenodochiis erectis, tot ſumptibus in pauperes factis, tot regalis munificentiæ exēplis editis, quàm ſumma pietas, ſumma iuſtitia, ſumma religio potuit in eo animaduerti? Hic hic eſt ille, qui in Palęſtina ad Chriſti Opt. Max. ſepulchrū illud glorioſum, qui in monte Sinai, S. Catharinæ alterū, paſſim in Hiſpaniis, Indiis, Italia, Belgio, monaſteria alit quàmplurima, qui aliquot Metropolitanas & Cathedrales Eccleſias ſcholis, Academiis in Indiis erigit: qui religioſos & doctos viros in variis orbis terrarū regionibus ſuſtentat: qui Orthodoxā religionē, qui cultū diuinū propagat & exornat: qui deniq; in eo totū ſe, cogitationesq; defigit ſuas; vt Chriſti gloriæ & ſaluti Reipub. ſemper & vbique & potiſsimū conſulatur. Vtinā tantū id cōſiderent, vt par fuerit, boni; & ne obſtent, amoueantur mali, & quoäd diutiùs per incertos vale tudinis tanti regis exitus licuerit, in barbarorū perniciē opibus & amplitudine eius vtamur. Magna pars felicitatis eſt, felicitatē cùm ſe offert cognouiſſe. Callidus Turca eſt hoſtis: ſimul iunctos & potentes aggreditur nunquàm: diſgregatos & bellando inter ſe debiliores factos nunc hunc hodie, nunc illū euertet poſtridie, & omnes tandē poſtremò ſubiugabit. Ferunt Mahometo Turcæ, qui Cōſtantinopolim ceperat, vt tribus ſimul in locis bellū cōtra Chriſtianos denuò ordiretur, fuiſſe aliquādò aliquos auctores. At ille lōgo extēſo textili ſtragulo, pomoq; in ei' mediū proiecto, vt pro ſe quiſ-vt vellet, ſtragulo nō cōſcēſo illud auferret poſtulauit. Quod quoniā facere potuerat nemo, priusq̄ illud ſtragulū in nodū circūplicaretur, tū ille ad ſuos conuerſus, hoc eodem inquit modo & nō alio ad

Christianos & ego sensim perueniā respondit. Quo magis cōtra has barbarorū artes diuinitùs datæ & oblatæ huius tanti regis grati simus potentiæ, in omnia momenta belli cōtra Turcas gerendi intenti, Christi iniuriarū vindicandarū cupidi, nostrarū obliuiosi, & animis ac viribus perpetuò simus cōiugati. Nihil nobis sit prius aut antiquiùs, quā hoc rege nō modò viuente, sed ōnia sua vltrò nobis offerēte, terra mariq; hostē aggredi immanissimū, tueri domicilia ciuiū, consulere dignitati Principū, Christianarū securitati prospicere gentium, & nos, nostraq; omnia calamitate prohibere. Habet ille, quæ nunc eū ad hoc bellū extimulent, Colchi & Propontidis regna, quorū memoria vellus gestat aureū, titulus Hierosolymitani regni, quē ille inter suos alios adnumerat, Pontū à suis olim possessum meminit, & Iberiā à sui nominis gente cōditā recordatur. Nos verò, ne eum impediamus, ne gloriosis eius conatibus obstemus, ne implicatū vrgeamus; hoc à nobis auita religio, hoc vna illa, præter quā non est alia, requirit religionis castimonia: hoc hostium, qui eā perditam volunt, admonet audacia: hoc omnium antiquissima parens desiderat patria: hoc Europa lacera & afflicta, hoc maiorum nostrorum sepulchra, hoc nunquam violanda ossa, hoc vrbium & templorum ornamenta, hoc aræ, hoc martyrum desiderant reliquiæ; vt pro se quisque sibi & proximo, non hosti faueat barbaro, & regis Catholici, non tyranni auctam cupiat felicitatē. Qui & ipse quidem optimè de Repub. meritus est semper, & longa serie suos maiores multis præclarissimis meritis, præ aliis numerat præstantiores, ipsum denique filium suum se suaque omnia in communionem temporum nobis offert, & nihil aliud quàm commoda & salutem nostram concupiscit; tantùm vt huius beneuolentiæ ergâ nos grati ipsius simus, occasionem rei benè gerendæ maturè agnoscamus, vicina pericula collustremus animo, votis & desideriis gentium, quæ Turcis seruiunt, satisfaciamus, Reipub. postremò laborantis obtestationem, posteritatis iudicia, conscientiam intimæ voluntatis nostræ, minimè aspernemur.

TVRCICA VIII.

SI QVANTA ET QVAM CVNCTIS INFESTA COMmunium hostium nobis est vicinitas, notum ferè omnibus & exploratum dubitarem; plura apud vos verba facerem, & vel apud inuitos impetrarē, quod non modò ad ordinum, sed hominum omnium salutem

lutem & incolumitatem pertineret. Sed ita se profectò habet, semperque habuit, vix in Europa alicuius sic peregrinari aures, vt quæ hostilitatis nostræ cum Turcis sit ratio; & vicinitatis proportio, penitiùs non introspiciat, & secum ipse tacitus non recognoscat. Quis enim est qui dubitet, vt à regina Prouinciarũ omnium ordiar Italia, quàm vicinus & infestus, multis eius vrbibus, Prouinciis, & regnis Turca sit factus? cùm Tunetanum regnum à Sicilia, Epirum & Macedoniam ab Apuleia, Foroiulium à Dalmatia, tenuissimo tractu videat disterminari, & Apollonia Turcico oppido, Hydruntum regni Neapoleos vrbem antea quoque à Turcis possessam, vnius noctis spatio annauigari posse intueatur; & regnum Slauoniæ, olim quidem etiam regis Matthiæ temporibus à Turcis infestatum, nuperrimè verò direptum & vastatum, & Petriniam arcem in eo exædificatam fuisse non commemorem. Quæ si nostrorum virtute & fortitudine rursus recuperata non fuisset, per Gockfeldum & Mokroczin, Labachum vsq; sine montium & fluminum obstaculo aliquo, & inde in Foroiulium, siue verò in Carinthiam ab hostibus tutò poterat perueniri. Non tàm enim facilè semel vel incognitas exploramus vias, quàm exploratis immensa locorũ emetimur interualla. Itaq; primis quidẽ hostiũ conatibus & irruptionibus obstãdũ est, & tàm viarũ transit⁹ deiectis roboribus, quàm & fluuiorũ nauigabiliũ fontes maximè sunt occultandi Quæ vna historiæ Dlugoschi nõ vulgandæ typis, veteribus Polonis inter alias fuit ratio, qui fluminum fontes accuratissimè explicârit. Iam verò si quis vel alias etiam Christianorum regnorum & prouinciarum oras, & cum Turcis vicinitates consideret, dubitabit, Canisia, quod animus ominari horret insuper occupata, Viennam vsque liberrimum transitum barbaris futurum, & cõmeatum, rem omnium maximè necessariam omnis generis in Austria defuturum. Iaurino porrò & aliis arcibus vt iam sunt, interceptis, vna illa superest Agria, cuius Cassouiæ & totius Hungarici ad Tibiscum tractus salus & integritas continetur. Quæ si & ipsa (quod absit) corruerint omnia, vnũ illud impediet Sepusium, quo minùs Turcica vexilla in Poloniam, quæ tamdiu fœdus cum eo coluit inferãtur. Quæ vel alia vicinitate Turcica, flumine Tyro & Valachia disterminata, & montibus à Transyluania diuisa, & Podoliæ apertis campis Tartarorum anniuersariis incursionibus infirmata, est cur tandem euigilet. Faciliùs enim optare, quàm sperare Turcicorum fœderũ est firmitatẽ. Quæ non idcircò dicuntur, vt belli nobiscum gerendi Turcę veluti quædam viæ & consilia suggerantur, cùm hæc

ille

ille multò etiam magis habeat omnia explorata; ſed vt noſtri veluti à ſomno potiùs excitentur, & vicinis ac imminentibus periculis moueantur. Non quippè alienum, ſed putes eſſe tuum vicini parietis incendium. Age verò, quid de Hiſpaniis, quid de Galliis quid de aliis Chriſtianis regnis & prouinciis dicam? Quæ vtinam ſicuti periculis coniunctæ ſunt, animis etiam & viribus coniungantur. Quid enim Hiſpaniis Africa eſt infeſtiùs? Quid Alligerio inſidioſiùs? quod Valentiæ oppoſitum mare illud, quòd horis enauiges aliquot, ne tum quidem, cùm clauſum fuerit, tutum eſſe permittit. Betica verò, non ſecus ac Euripus aliquis continuis Mahometanorum precibus & monitis, ſeu quibuſdam procellis & tempeſtate agitatur. vt de regno Feſſæ, Marroco, & tota illa Afrorum Vafrorum ſocietate, quæ Chriſtiano nomini eſt infeſtiſsima ſileam; vt nihil de conſiliis & molitionibus ipſorum loquar, quibus in exitium noſtrum toties & tantopere conſpirârunt. Nullum enim càpitaliùs inter gentes & nationes eſt odium, quàm vna illa quæ huic placet, alteri improbatur religio irreligioſa facta non nemini. Iam & Galliæ vt blandæ amicitiæ Turcicæ ſint & fuerint diu altrices. An vna ex parte Africo etiam littori expoſitæ non ſunt, & in eandem illam à barbaris calamitatem an incidere non poſſunt? Maria profectò ipſa, quæ vtramque partem alluunt Galliarum, & denique quotquot ſunt nominum omnium omnia, Turcicis latrociniis ſunt infeſta, vſque eò; vt non ora, non ſinus, non portus aliquis tutus, aut non exploratus ab iis eſſe videatur, cùm vel noſtri exceperint eos interdũ hoſpitio, & aperuerint viam turbandæ vicinitatis. Quod quàm peruersè fecerint, dies aliquandò demonſtrabit. Nulla enim inter noſtros confiſio; inſultuum in nos illecebra eſt barbarorum. Quò minor noſtra deberet eſſe inter nos diſcordia, neque illud expectandum, quò hoc tantum à Turcis in Europa incendium excitatum, omnium ruina, quã aqua potiùs extinguatur. Non enim auxilia in Turcam cũctorum Chriſtianorum ſeria adhuc eſſent ſera, ſed cui bono fuerint paulò poſtea tardiora. Scitè quidam belli Turcici malum febri, quam vocant tabidam, aliquandò comparauit: quæ vt cognitu initiò difficillima, ad extremum facilis, ſed curatu eſt incredibilis; ſic & huius Turcicæ tyrannidis nobis imminens periculum, haud ſcio ſi ab aliquo deſpicitur; cognoſcetur quidem dolenter & ſerò, cùm non ampliùs poterit cohiberi. Faciliùs enim infliguntur, quàm ſanantur vulnera, etiam minutiora. Vnde & Ioannes ille Tarnouius Comes, qui non tantùm Poloniæ, ſed & Luſitaniæ regis exercitibus præfuit, &

quem non modò victorem hostis timere; sed & ante victoriam solitus erat revereri, omnia Polonica Comitia perpetuam belli Turcici meditationem esse debere faciebat olim testatum. Qui si reuiuisceret, non iam paucorum dierum comitia iis consiliis danda, sed multos menses, ne dicam annos impendendos, modò aliquid proficeretur, haud dubiè affirmaret. Multi enim multos habent hostes sibi infestos, sed Poloni Mahometanos infestissimos. Verùm,quod quidem Polonis suis, hoc idem & Germaniæ dixisset fortasse populis; vt in eiusdem meditationis & consilii societatem se quoque includi paterentur. Vix enim ruere poterit Polonia, vt non & Germania eodem motu labefactata concidat. & vt Polonos campestres,quàm Germanos munitissimis fretos vrbibus eum faciliùs aggressurum sit credibile, habet ex aduersis,antequam hoc faciat,quod cogitet certè. Nam vt prædam, quam multò in Germania maiorem,quàm in Polonia sortiturus esset,prætercam;ipsa quidem armorum, equorum, & militum,quæ inter Turcas & Polonos est similitudo, à totius rei summa vnius prælii exitui committenda sæpiùs auertit bellatores; cùm vel vna in patentibus campis obtenta à Polonis victoria, haberent procul dubio nihil, quod eos in Thraciam vsque irrumpentes retardaret: Turca verò Polonos acie victos, non peræquè celeriter,vt fortasse opinatur,posset opprimere. Etenim, cùm Poloniæ regnum omnium regnorum sit vastissimum, & ille in frigida & aspera regione diu exercitum circumducere & alere posse non videatur, vt potentior sit, posset eum pœnitere. nusquam enim tyrannidis constabiliendæ magis præceps & lubrica fuerit via; quàm in numerosa & bellicosa nobilitate, quæ nunquàm antea assueta est seruituti. Interim verò etiam Germani vrbibus & munitionibus non præfidant suis. Cùm enim non tam in munitis vrbibus, quàm in virorum fortium pectoribus spes & ratio consistat se suaque defendendi; quis dubitet Turcicum Cæsarem ab his, eorumque similibus temerè prouocandis consultò abstinere? Memorabilis Viennæ contra Turcas est defensio, in qua vnius illius Comitis Salmeñ. & paucorum procerum magis enituit virtus; quàm vt infiniti alii, qui iam de deditione cogitare cœperāt, vrbi in extremo casu auxilio fortasse extitissent. Recentiora exēpla,quę sunt turpissima,non libenter cōmemoro:tantū illud dico, Græcū illum nescio quē Principem,& verè protulisse,& sapienter sensisse,& omnibus seculis prudentem fuisse iudicatum; qui de mœnibus vrbis aliquandò interrogatus, virorum fortium pectora non dubitauit ostendisse. Bonus enim contra irruptionem hostium

 est murus.

eſt murus. Sed qui ille oppugnantibus reſtiterit, ſi militum fortiũ excubiis & armis non fuerit propugnatus? Quo magis, vt in apum examinibus diſtincta ipſorum paſsim ſpectantur munera, & reges ipſi deſtituuntur aculeo; ita & ad hanc contra barbaros defenſionem, diſpartitæ nationum operæ inprimis ſunt neceſſariæ, & reges demùm nationum careant inter ſe peſsimo illo diſcordiarum aculeo; ne armis in hoſtem ſumptis magis regredi, quàm progredi videantur. Quò autem difficiliùs ſingulis, eò magis neceſſarium cunctis cum barbaris eſt certamen. Magni fecerunt olim Romani hoſtilitatem etiam remotiorem. Nauigauit in Africam Cato, & tantum vt ſuis periculum à Carthagine imminens oſtendiſſet, adire periculum ipſe, & ficus ex hoſtico recentes adferre non dubitauit. Quid nos facimus, quos non dicam hoſtium vicinitatis terrore, ſed tubarum clangore ab iſto ſi Deo placet, Epymenideo ſomno quis expergefaciat? O ſurditatem! ò lethargum noſtrum miſerandum! Sed ſic profectò naturâ comparatum eſt, vt aliena magis, quàm noſtra permoueant nos vulnera,& quod in ipſo eſt limine, longè adhuc eſſe, falſo ſubindè opinemur. Sic nimirum Andrinopoli occupata, porcorum ſtabula occupari, Conſtantinopolitanos ferunt dixiſſe: & tamen Andrinopoli capta, nec ipſi quoque ſuam patriam defendere diu viſi ſunt potuiſſe. Vt enim paries parietis ruinam, ſic vnius regni,vrbis,prouinciæque caſus alterius accelerat diſperditionem.Cogitate,quàm vera ſint quæ dico: & quoniam cogitationes noſtræ ad indagandas res, non adhibent oculos aduocatos; ex tot atque tantis præteritis regnorum & prouinciarum noſtrarum cladibus, quæ nos adhuc manent & circumſtant mala, mentis acie nobiſcum contemplemur. Intra hunc habitabilem Oceanum, plura propemodum iam occupaſſeTurcam, quàm reſtare ipſi occupanda, nemo dubitabit. Quid igitur expectamus? quid huic tantæ rei, & futuræ calamitati indormimus? Tres Turcici Cæſares ob tot relatas de nobis victorias, ſummis in cælum feruntur laudibus: Mahometes, Selimus & Solymanus. Quorum tamen ætas neſcio ſi centum annorum ſpatium adæquauerit. Nos verò ab iis, qui adhuc malo omine & nomine reſtant, non timeamus, cùm tantum in Perſide vnus Amurates effecerit, quantum ne Romani quidem ipſi rerum Domini olim potuerũt.Cùm enim Armenia Romanorũ cunctas in oriente victorias terminatas fuiſſe proditũ ſit memoriæ,hic quidẽ dictusAmurates,qui diẽ ſuũ nuperrime obiit, multò etiã proceſsit longiùs:de cuius itẽ filio iuuene ferociſsimo,quid aliud dixero,niſi quòd,vt à ſuorũ ſanguine fundendo imperiũ ſuũ eſt auſpicatus; ſic maiorũ more ac inſti-

ac instituto nũc hos ad tempus fœdere, nunc armis illos perpetuò sibi subiectos facere cupiet Christianos. Nos verò amentes, si vllã vel minimam fidẽ ipsi eiusq; posteris pręstiterimus, si tenebimur huiusmodi insidiosi fœderis magis nomine quàm religione irretiti; cùm non alia re, quàm paciscendis cum Christianis induciis, & fœderibus ineundis Turca sit felicior, & haud scio, quod de Gallis & Anglis dicitur, quòd hi apertis bellis, illi conditionibus stabiliendis pacis fuerint fortunatiores, de Turcis & Christianis non meritò etiam diceretur. Nam vt eadem illa Turcica exempla, quæ vel aliâs prolata sunt, dati & violati Christianis fœderis, denuò etiam proferantur, nulla mea quidem sententia par iis reperietur oratio. Ab hinc ducentis propemodum annis, profectus est Sigismundus Cæsar ad concilium Constantiam: & quia non modò Romanorum imperator, sed etiam Hungariæ Böemiæque rex fuerat; suo cum perpetuo hoste Turca pactus est inducias, quibus ille simul ac discesserat violatis, quasdam in Bulgaria arces intercepit. Percusserant Paleologi cum Mahomete fœdus: at ille eo fœdere seu laqueo vsus Græciam expugnauit. Percusserant cum Baiazete Veneti: at Mettonẽ, Coronem, & Naupactum, vel eo ipsis ademit. Percusserant cum Selimo altero; qui & ipse Cyprio regno eos spoliauit. Quid verò de hac misera & afflicta Hungaria toties sub fœdere à Turca petita, toties dilacerata loquar? An sub Ferdinando Cæsare, eodemque Hungariæ & Boëmiæ Rege, Ceku & Dreznis, & sub Maximiliano rursus eius filio Decun & Saladineñ. comitatum Solymanus Turca Hungaris non ademit? & an Amurates nuper sub isto pulcherrimo pacis nomine, cùm nihil minus ab eo timeretur, Slauoniam & Hungariam non inuasit, diripuit, incendit, peruastauit? Qui igitur vel paucis aquæ gelidæ in balneo guttis, & his Turcicæ exemplis non mouetur falsitatis; eius, quid multis fatiges aures orationibus, quid emollias mentẽ rationibus, quid studia, quid animum ad res gerendas inflammes vel incendas? Satis, imò plusquàm satis ostensum est, qua vna ad constabiliendas res Christiani inter se vtuntur, hac abuti contra nos barbaros fide & iurisiurandi religione, quæ nulli vnquàm hominum, nisi quantum eorum expedierit rebus, ab iis obseruatur. Quod equidem etiam ipsum minimè obscurè eos præ se ferre depræhẽdo: & audiui Turcicum legatum quendam, in aula Galliarum regis fuisse gloriatum; firmam & stabilem amicitiam suum Principem Christianorum regum promisisse nemini, nec fidere, præterquàm vni Galliarum regi: Concedere ad tempus nunc huic, nunc illi petenti pacem; sed

& eandem abrumpere,quoties ingrati fuerint, ſuo etiam arbitratu. Quis igitur his fidat? quis ſe ſuaq; amplius concredat? Quis ab his, qui callum hac in re & fraudatione obduxerunt, circumſcribi ſe patiatur? Aſinus cùm ſemel pedem impegerit,loci vbi impegit,meminit: & homo non alienis, ſed ſuis cladibus eruditus, in eaſdem illas illabatur. Miſerat olim Sigiſmundus Poloniæ rex ad Solymanũ Turcam legatum ſuum Kretkouium de Petro Palatino Valachiæ rebelli ſuo queſtum. Non cunctanter vltus eum eſt Turca, ſed ita vltus, vt Valachiam, quæ partim Poloniæ, partim Hungariæ parebat regno, ſuæ efficeret poteſtatis. At quis vltus eſt Sclymanum? nemo. Sic videlicet diuina humanaque miſcere licet Turcæ omnia, nobis contra eum non licet vel tantillũ. Quid? per emiſſarios ſuos Tartaros, quot,quantis & quàm geminatis cladibus Turca infeſtat Poloniã? & tamen ſua cũ Polonis fœdera vult eſſe firma & ſtabilia. egregiè profectò. Cedò autem,cur Nizouios & Kozakos vult à nobis caſtigari? quòd nimirum potentiæ diſpar noſtra & illius eſt ratio ſiue conditio, & quòd ille vel ipſa ſui Mahometis lege periurio, tanquam quodam laqueo, Chriſtianos poteſt capere, nobis nec fas nec licitum ſit à fœdere cum eo diſceſsiſſe. Neque verò noua ſed vetus & vſitata in Polonia hæc de Turcis eſt querimonia. Quid enim? nunquamné etiam Sigiſmundi Poloniæ regis temporibus,in totComitiis olim Petricouienſibus,vox illa à legatis Turcicis eſt audita? Oſtaffeium, Pretſicium, & alios confiniorum regni cuſtodes remoue, Kozakos perime, prædam meis reddi iube,te tuoſque intra confinia contine, ne prædones meos vlciſcantur. Quia etſi hoc naturæ lege, hoc maiorum exemplis, hoc deniq; ſacroſancto iſto fœdere non eſt prohibitum,vim vi repellere,& te tuoſq; furore & iniuria meorum prohibere;tamen ſumma mea eſt potentia, quam tu ſi voles, reuereare, ne in maius periculum fortè incurras; & meis verbis & fœderibus fidas, vt re & veritate ipſa ſint falſiſsima. Præclara voluntatis & conſtantiæ denunciatio. Quid? Maiorũ noſtrorum retinebimus nomen, & in agendo ac reſpondendo non retinebimus libertatem? Mittemus Conſtantinopolim munera, vt in tabulas referat tanquàm tributa? Mittemus legatos,vt impune interficiat, & in ipſius legatis eorum mortem, nullus noſtrorum vlciſcatur? Quam glorioſum fuerat Nicolai Czikouii, Caſtelani olim Sandecenſis, & apud Iſabellam reginam Hungariæ ſummi Præfecti illud factum: quòd cùm legati Turcici vnus poſt alterum duo in Poloniam aliquandò ad eam veniſſent, & vnus illorum nobilem quendã Polonum Golſciũ menſæ accumbentẽ, cultro perfodiſſet,
inter-

interrogato priùs altero legato, qui ea de re nondum inaudierat, quo modo illa cædes in Turcia punita fuiſſet, vel legati ipſius morte reſpondente; ſtatim, reclamante etiam regina, capite truncari eũ iuſsit, & ſub patibulo extra oppidum Petricouiæ ſepeliri. Volente autem legato altero magnificum illi ſepulchrum extruere; & illud adeò prohibuit, ne in agris Poloniæ Mahometanorum vlla vel minima trophæa aut ſepulchra à prætereuntibus ſpectarentur. Qui quidem Czikouius tanti animi fuerat, vt aliquot annis interpoſitis ſui regis nomine legatione ad Turcam fungi minimè quoque dubitauit. Sed hæc obſoleſcunt ſenſim pedetẽtimq; omnia; & vel propter inanẽ ſæpè metum Conſtantinopolim curſitatur. Quare, ſubuereor equidem, ne quod olim Rhodiis, idem & nobis vſu eueniat: à quibus, cùm pro inſtruenda claſſe, linum principiò Solymanus petiuiſſet, tandem lino impetrato, & pecuniam ſibi dari importuniſsimè poſtulauit. Vnde tandem cum Lilodamo, Magiſtro tum ordinis, adarma res deuenit. Paruis enim principiò petendis, mox à Turcis ſtruitur maioribus poſtulatis gradus: & vbi aliquid vel ad tempus conceſſeris, iam in perpetuum penſitabis. Multum multum profectò viderat idem ille, cuius & antè memini Tarnouius, qui dolens & gemens patriam ſuam tanquàm in quodã ſeruari viuario, ab hoc exclamabat ſæpè tyranno: Sed licèt etiã iſte (ſi Deo placet) venator tàm egregius, nec ſpei nec rei aliquid eſſet habiturus, nos qui Chriſtiani ſumus, & eſſe atque dici perpetuò volumus, alios deſeremus? Cernimus quæ vicinos noſtros imò & noſipſos circumſtent pericula: quæ eis nobiſq; adempta, & quæ adhuc reſtant adimenda. Regno Poloniæ non defenſionem ampliùs, ſi in Turcicas manus ueniet, ſed hoſtilitatem Valachia feret: Tranſyluania ſi non defendetur, arma contra nos ſua, inuita licèt, tandem conuertet: Hungaria poſtremò ipſa, quæ penè ducentis annis Turcis reſtitit, ſuccumbet; & tum vel maximè Morauia & Polonia ſuum interitum cum horrore circumſpectet. Quid multa? plena vbique malorum & periculorum ſunt omnia: veterem ſuam facem Africam ſuſpectã habet Hiſpania: Italia orbis terræ victrix, pertenui diſcrimine à Græcia ſeparatur: Slauonia direpta: Hungaria tantùm non integra ſubiugata, Germaniæ excidium comminatur: totum denique Chriſtianorum imperium in anguſtias coarctatur. Nõ modus, non nodus, non artus, non partus, vt ita dicam, reperitur vllus expediendæ ſalutis. Terra marique ſuſpecta ſunt à Turcis omnia, cuncta ipſorum latrociniis infeſta maria. Difficilima quæque vt collibuerit, armis ſibi faciunt Turcæ peruia: & nihil magis expedierit, quàm ſemel in

tuum cum iis debellasse. Vitæ quidē cupidi naturâ omnes sumus, à tanto, tamque diuturno otio inuiti quasi ad arma concurrimus, meliora semper speramus, & vix aliquandò lætiora experimur; & nescimus, quòd cùm spes vel ipsos non destituat moribundos, quid non exagitet furibundos? Quare, cùm seruitus malorū extremū sit omnium; vel morte ipsa, si aliter fieri non queat est repellendum. Christo Opt. Max. seruatori nostro dedimus nomina, altissimis radicibus religionis nostræ defixa sunt semina, firma Christianæ doctrinæ antiquitatis, successionis, miraculorum, & mutuę consensionis habemus fundamenta. Aut hæc sarta tectaque conseruemus, aut religioni nostræ, quam semel professi sumus, immoriamur.

TVRCICA IX.

SATIS SVPERQVE MVLTA, DE OCCASIONE ET necessitate belli in Turcam suscipiendi & gerendi, mihi videor attulisse. Iam verò quali & quanto, & vnde acquirendo belli neruo, opus est, & quo modo atque consilio bellum ipsum administrari debeat, breuibus aperiam; & quoäd eius fieri explanatiùs poterit, pro mea tenuitate explicabo. Non enim bella ordiri, & iis imponere cum volueris finem, vnius & eiusdem est potestatis. Quò magis præuidenda omnia & collustranda sunt animo, & quæ tum nostræ, tum hostium nostrorum sint vires, & quibus demum rebus tam augeri, quàm extenuari possint, maturè est exquirendum. Reperias quidem non neminem, cuius veluti inter scopulos duos versatur semper deliberatio, vtrum Turca in hoc, in quo nunc est statu, à Christianis fœdere sibi iunctis, relinquendus; an verò non expectato etiam fœderis finiendi tempore, dum socios nostros vrget, & subigit armis, & ipse quoque vrgendus & subigendus à nobis videatur. Etenim quòd vni hodie, hoc tibi & alteri ne eueniat postridie, iure ac meritò extimescas. Quæstio hæc est eiusmodi, vt variantibus (quod plerunque fit) tanta in re animis, atque sententiis, in vtramque partem possit defendi. Verùm cùm quanta Turcico fœderi, & societati, fides præstari debeat, vel antea quoque abunde sit declaratū; restat, vt nūc demùm nū coniunctim ab omnibus, aut verò quoäd eius fieri potest à Christianis pluribus in eum percutiendum sit fœdus videamus. Maiorem omnium quàm paucorum auctoritatē, & potentiā futuram, quis nō intelligat? Sed rursus illud considerandū venit, quod eo tractādo plus erit difficultatis, & amittetur

tetur multò magis temporis,& deniq; ſumptuum,hoc nomine ſurſũ atque deorſum dimittendis legationibus atq; legatis, plus impendetur. Magnæ enim conſultationes egent magnis conuentibus, & in vtramque partem diu multumque diſcuſsis rebus, animis magis exulceratis, ex iis ſæpè eſt diſceſſum. Quocirca, ne communis omnium hoſtis noſtra exultet diſcordia, & re bene contra nos geſta aut gerenda maiori indies augeatur potentia; hæ, quæ in commune conferri debent opes, vel à minimis interdum rebus ordiendæ ſunt,ac demum icto ſemel cum pluribus regibus & Principibus fœdere, ad ſumma quæq; auxilia præſtanda eſt veniendum. Quis enim neſcit, ſi vel vnus alterúe aureus nummus,à ſingulis pro uentuum centenis annuatim numeraretur, per vniuerſaChriſtiana regna & prouincias, grandem coaceruari poſſe pecuniam, ex quo miles conductus in ſtipendia in locis magis barbarorum impetui expoſitis commodè collocaretur, & tanquàm cautor quidam periculi ex continua ſeu quadam belli officina in aciem ductus fortiter vbique verſaretur? Vix enim aliquid valet miles ſubitò collectus, aut ſaltem non ſolet eſſe incõmodorũ tolerans & diuturnus.Quòd omnes omnium prouentus, & peræquè vnius ac alterius regni ſiue prouinciæ æſtimari,& bellis inteſtinis durantibus aut recrudeſcentibus hæc pactio obſeruari poſſe non videretur; præſtat vtique vel aliquid in hac parte tentaſſe, quam de periculis communibus nihil omninò cogitaſſe. Vel aliquod enim initæ in Chriſtianis concordiæ ſpecimen hoſtes deiicit animo, & ſocios in ſpem erigit meliorem. Non ſtatim quidem cenſendorum capitum diſquirenda eſt ratio, aut ineunda conſultatio, nec quanta æris laboremus inopia, hoſtibus demonſtrandum. Multum enim hoſti eſt ſpei in alterius cui bellum mouet, nunc inertia, nunc verò etiam egeſtate. Quanquàm ego & minori neceſsitate, & imbecilliori nos noſtraque aggrediente hoſte, cenſa & hîc, & alibi capita video; & haud ſcio, ſi vel non expectato difficiliori tempore, id maximè neceſſarium eſſe liberè affirmabo. Præſtat namque capita noſtra à nobiſmet ipſis tempeſtiuè cenſeri, quàm à barbaris vel ſeriùs detruncari. Quid verò de aliis aut his ſimilibus corrogandæ pecuniæ modis & inuẽtionibus loquar? Enimuerò cenſendis Chriſtianorum capitibus, dimidio maior non poſſet exigi à Iudæis pecunia? qui tot, atque tanti, tamque locupletes paſsim reperiuntur; vt quodam Chriſtiano regno peragrando, & ad cauponas Iudæorũ diuertendo, neſcio quis feſtiuè, quandò ex hac Iudæa exibimus, fortè quæſierit. Quid? Aureæ & argenteæ ſuppellectilis,quæ per omnia Chriſtiana regna

& pro-

& prouincias paſsim ſpectatur, vel pars ſaltem aliqua in hunc vſum collata, an non admodum magno futura eſſet adiumento? quàm multi etiamnum reperiuntur torquati, qui ferreis, quàm aureis torquibus ſunt digniores? qui vt non tantùm aureos, ſed adamantinos etiam torques geſtauerint, detrahendis cupiditatum ſumptibus, & publicis commodis adiuuandis, quàm multò magis fierent glorioſi? nunquàm enim externis, quam internis rebus, nec tàm corpore ornato, quàm animo moderato peræquè illuſtramur. Et quorſum oſtentantur diuitiæ, quas & ſaniores irrident, & hoſtes noſtri eò magis appetunt, & diuinitùs caſtigantur? raró enim animus elatior, prænuncius futuræ non eſt calamitatis. Age, per omnia Chriſtiana regna & prouincias, vrbes confœderatique Principes Antiſtites, & Eccleſiaſtæ omnes, imò & contrariorum dogmatum ſinguli homines, an non tantum in id bellum conferrent, quantum Reipub. maximè expediret? Det in hoc bellum dimidium eius æris Italia, quod in ea toto anno in alea, furtorum & blaſphemiarum ſegete, à feriatis hominibus turpiſsimè deperditur. Det Germania tantum, quantum in ea extra prandium & cœnam in commeſſationibus conſumitur; cùm præſertim domi abdomine, quàm dando foris in militiam nomine, plures intereant. Det Polonia eius æris dimidium, quod in veſtium & epularum luxu in ea erogatur. Hiſpanias Galliaſque prætereo, quarum hæ ſi ab iis, qui neutrarum ſunt partium, exigere tantum, quantum bello impenderent, & Hiſpaniæ tot ſumptus in hoc bellum publicum, quot in donationes priuatorum facerent; incredibilem mea quidem ſententia pecuniam corrogarent. Nihil dico de Batauis, & aliis inferioris Germaniæ populis, qui cùm pro religione bellum gerere videri volunt, tam ex captis vtrinque hominibus, quàm ex vrbium & oppidorum direptionibus, non volent, opinor, aliquid etiam pecuniæ pro communi Chriſtianæ religionis & regionis præſidio tandem negare. Quid verò non faceret aliquid Anglia, quæ cùm fidei defenſtrix maiorum ſuorum more & inſtituto dici & haberi cupiat; quid iis, qui Catholicam religinem in ea profitentur, loco illius, quam ipſis irrogat mulctæ, integrum non vellet eſſe contra Turcam cum Chriſtianis aliis proficiſci? Nondum quidem Anglorum regum in Aſiam olim frequentata obliuione obruta ſunt itinera, ex quorum egregiis conſiliis atq; factis, quàm ex tot Pyratharum latrociniis, qui Oceanum infeſtant, nomen Anglicum magis elucet. Sed expedit, vt hæc demùm omnia omnium nominum in bellum Turcicum, tàm pecuniarum,

quàm

quàm alterius generis adiumenta, & fideliter dentur, & ſcienter exigantur, & integrè diſtribuantur. Nihil enim eſt acerbiùs, quàm pecuniis imperandis & tractandis hos demere multa, illos verò adiungere ſuorum rationibus commodorum. Quòd ſi quis hoc belli Turcici malum remotiùs à ſe eſſe dicat vel ſentiat, quàm vt hac diligentia & exactionibus opus habeat; tum vel nimirũ animaduertat, ne vel opinione ſua celeriùs aliquandò defraudetur. Vix equidem tam remotum eſt aliquid, quò vel lentis paſsibus, ſi maturè non prohibueris non perueniatur. Ac memorabile in primis eſt, quòd ad fallaces ſpes, & inanes hominum cogitationes oſtendendas, de Conſtantinopolitanis proditum eſt ciuibus; qui ſupremà ſua, & imperatoris ſui die, ad pedes eius tantum diuitiarum proiecerunt, quantæ multis etiam aliis conſeruandis vrbibus proculdubiò ſuffeciſſent. Quod & de Taurino item in Hungaria confirmatur, quæ munitio, ſi commeatu centum aureis Budæ empto quæſtores per Danubium demittere voluiſſent, defendi à Turca creditur potuiſſe. Verùm, quæ interdum multa modicis auxiliis poſſent nummorum; ea demum iuuari non queunt vel maximis aceruis theſaurorum. Quocirca meminerimus, ſi ad bellum & prælia venietur, laborioſiorem multò fore hac in parte nobis negligentiam, & nullis parcendum eſſe ſumptibus, & denique ad exactiones contributionesq; publicas accedere ſeu præcedere potiùs debere implorationem diuini numinis atque nominis ſacroſancti, vt Pon. Max. auctoritate omnia & ſingula templa perſonent concionibus, quibus ingruente, maiori aliqua neceſsitate, capienda in barbaros arma promiſcuè omnibus & præuenire, quàm ab iis præueniri ſatius eſſe populo perſuadeatur. Præmia habituros talis militiæ omnes, non iam illa caduca & fragilia, ſed in cælis ſempiterna. Commouetur maximè his audiendis multitudo, & mercedem laborum periculorumque ſuorum illam cæleſtem, quàm iſtam breui tempore duraturam & inconſtantem magis ſectatur. Ferunt neſcio quem à D. Antonio Patauino, quod diuina maieſtate ei patefaciente, cæli hæredem fore præſenſerat, in magno honore fuiſſe habitum. Quo ille tantum abeſt, vt ſe dignum cenſuiſſet, vt moleſtè etiam quodammodò ferre, & per riſum ac iocum illa fieri arbitraretur. Verùm cùm aliquandò in Aſiam, cum ſuo Epiſcopo profectus, in quodam contra Saracenos prælio intereſſe, & pro Epiſcopo morbo correpto veniam pœnitentibus largiri, & inanimare alios debuiſſet, verborum B. Antonii recordatus, ſic exarſit; vt inter confertiſſimos illatus hoſtes morte intrepidè obeunda, cum Chriſto Opt.

Max. illa die triumphaturum ſe eſſe certò, quaſi præſciuerit. Vitæ enim alterius ſpe concepta certa, mors venit homini,quaſi optata. Quid hæc ſimiliaque hodie exempla alios quoque non permoueant ? quid in barbaros & crudeles non incitent hoſtes ? quid Chriſtiani domi expectauerint patriæ ſuæ euerſores?An verò memoratu non eſt dignißima,ab Vrbano II. Pont. Max. ex Claraualleni concilio cruce ſignatorum multitudo ? an non pii II. temporibus altera ? an non aliorum? Iam quidem,cui vnquam dubium futurum eſt, vel ſi plurimos vixerimus annos, moriendum pro ſe cuique eſſe tandem poſtremò ? ſed illud nimirum ambiguum,quo die, quo loco, quo mortis genere propemodum infinito. Quid igitur vita debita naturæ, non reddatur potiùs religioni atque patriæ? quid maior non ſit iactura libertatis, quàm fortunarum & facultatis ? quid non ſalutis æternæ, quàm huius caducæ & fragilis vitæ ? quid non erogentur omnes ante diuitiæ, quàm vel Turcis liberum noſtrorum impunè concedantur prædæ? Quis denique mancipari à barbaris, quàm perpetuò coniugari non velit potiùs Chriſtianis ? An enim non animaduertimus,quot & quantæ opes, cui bono fuerint, neſcio quàm anxiè quæſitæ, quibus artibus partæ,quanto cum metu & periculo conſeruatæ ? Quò tandem recidit ſua Orienti Gaza? quò reciderunt Græcorum diuitiæ ? quò recident (quod abſit) & noſtræ, ſi huic paulò indormierimus tempori, & non occurremus futuræ calamitati ? Felix ille eſt denarius,qui cautor eſt centenarij. & quorſum fuerint facultates, ſi illis non dabitur vti nobis ſociisq; noſtris defendendis?Tanti amicus qui non iuuat,quanti aduerſarius qui non nocet (vt plerunque fit) æſtimatur: & tantundem cum auaro habuerit quis pecuniæ, quantum auarus caruerit ea ipſe. Quid olim non præſtiterunt Romani vltrò bellorum comparando adiumento? Auguſtus Cæſar,cùm milite indigebat, ſeruos & mancipia manumittebat. M. Antonius nè imperandis crebriùs pecuniis odioſiorem ſe redderet, coniugis ſuæ veſtem & ſupellectilem diuendebat. Veſpaſianus, Quæſtores vel minimum ob delictum, ad mulctas in bellicum vſum conuertendas, ſeuerißimè puniebat ; ac vnus denique altero cum ornamenta pacis, tum maximè ſubſidia belli magis quærebat. Quid? nos nihil horum faciemus ? & aut ſeruorum loco ſupplicio afficiendos, muniendis oppidis, atque vrbibus nos deſtinabimus, aut Quæſtorum mulctas, quæ multæ & magnæ exigi poſſent, in belli contra Turcam vſum non conferemus ? Equidem multorum eorum, qui Reipub. pecunias tractant, filios patrimonia ſua dilapidaſſe video: & quòd conditione infimi,fortu-

na

na miseri, velint nolint contribuunt; hoc tandem ditiores variis artibus à principibus sibi dari petunt, & accepta abliguriunt. Quod ipsum factum, commune demùm omnium sequitur incendium, diuina exposcente pœnas vbique æquitate. Vult enim obsequi minores Deus semper maioribus; sed & eosdem minorum vti non abuti facultatibus. Quare tam imperandis, quàm & exigendis à populis pecuniis, summam semper æquitatem & moderationem, discrimen ac delectum par fuerit adhibere, ac illius dicti meminisse, Non omnia, quæ nobis licent, peræquè expedire: & sicut neruum, cùm nimium tenditur, perrumpi; sic & subiectos, si grauibus tributis vrgeãtur, non semper dominorũ dicto solere esse audientes. Postremò, qui oues, quas tondere debeas, deglubas, aut nimiũ emungendo eorum sanguinem exugas, quos non secus ac teipsum ex præscripto legis debebas dilexisse. Magna requiritur ratio, & disquisitio, & commiseratio sciscendis tributis, & imperandis pecuniis; nec quod huic aut altero regno, hoc quadrare cunctis posse, & debere arbitrêre. Vt enim Pygmæis & Atletis non idem vestitus, nec robustis & imbecillis fuerit cibus; sic gubernandis populis, exigendisque ab iis tributis, non eadem ratio est dominatus. Age enim videamus, quàm non modò in diuersis, sed in vno illo eodemque aliquandò regno, periniquum videtur, iugera tantùm agrorum (vt fit) numerari, bonitatem verò & opportunitatem nõ expendi: quàm multos videas agros, qui non tàm quidem cultione, quàm naturâ sunt feracissimi; & quàm multi alii, qui diligentissimè colantur, & subigantur, licèt expectationi non respondent. Iam quot & quantas regiones mellifluas, lignis, armentis, bobus, pastionibus abundantes intueare, quæ & iugerum amplitudine, & piscosis fluminibus, & commoditate portuum, & varietate mercium, & frequentia negotiationum aliis antecellunt. A quibus par stipendium poscere, spatia æqua dimetiri terræ, frugum prouentum peræquè æstimare, iugera agrorum, & commoditates non inspicere portuum, an non fuerit iniquissimum? non enim tantùm demendo nimio, sed æquè etiam ponderando paruo, & omni denique re ex æquo & bono constituenda iustitia continetur. Cuius fruendæ causa reges esse constitutos testatur Thucidides. Quo etiam fiebat, vt in benè moratis & constitutis Rebuspub. vel potissimum eligerentur ii, qui harum rerum & exactionum debitam curam gererent, prouentus omnium ciuium introspicerent, fructus, qui tam ex pecuniario, quàm ex possessionum reditu susciperentur, obseruarent, obseruatos ordinibus regni proponerent, pro-

positos & examinatos certo loco custodirent. A quo quidem censu seu contributione liber & exemptus prorsus esset nemo, non genus, non conditio, non forum, non legatio, non rei alicuius aut casus patrocinaretur excusatio. Qui verò aut reditus æstimaret, aut ab æstimatis pensitare deberet, si quid fraudis in Rempub. committeret, parte mulctæ Reipub. vna, quadruplatori altera applicata, grauissimè puniretur. Vt enim medicorum curandis, sic magistratuum officinæ hominibus castigandis, sint sibi quàm simillimæ. Ab his, similiumque exactionibus nummûm aureûm centenis, si, quod initiò dixi, vnus alterúe aureus tantùm nummus in defensionem contra Turcam, ab omnibus Christianis gentibus nationibusque quotannis penderetur, eaque res aut iureiurando, aut pactione aliqua publica, aut sponsoria aliorum fide cõfirmaretur; an tandem non grandis colligeretur passim pecunia? quæ accuratè exacta, rectè asseruata, scienter distributa, militiam Christianorum efficeret meliorem; qua & hostis à nostris finibus inuadendis arceretur, miles continuò exercitaretur, & imperatoris militum virtus multò antè quàm necessitas maior ingrueret, perspiceretur. Vix enim dictu est credibile, quàm nouus & collectitius miles, veteranis hostium malè opponatur exercitibus, quos ab exercitando dictos quidam veteres voluerunt. Sine ducibus autem prudentibus, si vel maximos optimosque exercitus habueritis, non multum etiam proficias; cùm meliorem exercitum ceruorum duce leone, quàm horum ceruo nescio quis dixerit; & alter gubernante nouo duce hostilem exercitum pecus esse idem, sed mutatum pastorem affirmauerit. Quibus de rebus, vt aliquid etiam antea, dicam equidem & hoc loco plura, & ad bellum istud Turcicum suscipiendum & gerendum, tàm ducum, quàm & militum ratione exquiram quæque vtiliora. Quæ enim non tam iuuauerint, quàm nocuerint singula, ea vel minutatim semel atque iterum expedierit ventilata. Belli quippè errores, aut improuisa morte, aut infamia graui, aut verò vtroque sæpiùs constiterint. Vtinam autem & Ducum & militum selectiorum tanta esset copia, vt & in ducibus præficiendis, & in militibus in stipendium conducendis difficilis esset deliberatio: sed, quod non sine gemitu loquor, præter quòd inuidiæ & æmulationum inter duces & præfectos plena sunt omnia; præter quàm quòd hic superiorem, ille nullo modo vult ferre parem; præter quòd nunc huic nunc illi nationi, eiusque virtuti, tanquàm quoddam pabulum sua non conceduntur prҽmia; sensim tandem, & quod peius est, sine sensu deficiunt nos cuncta ad bel-

landum neceſſaria, & vix in aliqua natione veteranos & exercitatos contra Turcam milites, ac multò minùs experientes reperias Imperatores; in quibus quantum poſitum ſit ſemperque fuerit, & quantum in poſterum quoque reponetur, dies docebit. Præſtat namque exercitare milites ſuos, quàm magnis propoſitis pręmiis, accerſere alienigenas & longinquos. Duces verò belli Turcici intelligentes multò antè habere, quàm cùm iam adeſt bellum, quod ſecus quàm alia adminiſtratur, hîc & illic quæritare. Quo magis,cũ omnia bellorum genera,viris,pecuniis,& commeatu conſtent;quãta harum quarumque rerum deſideretur, ad Turcicum etiam copia videamus. Viros in duas volo diuiſos eſſe partes, in duces & milites: quorum quidam ſi ſelectiſsimi ſint,triginta millium numerum exiſtimant ſuffecturum; ego ſecus: pecunia verò,quanta in biennium ad minimum pro ſe cuique ſuffecerit nationis exercitui opus eſt ſuſtentando; demùm verò etiam,vnde, & qualis quærendus erit,demonſtrabimus,commeatus. Duas porrò Turcam debellandi vias, Carolus olim V. bellicoſiſsimus & prudentiſsimus dicebat Imperator, terreſtrem vnam, maritimam alteram; ſed illam quidem difficilem, maritimam multò magis expeditam. Ad quarum vtramque quantum milites ſpectaret, neceſſarias eſſe diuerſarum gentium & nationum copias,quæ id proprium & peculiare habuerunt ſemper, diſpartitis operis magno eſſe vſui exercitibus, æmulatione virtutis inter ſe certare, ad fortiaque facta aliorum exemplis imitandis perpetuò inflammari. Sed illud etiam mali,in coadunandis ex diuerſis populis exercitibus eſſe meminerit, quod non peræque omnibus benè ſecum conuenit, nec niſi Hiſpani Germanis, Boëmi Polonis, Itali Slauonibus facilè aſſociantur; vt contrà Angli à Gallis, ab vtriſq; verò Hiſpani magnopere diſsident; nec peræque omnes nationes vnà eademque die ineundi prælij conſilia & rationes libenter amplectuntur. Cùm Calendas Octobris, quibus eorum duo reges,Ottocarus vnus, Ioannes alter in prælio ceciderunt, ſibi habeant Boëmi infeſtiſsimas, Poloni Auguſti diem vigeſimam infelicem, & penultimam valdè fortunatam; non ſecus ac Hiſpani diem Veneris tot victorijs Hiſpanorum notatam, vt alias nationes hoc loco taceam, neq; adeò multum his obſeruationibus tribuam, neque poſtremò ſuadeam, cùm ad manus cum Turcis veniendum fuerit;vtrum hæc, aut illa gens inire prælium,& his obſeruationibus niti debeat, agitandum eſſe certamen. Semper enim concertationes verborum beneuolentiæ pariunt in hominibus parum; ſed in bellis adeò atque prælijs vnum alteri exercitũ reddunt

magis infeſtum atque ſuſpectum:quod in Sigiſmundi Cæſaris contra Baiazetē Turcā ad Nicopolim pugna facilè eſt deprehēſum; vbi propter Gallorum & aliarum nationū de ineundo prælio altercationem tot millia militum perierunt. Multò igitur expedierit magis,quis,quantus, & quàm certus numerus ſit in exercitu bellatorū quęſiuiſſe. Sępè enim opinione & in ſpeciē cenſa hominū ſunt millia multa; vbi cùm ad rem ventū eſt,multò tandem ſpectabantur in aciepauciora. Quod Franciſcum I. Galliarum regem Cæſarianorū Ducum ad Ticinum dediderat poteſtati. Qua in re, vide, ne vel fidiſsimi quique te decipiant:& quod ad te ipſum vnum vel maximè ſpectat; ne tu aliorum auditionibus & ſermonibus falſis nunquam à quieſcas; ſed & ipſe & munitiones videas, & exercitum luſtres, & armorum genera, aliáq; eius generis plura ſcientia & intelligentia comprehendas. Leuant nos alieni oculi atque manus onere, non leuant ſi contigerit diſpendio & calamitate aliqua grauiore. Vide igitur, vt omnia, quæ in tuo & hoſtium exercitu ſunt,& fiunt, habeas exploratiſsima,& purgamenta inprimis vrbium, galeatique lepores,viris à fortibus abs te ſecernantur. Miles tuus habeat, quo veſtiatur, quo ſe tegat, quod comedat, & in acie fortiter ſe gerat: non ad menſam, quod aliquando Curcius meminit, debellare velit ipſum etiam Alexandrum. Primum virium faciundū eſt periculū velitationibus licèt rarioribus, vt quid hoſtis valeat, & vtrum equitatu an peditatu magis abundet, exploretur. Prælij non facilè, nec ad alienum arbitrium tentetur alea, præſertim ſi non in hoſtico,ſed domi noſtræ fuerit dimicandum. Caſtris metandis locus eligatur,non minus ſolorter,quàm etiā ſtudiosè. Habent hoc Turcæ, vt collocato in vmbilico totius exercitus robore, vix vnà die vinci poſſe videantur. Quod ad Warnam & nuper in Perſide accidit non obſcure. Sed vna erit vel potiſsima, & maximè compendiaria via, euomentes bombardas ignes, & ignea omnia Turcis opponere victoriæ ergò conſequendæ. Terrent hæc & iumenta Aſiatica, & barbaros ipſos vehementer. Vnde & Cataphractos equites Germanos magno vſui (ſi aliquando contingeret) in Turcas fore,iudicant experientes. Sed vnum illud experientur etiam incommodi, quòd non inter Noricum & Auguſtam tot cauponis diſtinctas, commeatuumq; plenas vrbes,ſubeundem eſt certamen, & quòd & equis non ſolùm leuioribus, ſed & melioribus, & omnis generis commeatibus, tantò magis habebunt ſemper neceſſe. Abundat præterea Turcicus exercitus operariorū ſemper numero, Chriſtianorum non item. Conſilia & cogitata ſua celat, noſter diuulgat;

numen

numen bis terué in die veneratur & adorat, noster blasphemat; in comitatu fere nihil habet nugarum, noster cuncta plena semper lupanarum. Quæ omnia fugienda sunt, ei qui vult de barbaris potiri victoria: & vt animi & corporis sana habeat omnia, & necessario nunquam destituatur commeatu. Quod vnum Ioannes Tarnonius Comes Polonus, Ferdinando Cæsari tot exercitus Germanicos in Hungariam mittenti, sæpius inculcabat, & nè à ripa Danubij longiùs elici à Turcis se paterentur, seriò hortabatur. Cui monitioni non parendo ad Essecum & alibi perierunt. Vnius verò Constantinopolis expugnatio, ad benè de reliquo triumphorum in barbaros Christianorum cursu sperandum, quasi signum aliquod in altum attollet, & eorum animos atque arma, qui seruitutem seruiunt, ad recuperandam libertatem proculdubio excitabit. Non erit ea res difficilis, nec tamen confestim tentanda illius vrbis est oppugnatio; sed arcibus extructis priùs obsidenda, vt paulatim annona ac defensorum numerus diminutus, faciliorem reddat expugnationem. Omnes enim vrbes paulò maiores, difficiles sunt expugnatu; si tum lue, quæ in ijs plerunq; grassatur pestilenti infestatæ, tum defensoribus non fuerint destitutæ. Iam verò, cum milites Turcici ex illo equestri & fugaci pugnantium genere, minimè defendendis mœnibus sunt idonei; tum crebris transfugijs ducum, suam supremam non expectauerint diem & rerum omnium iactura debilitatis remanentium animis, nec vires barbaris, neque vlla consilia vnquam constabunt. Restat, vt de commeatu eiusque genere aliquid etiam dicamus: consilio enim ducum, virtute militũ, & copia commeatuum bella geruntur; qui ne desit, duobus maximè modis est prouidendum. Primùm quidem terrestri, maritima altera via; qua legente semper oras Christiana clasis propinqui littoris, exercitusque Christiani vestigia obseruante, necessariarum rerum copiam suppeditare poterit & debebit; & ipsæ adeò Christianæ gentes, quę sub Turcis sunt, proculdubio subministrabunt. Sed vnum illud humanarum rerum vinculum taciturnitas, quæ cùm in alijs tùm in Carolo V. Cæsare admirabilis fuerat, celandis bellicis consilijs obseruetur; cuius Tunetanam expeditionem ne coniectura quidem assequi aliquis potuit, priusquàm coniunx ex consilio, in quo bellum illud conclusum fuerat, egressa lachrymas cæpisset profundere, quam illa die passus est consilio interesse. Tantum momenti prudentissimus princeps in celandis contra barbaros consilijs positum esse iudicauit. Qui quantum etiam opportunis consilijs, vel à minimis gregarijs militibus suggestis tribuerit, perspicuum est, cùm

alicubi

alicubi in Galliis paruo vectus equo, in quodam leui exorto conflictu, re ad maiorē prælij ardorem veniente, cuidam pro altero currere iusso, specimen fugæ id habiturum respondenti, acquieuit. Iam verò altera belli gerendi contra Turcam via, cùm futura sit terrestris, censeo eò loci, quò ducentur exercitus in expeditionem, vicinis & opportunis fluminibus omnia victui necessaria demittenda, & superflua interim demenda militi omnia, ne, qui ad laborem & vigilias conformari debet, luxuriæ instrumentis nactis eneruetur. Expediet quoque annonæ præfectos aliquot eligere, & illis tantum pecuniæ, quantum suffecerit curare numerari; vt annonam rectè & opportunè subministrent; & ea pecunia exigi ab ijs non debet, nisi anno postea circumacto. & si denique illa ipsa pecunia minor necessitate esset, ijsdem præfectis integrum esset publicæ notæ signa accipere, quæ solutionis die præstituta verorum nummorum loco rependant. Nouæ enim alicui rei vel necessitati, noua item & nunquā licet aliâs vsitata remedia sunt adhibenda. Designandæ itē stationes, quibus & miles securè & commeatus deuehatur, eiusque rei cura vrbium & oppidorum gubernatoribus demandetur; vt nec miles extra stationes victum quærere, neq; ipse sine vitæ discrimine aliò transire, nec impune vias audeat obsidere. Quod vnum militiæ genus speciē habet latrocinij, & hominibus maximè est odiosum, & communi excidio diuinitùs castigatur. Multorum enim interitu, aliquorum crimina expiantur. Qua in re, seuero belli Duce vel inprimis est opus, qui seditiones, cædes, latrocinia in exercitu coërceat: & si ipse non punierit sontes; sibi hoc nomine & innocentibus alijs plectendum esse arbitretur. Vt varia inde pericula, vt turpitudinem, vt ignominiam ducum & militum, hoc loco non commemorem: semper enim ducibus laudandis, speciem clementiæ peruicit animaduersio & seueritas salutaris. Vnde illum comitem Tarnouium ob vnum alterumuè caulem militem gregarium occidisse fama fertur: non quòd dux esset sanguinarius, sed quòd, quid exercitui in seueritate Ducis positum esset, cognoscebat. Neque tamen in omnia etiam leuiora delicta suppliciorum quærenda est acerbitas; sed ad inferiorem militiam, aut ad opus fossorum quidam erunt condemnandi, ac iudices constituendi; qui refutatis militaris licentiæ excusationibus, omnia ex æquo & bono constituant, & scelera impunita abire non patiantur. Quibus vigentibus terra mariq; difficillima est via expediendi commeatus, atq; haud scio, si non multò difficilior futura, quàm si vel ab hoste ipso mari impediretur. Quòd tamen ipsum mare, antequam Byzantium perueniatur, tanquam

quam pontem, quo fugiant, relinquendum,non inutile fore existimo; nec vnquam ita nostras diuidendas esse copias, vt à vi ventorum facultas dependeat præliandi. Omnia enim prælia, sed maximè naualia, arte sunt declinanda. Quanquam non minori & campestria indigent artificio, & illud ijs committendis spectetur maximè, ne cogi ad pugnam posśimus, neue nisi certa victoriæ spe concepta in aciē egrediamur.Multorū enim pœnituit sępius multos,sed grauius nullos,quàm bellatores incautos. Quæ quidē, potiśsimum duo vt consequamur,regionē, in qua bellū gerendū fuerit,Duces & præfecti militum nostrorum sic exploratam habeant; vt nec riuus, neq; arbustum, neque tumulus vllus notitiam scientiamuè eorum effugiat; & aliquando quasi de industria aleam pręlij in speciem refugiant; vt simulato nostro metu, hostis sibi præfidat, & in eas, quæ ipsi à nobis struentur, insidias,incautius illabatur. Si tamen numero exercitus hostis multò fuerit superior,ne leuibus cum nostris cōflictibus, ita nostrorum robur & virtutem atterat; vt nullo demum vsui nobis simus, imprimis est prouidendum. & ita paśsim & vbique ad pugnam;nstruendæ sunt acies; vt Turcarum equites,quibus illi præfidunt, ac nec tormenta,quibus abundant,magnum cōflent nobis periculum, cùm de minoribus, vt euitari prorsus queant, nequidem sit cogitandum. Vbi verò Imperator exercitus versabitur ipse, eum locum ex disciplina castrensi curribus & vallo ac fossa muniendum sic censeo; vt nulli vel maximæ irruptioni via pateſiat. Quarum olim rerum & insidiarum metu ad Varnam, in tertiam vsq; diem à Polonorum castris diripiendis Turcas abstinuisse; & protestantes Principes ad Ingolstadium, Carolum V. Cæsarem, memorantur oppugnare noluisse. Neq; verò vt prælio,sed vt etiam bello ipso vincamus & superemus hostes, danda est opera. Non enim sufficit cùm hoste bellasse, verùmetiam expedit debellasse. Quominus solutis ordinibus, insequendo fugientes erit instandum, & multò minus prædę, quod plerunque fit, inhærendum; sed tantùm expeditioribus, cum ducibus locorum & regionum peritioribus, nostro in hostilibus summo belli duce consistente, quöad victoria hostibus omnibus cedentibus nō referatur absoluta, est proficiscendum. Multi enim,præda capti,victoria sunt spoliati,& effusè fugientes hostes insecuti, fugatos, cùm rediissent, suos viderunt. Quod in prælio Caroli Andegauensis cum Corradino, & in altero Gruneualdensi Polonorū cum Germanis accidit; qui leuioribus equitibus fugatis, in castra redire cupientes, Cataphractos Polonos, à quibus fusi sunt,obuios habuerunt victores. Iam si adeò plu-

res etiam cladi superfuerint hostes; non aut facilè cingendi, aut prorsus summo impetu aggrediendi sunt derepente. Ferreæ enim clauæ hosti obiiciendæ irruenti, pontes aurei strandi sunt fugienti. Itaq; commeatu potius intercludendus est hostis, & interim, si non fuerit factu tantopere difficilè, resumptis viribus, denuò instituenda est oppugnatio: sin secus, tentandi potius alia via populorum animi, vt nostrarum partium vltrò efficiantur. Quæ si Turcis inter nos succedũt artes; quid non succedant inter Mahometanos Christianis? Maior certè est causa in Turcia mancipiis excutiẽdæ; quàm liberis appetendæ seruitutis. Sed ego vereor, ne alter alicui videar Phormio, qui tot præstantissimos Duces, & exercitatissimos Christianos milites, istis qualibuscunq; præceptionibus meis instruo; & vt aliqua in bellis viderim, multò adhuc plura velle alicui videbor dispexisse. Quare vt finem dicendi faciam, vos oro obtestorque reges, regnorumq; ordines, & homines vniuersi; vt non tam de bello, bellique exitu cum Turca gerendi verba inter vos serere, quàm arma protinus induere potius velitis, & foris in campis, quàm domi in triclinijs de tota re disceptare. Hæc quidem, quæ ego iuuandæ Reipub. hoc loco strictim attuli, causa, si at omnibus obtineri non queunt, at saltem à patriæ suæ obtineantur amantioribus; si non in perpetuum, at ad tempus; si non hoc, at alio modo & consilio aliquo salutari; vt saltem extet vel aliquod alicuius vestigium inter Christianos concordiæ. & facessant inuidia, æmulationes & ciuiles inimicitiæ, quibus Turca magis quàm viribus confidit suis; & vna hac re, tum potentia contra nos, tum animo augetur. Magno si potiri non dabitur auro, ferro geratur res, & pro concione in barbaros populus animetur. Omnia denique, quæ pia, iusta, commoda, necessaria videbuntur, concordibus animis atque votis non modò exquirãtur, sed etiã in opus deducãtur. Quorsum enim fuerĩt nobis vrbes, quas tanto sumptu condimus? quorsum oppida quæ tanta arte munimus? quorsum castra, quæ tam prouidè ponimus? quorsum bombardæ, quas tã solerter præparamus? si hostis naturâ barbarus & aggrestis, religione prophanus, nullo bellandi vsu & disciplina nobiscum comparandus, his demum omnibus postremò potietur? O miseros nos, si ad summa euecti ad ima recidemus: & quoniã nos non emendamus, Deum emendare se contra nos faciemus. Sed finis sit: desperasse enim salutem, fuit aliquando salutare. Maiores quidem nostros cùm toties de barbaris triumphasse audiamus; quid nos quoque eorum gestis ad hæc similiáque præstanda non accendamur? Deus Opt. Max. qui hostes nostros ad tantum fastigium

fastigiũ ascendere olim permisit, quomodo nobis nunc supplicibus desit?& qui victoriæ dux & auctor habetur;cur non magis inuocantibus eum suis, quàm hostibus ab eius cultu & religione auersissimis, victoriam non largiatur?

TVRCICA X.

EST FERE IN OMNIVM MILITVM MORE ET CONsuetudine positum, cum diuitibus quàm cum egentibus, cum splendidis quàm cum pannosis, cum luxuria perditis, quàm cum continentibus congredi libentius; neque tam pro gloria, quàm pro opima præda magis pugnare. Quò etiam mirabimur minus, Turcas, (quos equidem non milites, sed prædones potius dixero) non æquè in Persidem, quàm contra nos alacres, & bonę spei plenos libenter proficisci, cùm quanta dissolutorum morum diuitiarũ ostentatio in nobis sit videant, & inde victoriæ contra nos suæ certa spe & cupiditate ducantur: luxus namq; & elatio mentis extremã quod aiunt ruinam semper minatur. Quæ quanta hodie in nobis sit, nemo non intelligit; qui tũ præteriti æui parsimoniã, tum præsentis copiã & instrumenta voluptatum secũ ipse contemplatur. Etenim, siue apparatum & magnificentiam mensæ, siue ornatum & copiam vestium, siue numerum & precia equorũ quis aspiciat, siue pedissequorum inutilem turbam, militumué stipendia consideret, siue omnis generis sumptus & profusionem notet; nihil hoc nostro sęculo videbit splendidius, si splendor appellari debet, qui egestate, & tum huius tum alterius salutis iactura terminatur. Cedant huic sæculo omnia alia hac vna in re secula. Gręcus & Persicus luxus, nostrorum hominum luxui concedat. Non vllam vel ipsius minimam partem, præcipui illi quondã & longæui viri, cum quibusdam istorum, quod est in prouerbio Misorum vltimis, & breui æuo gaudentibus vendicent aut sumant: qui quanto minus & opum & ætatis habent; tanto his rebus, quæ vtrunque atterunt, magis notantur. Et quis non videt vini, aromatum, serici, & id genus aliarum rerum in illis plus consumi terris, vbi non sunt, quàm in quibus affatim affluunt & nascuntur? Quod non aliunde, quàm ab animi oritur impotentia, & vitiosa imitatione morum non omnium optimorum. Vix enim aliquis retrò, sed ante se respicit semper: nec tam pauperum frugalitatem sortiri, quàm diuitum sibi optat copiam: nec tam iucundum illi multos post se, quàm mo-

lestum vel paucos ante se intueri. Vnde tot luxuriæ genera enata sunt, quot mea opinione nunquam fuerunt. Nam,quod ego epulas & conuiuia vestra, quid inaurata ne dicam personata obsonia proferam? quid apud homines voluptatibus deditos, gulæ luxuriæq; apparitores & satellites, sine sensu sensibus corporis necem afferentes, commemorem? quid aucupes, aromatarios, Architriclinos, coquos, caupones, quid cupedarios, condos, diplongos, fartores, castronomos, popinarios, pincernas, pocillatores, prandipetas, & parasitos numerem? quid tot atque tantos alios voluptatum administros percenseam? Incidi equidem in tantam istorum copiam, vt vel aquilonares quædam gentes atque nationes, quæ huius luxuriæ minori semper laborârunt infamia, Italos splendore & magnificentia, Hispanos cultu corporis & elegantia, Gallos copia superasse, & maiores suos egenos ac sordidos olim fuisse, ostendisse mihi videantur. Quorum nihilominus virtus, in liberè dicunda sententia, integritas in ferendis legibus, fortitudo in tuendis finibus, religio in diuinis seruandis cultibus maximè enituit; vt in hac seu quadam laudis & gloriæ palæstra, commissi illi viri inter se certarent, non quis veste, epulo, comitatu splendidior; sed quis vir in Republica esset melior, quis præsentibus fructibus contemnendis commendatior memoriæ posteritatis sempiternæ. Quo etiam fiebat, vt comitijs domi peractis celeriter, foris verò rebus gestis fortiter, oculis omnium gentium essent propositi, non solùm cum magna sua laude, verùm etiam admiratione. Neque id immeritò. Quæ enim nunc sunt vincula virorum;ea vix tum quidem fuerunt oblectamenta puerorum: & quibus nunc voluptatibus capti sunt senes; illis tum non dabant manus ipsi etiam iuuenes, non tam metu quàm pudore & reuerentia sanctionum. Multum autem est, vbi licent omnia omnibus, ibi vel alicuius immoderatæ extare vestigium libertatis. Quæ iam tandem commutata sunt, ac vtinam tantùm non perdita essent omnia. Moribus enim antiquis,stat res Romana virisque,dixit olim illius Reipub. ciuis, cui exteræ gentes seruire, quàm imperare alijs maluerunt. Quæ si olim religione illustrata, opibus aucta, legibus firmata rebus gestis clara,à summo ad ima decidit;quid nos,qui nulla re illi comparandi sumus, meliora expectemus? Equidem,quocunque infero oculos, & omnia omnium nominum Christiana regna atq;Prouincias intueor;non video,quid aut hoc tam vehemens diuitiarum studium, aut earum ostentandarum desiderium, aut omnis generis luxus,aut tam numerosus comitatus attulerit illis opis

vel

vel commendationis. Quin imò,quæ voluntate debebant abijcere, necessitate multi in ijs relinquere sunt coacti; & tantum auri argentiúe ad auaritiam, amœnitatum ad delectationem, suppellectilis ad delicias epularum,ad voluptates non nisi æs alienum pluribus ac fere cunctis mollis & effœminati cuiusdam animi aspersisse maculam, & Deum Opt.Max. magnopere offendisse. Nulla enim magis re diuinum offenderis numen, quàm si ea, quæ in egentiores liberalitatis debent esse instrumenta, gulæ aut aliarum libidinum, feceris incitamenta. Haud igitur scio, si non iure optimo, Deo Opt. Max. omnis turpitudinis vindice, quidam non secus ac aliena rura taciti prætergrediuntur sua, & luxuriæ paupertas facta est pedissequa. Qui,vt eos defecerint copiæ, manet tamen insaturata libido: & vt sumptus cupiditatum suppetant, callida consilia quietis cogitationibus anteferunt. Vestra admurmuratio facit, vt agnoscere eos videamini. Ego interim,quis ille,aut qualis sit, oratione mea, non descripsero. Quo etiam minus, nisi fortè is,qui de se antè voluerit confiteri,mihi irascetur. Satis satis miserum & molestum pro se est verbum habuisse. Refricare aliorum non est instituti mei vulnera,ac multò minus calamitati,quæ omnibus metuenda est insultare. Sed tamẽ dicam quod sentio.Proponite vobis ante oculos vicinamHungariam,quæ duobus malis concidit,procerum ambitione atque luxu; & nouandarum rerum in religione studio remisso quodammodo militari. Cùm enim vnus præ altero procerum ostentaret se impensius, & tandem eô esset ventum, vt ob varia dogmata eorumque discidia à sillogismis otiosis cruenta certamina spectarentur, quę non malorum secuta est contagio? qui non crudelissimus totius regni laniatus? sic vt Possonio Cassouiã vsq;, Luteranismo vigente, inde verò in Transyluaniam Caluinismo perpetuante, ac rursus in Transyluania Arianismo & Samosatenismo grassante,ob non magnam dissimilitudinem vnius & alterius,si ita dici debet, religionis, tantùm non domini Mahometani facti ipsius etiam sunt regionis. Abysus enim abyssum inuocat: & qui Mahometanismo parum, ille ei millies magis appropinquat. Iam verò quid de Cyprio regno eiusque indigenitalibus loquar? Qui cùm aliquando ostentatione opum; & summa quadam luxuria inter se certauissent; tandem quidam eorum proceres, quos Deus Opt. Max. saluos euadere voluit, per Italiam personati visi sunt mendicantes: & qui tumore quodam animi, preciosis vnguentis delibuti, & equis spumantibus vecti, tantùm non in ipsa irruebant sacraria; hîc ad valuas templorum nudis pedibus, & annis pannisq; obsiti

obſiti ſtant gementes, omni non tam vnguento, quàm eſculento deſtituti. Quorum, per Deum immortalem, commoueant vos exempla, & alienæ calamitates veſtra ſint documenta: nec exiſtimetis his moribus & dogmatibus vos poſſe eſſe diuturnos. hoſtes enim hoſtibus ſuis extirpat Deus; non ſecus ac vepres igne colonus. Redeatis ergo, ſi ſapitis, ad illa quondã maiorum veſtrorũ propria & præcipua principia. vigeat in vobis militaris induſtria: non obſoleſcant armorum tractandorũ ſtudia: & qua arte florens, ab illis propagatum accepiſtis imperium; eadem illa ſemper & vbique conſeruetis. Dolens gemenſque audio voces illas barbarorum, quibus aliquando ſollicitatos ſe fuiſſe, quidam mihi dixerunt Hungari ad epulones Germanos, per mediam Hungariam dimittendos; & quàm horribilia illa crudelitatis exempla memorantur in Polonia Tartarorũ, qui cùm alicubi in Polonia frequentẽ nobilitatẽ ſplendidiſsimè veſtitã, & matronarũ ac puellarũ greges auro & gemmis nitẽtes in quibuſdã nuptijs offendiſſent, detractis viris veſtibus, & cõſtrupratis in eorum oculis, matronis & virginibus, ligari omnes curauiſſe; ipſos verò ſe in illis, quæ apparata erãt, puluinaribus & periſtromatis volutaſſe. Quin adeò & ſegniciem atq; luxuriẽ noſtris exprobrâſſe, quòd cùm noſtri cubarent, illi quærenda præda diſcurrere cogerentur. Quæ cùm ita ſint, quid importuni & inſultantis vobis hoſtis animi feratis amplius impotentiam? quid tantam totieſque iteratam experiamini feritatem? Tartari, quorũ aliqui vix gladium aut arcum habent, vos nitentibus indutos armis vincient? vos trahent? vos mancipabunt? Illi, quibus nullum eſt æs, veſtras diripient res, & vagi ac inopes amœniſsimis ſedibus, & diuitijs veſtris potientur? O miſeriam, ô infelicitatem noſtram miſerandam! Quid non præſtat cuncta in communionem conferre temporum, & ſocios ijs iuuare, quàm tantum auri & argenti ineptijs dare & diuitijs oſtentandis ad eas diripiendas hoſtes noſtros inuitare? Vtinam vtinam falſus vates, Chriſtiani, ſim, tantis calamitatibus, quas imminere video, vobis prædicendis. Sed vereor equidem, ne ſicuti Ageſilaus, deuictis olim Perſis, corporibuſque eorum nudatis, quæ molliter & delicate viuendo alba reddiderant inſultârat; ne idem aliquando à Turcis aut Tartaris vobis quoq; eueniat, atq; ijdẽ illi dicãt: En ſunt qui luxu perditi, crapulaque & libidine eneruati, præ nobis cupiebant eſſe victores. Quàm multos expectatione diuitiarum factos videas pauperes & liberos ſeruos, ſplendidos ſordidatos, & quàm plurimi amiſerunt ſua, cùm ammittendorũ metu non defendiſſent aliena. Sic olim (memini namque ſimile aliquid alicubi in ſacris

cris me legiſſe literis) ſic inquam amiſit regnum Saul, cùm Amaleco Iſraëlis hoſti peperciſſet : ſic Græcię illud florentiſsimum corruit imperium; dum inter ſe diſtractum communia cum Turcis habet conſilia : ſic ſeruit Seruia,ſic perijt poſtremò & Hungaria; dum Slauonum legatos pericula à Turcis in Comitijs Budenſibus denunciantes ludificatur. Facilè enim in alijs rebus adhibere fidem quodammodo eſt leuitatis,ſciſcitãdis periculis ſummæ adeò grauitatis. & quis tandem in expeditionem contra Turcã profectus Dei Opt. Max. iniuriam, ſuam ſociorumq; contumeliam, quis violatas aras, diſiecta martyrum oſſa,quis prophanata phana non vlciſcatur? Leuiores ſunt ſemper æſtimandæ, quas foris non domi hoſtis inureret nobis calamitates ; quæ imbellis turbæ fletu,quæ miſeranda rerum facie, quæ cædibus, quæ ſtupris, quæ rapinis domeſticis quotidie augerentur. Tum nos iuuarent verba illa, ſcilicet: Meliorem eſſe certam pacem,quàm ſperatam victoriam : conſilio prius,quàm armis experiunda eſſe omnia,& alia generis eiuſdem;cùm iam quidem eò deuenerit res, vt num, iam & quando, ſed vbi & quomodo,hoc autem eſt in hoſtico & exercitu maximo cum Turca bellum gerendum ſit, neceſſaria videatur eſſe deliberatio : & cogitandum,quòd non iam amplius dominandi aliqua cupiditate,ſed ſumma adacti neceſsitate, toties defenſis noſtris, tandem etiam aliena inuaſiſſe dicemur: & vtrum deniq; Chriſtianis nobis ſeruire,an barbaris & verè religionis hoſtibus magis expedierit imperare. Qui cùm omnium precioſiſsimum caput habeamus, & membra ſuo capiti ſemper reſpondere efficere debeamus ; vel morte etiam ipſa, impuriſsimi Mahometis nos effugere par fuerit ſeruitutẽ. Nam quę ſit fueritq; ſemper Chriſtianarũ gentium & nationum dignitas,quę rerum geſtarum gloria, quæ opum & imperij amplitudo, pauliſper nobiſcum reuoluamus animo.Sic demũ in libera Repub.& religione natis,quàm futura eſſet oppreſsio grauis,& qui ad imperandũ in hanc lucem editus, libertatiq; imbutus & aſſuefactus, quàm miſerè & indignè à barbaris videatur mancipandus facilius,cognoſcemus.

TVRCICA. XI.

QVID ENIMVERO BARBARI HAC TANTA ARmabit vos audacia? quouſq; abutemini Chriſtianorũ patientia? Confidentiam veſtram ratione, furorem fortitudine, temeritatem conſilio, manum manu, vim vi ipſorũ dubitabitis ſuperari? Nę haud intelligitis

intelligitis, quantum adhuc Christianarum superest virium, quantum potentiæ, quantũ regnorũ? Est antè alia regna Italia, quã quidam sub vnius imperium difficilius redigi, quàm totum terrarum orbem ab eo existimant posse peruinci. Est imperij domicilium Germania, quæ non modò sibi & suis verùmetiam gentibus nationibusq; exteris tantùm militis subministrat. Est tot regnis & prouincijs aucta Hispania, quæ fortitudinis suorum militaris hoc sęculo plura exempla vidit, quàm Turcia multò pluribus declarauit. Est Gallia, quæ olim Romam & multis post sæculis Asiam vexauit, & de suo nomine Gallogræciam nuncupauit. Est Anglia, quæ Gallia inuita, regi olim suo Luteciæ diadema imposuit, & hinc sibi Franciæ & Angliæ titulum sumpsit. Est Polonia Slauoniæ & Boëmiæ consanguinea, quæ olim Alexandri Magni magnum virtutis suæ testimonium retulit, & tanto tamque præstantium bellatorum numero & robore perpetuò abundauit. Est Suecia atq; Dania, quarum hæc rebus terra mariq; gestis minimè est ignobilis vel obscura: illa Gottos genuit, quorum olim arma vel ipsa experta est Roma, & quibus deniq; cesśit non vna aut altera gens bellicosa. Est enim præcipuũ quid virtute præstare propria, sed nec contemnendum, maiorum suorum gesta atq; merita habere illustria. Quorum quidem regnorum omnium, quanquam summa sit semperq; fuerit laus, non temere tamen vnum illud Polonicum, à barbaris nationibus Christianæ Reipub. propugnaculum, perpetuò est habitum & appellatum. Cùm enim Poloniæ Regnum, versus Aquilonem, ab hac vna Balthici maris parte, regnorum sit extremum, sicuti ab illa Noruegiæ est alterum, vix aliquod aliud plures sortitum est hostes, partim Christiano partim Romano infestos nomini, ad ciuium suorum sanguine oras illius respergendas. Rarius enim sine periculo, armorum ludicra prælia, & multò minus sine sanguine accidunt seria. Itaque vt à Boleslao Chobri, primo Poloniæ ordiar rege, quem Slauorum, Gottorum, & Polonorum regem fuisse, & ab Ottone Cæsare capite eius demptum diadema accepisse, antiquisśimum Posnaniæ positũ testatur Epitaphium. Quid? cùm Roxolani Polonos armis lacesśiuissent? an non eodem illo Chobri belli duce regnũ suum vsq; ad Boristhenem non protenderunt? Quæ sanè Rusśia est eiusmodi, vt vel quibusdam alijs Europæ regnis posśit conferri. Multa enim multis decora & præsidia sunt regnis; sed vnũ illud maximum nobilitatis militaris. Quid? an eosdem illos Polonos, multis acceptis à Germanis cladibus, non Odera, sed Albi fluuio suam Poloniam terminasse, velis nolis fateare; cùm vrbium maritimarum plurium nomina

nomina peruestigabis, & Slauonicam linguam pafsim & vbiq; redolere tecum ipse recognosces, vt priuilegia quibusdam vrbibus eadem lingua data non commemorem, quam in tanta veneratione fuisse constat; vt Carolus IIII. Romanorũ imperator, & magnus fautor Boëmorũ, quibus Electores imperij fœudatarios fecit regni, aurea sua, quæ vulgò dicitur Bulla, omnes Romanorum Cæsares, Latinam, Slauonicam & Germanicam linguam, callere debere voluerit; ex qua nimirum, præcipuè Germaniæ vrbes, suam vt dixi sortitæ sunt appellationẽ. Magnũ certè est aliquid Romanorũ Cæsarẽ Slauonicã Linguã tantoperè æstimasse. Nam Lubeca, quę caput Anseaticarum vrbiũ dicitur à forma & suo quodammodo nomini situ congruenti Lubek, quod Slauonibus & Polonis corbulum sonat, proculdubiò appellatur. Brema verò, siue à Brzemię veluti quodam Polonicè dicto onere, quòd ibi suas milites deponebant prædas, vel à præterfluentibus nuncupata est fluminibus, quibus superatis, instar cuiusdam portæ illa vrbs videbatur. Quid verò Rostok? an non planè decursum aut discursum fluuiorum Polonicè significat? quæ circa illud oppidum à longè deriuata tandem in mare se exonerant non pauca, & illud nomen à re & situs natura ipsa sicuti & Sczecinum à Sczecina, quod Poloni seta dicunt, omnia illa oppida olim aliquando sunt sortita, & postremò etiam Germanica rura ruribus alijs, in quibus Vendica aut Slauonica lingua aggrestes eius oræ loquuntur intermixta, idem testificantur. Quæ, si quis fortè negauerit, aut sanè contrarium euidenter doceat, aut in aliorum eat sententiam, aut neutrum denique faciat non sine tamẽ graui reprehensione leuitatis. Prudentius certè fit alijs probabilia afferentibus credidisse, quàm ad explorandum verum temerè longius proficisci. Age, progrediamur. Quis enim nescit & in regionibus illis, in quibus Rhenus in tria diuiditur infra Cliuiam flumina, & tandem etiã triplici gurgite in mare influit Hollandicũ, multa loca à Lecho fuisse condita, quem gentis Polonicæ constat fuisse auctorem. Quid? an & vltra Rhenum duobus nostris Neuesio milliaribus non est exędificatum castrum, quod dicitur Cracouia, quod ab eodem illo, quo & Metropolis Poloniæ ædificatum est opinio? Quanquam etiam nonnulli a quodam nobili Germano, qui à Casimiro magno Poloniæ rege magnis beneficijs affectus fuerat, grati erga illum regem animi sui testificandi ergò idem conditũ autument. Sed hanc opinionem cùm alia eleuant multa, tum & aliud quoddam non procul inde, tribus tantùm à Colonia milliaribus extructum castrũ Lechnik appellatum, ab eodem illo cuius suprà memini, Lecho

posteàquàm tot laboribus functus, Sarmatica arma de quercu suspenderat, quod priscis illis bellatoribus ferunt fuisse vsitatum. Quorum sanè nominum & appellationum omnium, vt obscura alicui videatur ratio atq; oratio, Slauonicæ certè gentis, ex qua Polonica ortum habet, summam rerum gestarum semper fuisse quis dubitauerit claritatem? Quam cùm semper bellicosam habitam, orator & imperator Romanorũ ipse vel alicubi meminerit Cicero; quid despicere posśint aut debeant barbari, qui, tantùm abest, Europæ nobis obstruere lucem, lucum vt Asiæ quærere potius debuissent? Iam enim quanta semper militaris ipsorum fuerit fortitudo, vel inde etiam constiterit, quòd firmato his in locis pede, Prusśiæ & Liuoniæ latrocinijs coacti, Balthico mari suum imperiũ definierunt: & illo mari traiecto, regna in Aquilone condiderunt, & Visśimirum quendam, à quo & Vismaria dicta, gloriosisśimum ducem habuerunt. Rari certè sunt, qui de exteris gentibus victoriam aliquando retulerint; qui verò & victoria parta, vrbes simul & regna condiderint, sunt rarisśimi. Quod vtique Polonis & Boëmis consanguineis contigisse perspicuum est: quorum illi, vt dixi, in Aquilone regna erexerunt. Boëmi Boiaris seu Bauaris eiectis, Boiariæ nomen in Boëmiæ mutari fecerunt, & vix à mille hominibus, qui in Boëmiam ingresśi sunt, tantum in media Germania imperium constituerunt. Quid? an vt eiusdem Polonicæ gentis fortiter rebus gestis insistamus, Hungaria etiam ipsa, prius pacata Polonis extitit, quàm insanas illas Carpati montis moles irruentibus Hungaris obiecissent. Quibus rursus in occasionibus, quãto adiumento fuerint, & quantum calamitatum pro illis tulerint, si percensere velim, dies me deficeret. Nam quid ego vetustioribus exemplis relictis, Vladislaum Regem Poloniæ, ad Varnam cadentem, & ex quinque Polonorum millibus, tantùm quinque cladis nuncios in Poloniam reuertentes commemorem? Quo loci omnia veterum priuilegiorũ Polonici regni, & eius indigenitalium monumenta, quæ incautus ille iuuenis Rex, secum auexerat perierunt. Quid porrò Ludouicus, Hungariæ & Boëmiæ Rex, sanguis Polonicus, qui ante tempus natus, ante tempus inauguratus, & ante tempus in sesqui palmis aquæ lutulento gurgite est suffocatus, vlliusné gentis quam Polonicæ in prælio Mohacensi constantiorem expertus est voluntatem? Cùm enim fuga à prælio saluus, & nihilominus ob non obscuram quorundam in illum proditionis suspicionem, desideratus fuisset, Polonicusq; peditatus totus in acie fortiter cecidisset; nobilisśimi iuuenes duo, Pilecius & Macieiouius captiui facti, & in discrimen

capitis

capitis adducti, haud ſcio an ſoli ſunt inuenti, qui ſuum ſuique Regis illum caſum, præ cæteris animoſe ferrent, & à Solymano capitis damnati, ad locumque ſupplicij ducti, regalis Prophetæ verſus inuicem decantarent. Quorum conſtantem & excelſum quendam animum Tyrannus admiratus, in priſtinam poſuit eos libertatem. Nunquam enim aculeos, quàm in Tyranni mente, figit conſtantia acriores. Quid verò Poloni ſua illa ad Soczauam in Polonia clade? quid aduerſa pugna Socalienſi? quid Seretiñ. quid tot tantiſq; alijs? parúmne cõtra barbaros teſtati ſunt, vĩ excelſi animi & roboris ſui? ſic vt vnos illos in Polonia Struſſos (pace aliarũ tantarũ familiarum præclariſsimè de patria meritarum dicam) à quarta aut quinta iam progenie, non niſi in patentibus contra Tartaros campis in acie cecidiſſe conſtiterit. Qua vna re videbantur ſibi maiorum ſuorum æmulari virtutem & adire hæreditatem. Nullo enim in ſtrato ſupremam ſuam diem videt bellator libentius, quàm in illo campi & planiciei inter armorũ & tubarũ ſonũ plenũ geſtientis gaudij & militaris dignitatis. Quo etiam minus mirandũ eſt, Polonos non multùm extruendis incubuiſſe ſemper vrbibus, aut tales quæſiuiſſe muros; vt vel Rex ipſorũ, externorũ militum præſidijs fretus, ſuo aliquo impotenti vteretur in eos imperio; aut vel ipſi vrbibus magis, quàm virtuti ſuæ tandem fiderent. Emollit namque animos magna aliqua concepta ſpes in munitionibus: & haud ſcio, ſi vel nonnũquam ad victoriam non fuerit gradus, exitus eius deſperatus. Quocirca, & Iagellonem illum primum, Melſtinio cuidam ferunt dixiſſe, miſſas quas erigere cœperat munitiones vt faceret, & ſe illi vicem munitionis, quoties opus eſſet, præſtiturum omninò ſibi perſuaderet. Quod ſiue amouendis confidentia ſui tumultuum in ſubiectis occaſionibus dixerit, ſiue verò veterem morem conſuetudinemque patriæ reſpexerit, incertum eſt. At vnum illud certiſsimum, quod tuenda libertate patriæ Polonicæ nobilitatis pectoribus, quàm multarum aliarum gentium munitionibus, plus olim tribuebatur. Cui cur etiamnum barbarus inſultet hoſtis, non video. Quæ vt ego exiſtimo caderet in acie multò libentius, quàm ad perpetuum nominis ſui dedecus manus hoſti daret, & videns ac volens ipſius poteſtati vltrò ſe manciparet. Præſtat enim amiſſo ſpiritu vel virtutis laude viuere, quàm turpiter ſeruiendo millies emori quotidiè. Quę namque barbaris cum Chriſtianis eſt communitas? quid Turcis fœdius? quid Tartaris immanius? quid tota illa Mahomatanorum multitudine eſt intollerabilius? Ferunt olim Gottos, cùm caput orbis terræ & domicilium imperij ocupaſſent Romam, præ lętitia

S 2 exultaſſe

exultasse,& Romanos suam fleuisse calamitatem adeò;vt Gotti eorum quoque miserti fleuerint, & ipsi deplorandam conditionem humani generis,& tanti conuersionem imperij secum ipsi contemplantes. Quod & de Scipione excisa Carthagine proditum est memoriæ. Sæpe namque lætum diei initium generat tristem exitum: & dum alium defleueris,teipsum quoq; memineris esse deflendum. Iam verò cogitemus, quid Turcæ aut Tartari nobiscum facerent, omni sensu humanitatis orbati, & tanta immanitate erga nos efferati. Seruierunt olim varij varijs, sed nemo vnquã miserabilius seruiret quã Turcę Christianis. Quibus non dominis,sed tyrannis,non victorib⁹, sed prædonibus nostris effectis; non vestitus, non suppellex, non coniuges, non liberi essent tui: quandoquidẽ barbari vitę & necis domini simul facti, non prece non pretio flectuntur; sed fustuario vtuntur, rebus omnibus nutu & arbitratu suo gubernandis. Templa imprimis sacra, suo impurissimo dedicant Mahometi; pœna capitis præscribunt ipsius cultum: è sinu liberos abripiunt matrũ: & nescio quid non Christianis iniuriarum contumeliarumq; faciũt, antequam circumcidantur. Circumcisos verò circumducunt miseros, vt Syris,vt Iudæis, vt Mauris & Saracenis, vt postremò omnibus sint risui & contemptui; quem morte etiam ipsa, non nemo experitur grauiorem: & cuius causa ne viuere quidem homines velint, aut nati non inuiti mox morerentur, si has,quæ eos in vita manent miserias, non ignorarent. Felix quippè supremus est dies, per quem tot infelicibus finis affertur. Quare, quid tandem nos non commoueat? quid non inflammet? & quid denique omnibus desit hoc tam infido & importuno hoste debellando? An enim vna illa,quæ victorias,quæ fasces,quæ nunquam arescentibus folijs laureas desideretur in nobis concordia? qua etiam ij, qui à rogo nihil superesse hominis putauerunt, difficillimis rebus & temporibus contra hostes nitebantur. An pecunia? qua aut nulla aut parua accepta suum olim Alexandrum Græci comitati sunt; & Germani in Gallias in Belgium,& huc atque illuc in expeditionem sæpè ierunt: & Poloni contra Regem Matthiam Hungariæ, sub Casimiro suo Rege, aliquando militârunt. Enimuerò bonè eques, tu te dixeris equitem, si,qui pro te excubet,tu conduxeris militem, & pecunia danda in bellatorem potius, quàm ipse id oneris sustineas, tuum expiles aratorem: Egregiè scilicet. Quasi verò nesciamus,iucundum quidem esse cubare diu in lectulo, consulere domestico otio, nihil semel coaceruato demere ærario. Sed nimirum etiam videndum, quàm hæc tandem omnia futura sunt diuturna, & quàm denique

multi,

multi, vt vel priuatam inultam non relinquerent iniuriam, vllis nec ſumptibus, nec vigilijs, nec poſtremò parcunt laboribus: turmatim proficiſcuntur, in vnum comitatum infelicem, vel nonnumquam plures & innocui cogũtur, opes & facultates inutiliter profunduntur. Ad hanc verò peſtem, ad hæc tám putida & fœtentia in Europa membra, à reliqua communione Europei abſcindenda corporis, nihil agamus, nihil ſumptuũ faciamus, labores & difficultates aliquas ægre experiamur? & quorſum tandem Chriſtianam recidet gloria? quorſum libertas? quorſum Reipub. totius regnorúmq; omnium amplitudo? Nimirum, cui Turca præ cæteris inhiat, ex ſacrario religionis, ex orbis terræ oraculo, ex magiſtra veritatis, ex virtutum armamentario Roma, clauſtrum impietatis, receptaculum errorũ, aſyllum ſcelerum efficietur? Germania, quæ vnà cum bellica laude, literarum coniunxit gloriam, à Latinis & Græcis ad ſe tranſlatam imperij ammittet maieſtatem? Gallia, quæ regnorum omnium habetur antiquiſsima, & oleo ſacro, quo eius inunguntur Reges cœlitus demiſſo lætatur, barbaricam ſeruiet ſeruitutem? & Polonia denique ipſa, à tam decantata ſua libertate, à tot tantiſque opibus, à tanto ſplendore & magnificentia, durum illud telũ perferet egeſtatis? Abſit hoc à Chriſtianis omen, ſed abſit & diſſenſio. Qui enim peſsimis imitandis rebus, nolunt alijs eſſe cautiores; quid ſibi fruſtra pollicentur futuros ſe fortunatiores? Ac Polonici quidem equites, cùm non tam ciues quàm reges, non tam ſubiecti, quàm præcelſa quadam libertate ad alijs imperandum erecti ſint ſemperque fuerint; quid ſe nunc abdant otio? quid ſuo non ſatisfaciant officio? quid negligant hoſtem? quid deſerant ſtationem? quid non ſuum ſequantur, quò ierit, regem, aut exercituũ Imperatorem? quid denique arma, quid gladios ſuos conuertant in vomeres, in galeas gallinas ponant ouis incubantes? Fateor non omnium optimè ſemper bella cùm Turcis ceſsiſſe: multos regna, nonnullos capita contra eos amiſiſſe. Eſt Sigiſmundi Cæſaris ad Nicopolim, & columbarium exercitus à Turcis ſtrages imprimis memorabilis: eſt ad Varnam Vladiſlai Regis cædes: eſt Ludouici ad Mohaczum, eſt & aliorum. Sed magnorum Principum ſemper eſt habitum meliora ſperare: quæ verò accidiſſent, fortiter ferre, & potius in acie occumbere, quàm turpitudinem aliquam, aut pati ſeruitutem. Nos verò non tam de eorum diſceptauerimus facto, quàm commiſerebimur ſemper animo: qui proculdubio creuiſſet nunquam; niſi vilitas hoſtis hoc meridiano ſole apparuiſſet clarior, & hoſtis ſuperatu facilior, quàm impar Chriſtianorum numerus eis oppoſitus

tum demonſtrabat. Magis enim Turcarum laſſata, quàm ſacrata in Chriſtianos virtus ſemper quieuit. Quò adeò & nunc etiam minus hanc tantoperè imbellem metuamus Aſiam: quæ,ſi alicubi aliquando potita eſt victoria; id non tam eius virtuti, quàm numero & potentiæ eſt aſſcribendum, cùm eius potiſsimas gentes Scythicam & Moſchouiticã etiam facili negotio ſuperari poſſe, vel tantũ Poloni & Lituani toties docuerint. Quorum Regem, non vrbium aut mœnium,ſed nobilium præſtantiumq; bellatorum regem,quid iſtud inſidioſum amplius conſtrictum teneat fœdus? quid remoretur pactio? quid,quę in Turcis nulla eſt,iuriſiurandi religio? Enimverò ignoramus,non verbis ſed rebus, non falſitate ſed veritate,fœderum iura pactioneſque contineri: & ſi illos fœderatos, quos in eodem fœdere continet fides,non immeritò arbitrêre,quę demum ab vna aliqua earum parte violata fuerit, citra omnem dubitationem fœdus illud prorſus diſrumpit. Nemo enim eò tenetur, quò alter vltrò non patitur ſe contineri. Quis autem Polonos Turcæ fœderatos dicat vel ſentiat? cùm ab ijs vndiquaque peti & violari eos videat? cùm Valachia ijs adempta,ſocia Hungaria direpta, Pocutio vaſtato,& hoc (ſi Deo placet) fœdere violato, nihil aliud quã ferrum & flammam vniuerſæ Sarmatiæ aſpiciat intentari? An verò priuatarum rerum, ſi ab vtraq; parte peræquè obſeruatæ non ſint, ratæ & firmæ pactiones fuerint? Minime gentium. Quid igitur in hac etiam tanta re, quanta nititur totius Reipub.ſalus,etiam obſeruentur? Amentes & inſanos nos, ſi hoc falſæ religionis vinculo, veluti quodam Turcico incluſo ergaſtulo, conditionẽ ſuſcipiemus duriſsimæ ſeruitutis: & dum iſte in figura hominis immaniſsima quædam bellua Germanos conficit, dum reliquias Hungariæ exurit,dum arces eius capit,dum vt olim per Germaniam in Poloniam, ſic nunc demum per Poloniam in reliquam cogitat Europam proficiſci; nos eo vtamur animo,non hoſte fœderato,non iuris humani prædone ſocio, & non capitaliſsimo, vt leuiſsimo verbo vtar, aduerſario, cui quid collibuit licet, quod licet audet, quod audet facit, quod facit, vult ſibi licere ſemper impune? O miſeros & miſerabiles nos: ſiquidem nõ alio perire poſſumus & volumus modo, quàm ab hac tam aggreſti barbaria, puerilibus rebus & ſpe pacis lactati planè inani. Te ego appello, Sigiſmunde Rex Poloniæ, te inquam, quem Deus Opt. Max. ad magna eſſe natum, & in hoc regali faſtigio collocatum, multis nec obſcuris argumentis declarauit,oro & obteſtor; vt regum Poloniæ, maiorum tuorũ, in primis autem Sigiſmundi Primi materni tui aui, & Aſiæ domitoris,virtutis

& fortitu-

& fortitudinis, & tuæ ipsius felicitatis memor, te erigas, te tuaque arma in hostem expedias, te tibique subiectos populos ab immanissimis hostibus tueâre. Cernit Turca affinitatem cum regibus Austriacis tuam: & dum illos teque ipsum metuit, dum conscientia rapti alieni iuris rebus suis diffidit, dum Valachiæ & Transyluaniæ à se discedenti insidias struit; præuenîre te, quàm præueniri abs te potius iudicabit. Abuti opinor secundis rebus non cupiet, vt cum Italia potius, quàm cum Germania aut Polonia bellum gerat: & denique, vt vallatas vrbes, quàm Polonos campestres, potius aggrediatur. Meminit proaui sui à Vienna fugam, ad Segethum mortem, ad Agriam magnam Turcarum stragem, in campis Transyluanicis vulgò dictis Panis, Stephano Battori Duce olim, internetionē. Totam postremò Hungariam, quasi fatalem quandam totius Asiæ sepulturam recordatur. Alios igitur iam vicissim petet, & per Valachiam in Transyluaniam, per hanc in Poloniam iter facere concupiscet, Tartaros prodromos suos ei immittet, vi, ferro, flamma, populabundus discurret, & toti Christiano populo ceruicem dari vnam, vt eò amputet ipsam faciliùs, haud dubiè peroptabit. Cui tu, in hac quasi excubia pro reliqua Europa à barbaris gentibus & nationibus positus, otius occurrito, & non domi sed foris armatus, non togatus eum expectato. Præsertim cùm Italos, Germanos, Hungaros, & Boëmos iam in Hungariam confluere, & tecum bona vt par est agere fide intelligas, cùm omnia omnium vicinorum tuorum vexilla contra Turcam videas, & denique cùm vicini parietis ruinam tuam esse, & in celeritate ac concordia cuncta posita intueare; vt subiecti imperio, socij exemplo, hostes metu omnes admiratione tui passim & vbique commoueantur. Aderit tibi Deus Opt. Max. & illa deipara Virgo, quæ Sigismundo primo tuo auo apparuit Borissouiæ, cùm versus Moscouiam Vilna egressus ad illam memorabilem de Moscis victoriam apud Orscham partam aliquando properaret, tuas preces ad vnigenam suum deferet filium, pro te tuisque opem & auxilium ipsius implorabit. Nondum fatum extremum Reipub. venit: magnos & potentes vel antea hostes & difficultates hoc regnum habuit; & tamē Dei Opt. Max. beneficio omnes superauit. Libet respicere spatia præteritorum temporum, & illius hostium recordari omnium, qnando ab vna parte Lituaui Liuones & Pruteni, ex altera parte Germani, Slesij & Morauı, ex tertia Hungari, Valachi, & Tartari paulò antè Vladislai Iagellonis mortem in Poloniæ interitum conspirârant. Dedit tum Senatus Polonici Princeps Zbigneus Cardinalis, vnum quidem callidum

dum desperatum, alterum consilium suis, & hoc videlicet tale, totius regni, vt viribus in medium eius collectis, hosti, qui primus in illud irruisset, acerrimè resisteretur: sic enim benè succedente re, aliorum conatus desperatione frangere; sin secus vtique pluribus resistere hostibus non viderentur. Alterum erat salutare, sed paulò incertũ consiliũ, vt splendida aliqua legatione, ad Suidrigellonem Ducem Lituaniæ missa, de pace cum eo tractaretur: & aut hîc vnus à societate belli illi' animo alienior ab alijs fieret; aut si id succedere non posset, Catholici Lituani, qui suapte, quod Græci ritus erat, ab eo abhorrebant ad defectionem sollicitarentur. Qui cum non inviti id fecissent, Suidrigellone dominatu excidente, tranquillus Poloniæ status est restitutus. Periculosè namque armis vel nonunquã, gloriosè consilio semper bella geruntur. Quo magis ne nunc quidem despondendus est animus, & diuinum illud tutelare numẽ & nomen perpetuò implorandum. Est ius veteri prouerbio in armis, & sua semper ratio in bello æquitatis. Memoratu est dignissimũ, quòd aliquando eundem illũ Sigismundum Poloniæ Regem de Romani imperij erga se hostilitate certiorem factum, in postremis, quæ Petricouiæ celebrauit Comitijs, forti & intrepido animo ferunt dixisse, & quasi quandam cigneam vocem suæ in Deum fiduciæ testem paulo antè mortem edidisse. Erat tum Stanislaus Lascus Palatinus Siradiensis, magni nominis Senator, Sigismundi Regis legatus, apud Carolum V. Cæsarem, in Comitijs Augustæ, qui per dispositos ad celeritatem equos regem illum suum, quid, Magistro Theutonici ordinis auctore, in ordinũ imperij concilio contra eum conclusum fuerat, reddidit certiorẽ. Ibi cùm Senatores dicere iussi, pro se quisque suam aperuisset regi sententiam, Petrus Kmita, Palatinus Cracouiensis, idemq; regni Marsalcus primarius, assurgẽdo vt sit veneratus regem, quid sibi tandem videretur, reuerenter ipsum quoque compellauit. Ferunt tum illum tacuisse solitò diutius, & demum non modò à Marsalco sed ab alijs quoque Senatoribus bis terué hoc nomine rogatum, hæc similiáue protulisse verba, magna cum præsentis animi & sententiarum grauitate: Non sumus, inquit, nescij, quàm longè ea disparem apud Cæsarem & ordines imperij gratiã meruerimus, de qua iam nobis semel & iterum nuncij & literę ex Germania afferuntur: & possemus quidem nonnulla nostra erga eos officia hoc loco non meritò percensere; sed absit, quæ speciem exprobrationis habet, talis à nobis commemoratio; cùm is qui accipit, non is qui contulit beneficia debeat meminisse. Viderint illi interim, nbe m nobis referant gratiam, & vtrum expedierit rebus

rit rebus hæc & ſimilia, contra nos noſtraq; machinari. Satis imò pluſquam ſatis Chriſtiana laborat Reſpub. nec pauca reſtant, quæ Chriſtianorum eſſent ſub feris & barbaris nationibus vindicanda; tantùm abeſt, vt de ijs, quæ inter Chriſtianos acta & tranſacta ſunt, noui denuò motus & controuerſiæ præter fas & æquum exciten- tur. Nos Deo Opt. Max. iuſtitiæque noſtræ fidimus, &, quod iuris ac poſſeſsionis noſtræ eſt, conſtanter ad extremũ vſq; ſpiritum tuebimur & defendemus. Conuerſus verò ad Tarnouios, belli Ducem vnum, Quæſtorem regni alterũ, Bello, inquit neceſſaria præparate. Peruolauit eius rei fama nõ multò pòſt Auguſtã. Tũ verò Carolus V. Cæſar, vt erat ſapientiſsimus & æquiſsimus Princeps, & Sigiſmundum Regem appellabat patrem, virum Dei eſſe, nec temere irritandum, neq; illius contra eum expeditionis ſe futurum Ducem apertè eſt teſtificatus. Numen enim diuinum, alicui adeſſe exiſtimatum, multum & vulgò terroris, & in potentioribus habet auctoritatis. Quare, quid & tu Sigiſmunde Rex, qui inde ab ineunte ætate Catholica religione imbutus, & magna diuinitus felicitate ſemper es auctus, contra barbaros tibi infeſtos non eundem geras animum? quid non præſtes, quod maximum potes, Reipub. beneficium? quid ad tot tantaque alia, quibus nomen tuum illuſtraſti, hunc quoq; gloriæ non adiicias cumulum; vt in immaniſsimos hoſtes & iuris Chriſtianorũ prędones domo cum ſocijs egrediare? Nondum, vt dixi, extremum venit Reipub. fatum: nondum noſtrorum videmus concidiſſe animum, nondum extinctum militare vitæ genus & inſtitutum. Adſunt aderuntq; tibi, adoleſcentum ſtudia, ſenum conſilia, & maiora in virorum fortium pectoribus, quàm in vrbium mœnibus præſidia: Nos tantùm ipſi non deſimus nobis. & ſi tandem pro patria moriendum eſt, moriamur intrepidi & alacres; vt hoc breueq;, quod deſeremus æuum, cumuletur gaudio & gloria ſempiterna. Qui pro Chriſti Opt. Max. nomine, & pro patriæ cadit ſalute, fortitudinis laude hîc in terris viuit, & pro mortali conditione vitæ immortalitatem in cælo ſemper ſortitur.

TVRCICA XII.

CVm pro re et occasione vtramqve partem exempla nos permoueant, non prætermittam equidem lubens; vt & Chriſtianarum de Turcis victoriarum exempla, & quidquid eius rei vetuſtatiſque eſt, à nobis requiratis. Quibus tantùm abeſt, vt

incredibile, vt adeò etiam, Deo Opt. Max. duce, futurum ſit facilè, barbaros à noſtris vinci poſſe oſtendiſſe. Nam antequam ad hunc tantum opum, & potentiæ cumulum Turcæ perueniſſent, quàm ſemper, & vbique & ab omnibus contempti, quàm tota, cui tot annis dominati ſunt Hiſpania eiecti, quàm vtraque in Sicilia frequenter cæſi, quàm in Græcia, antequam eius capite potiti fuerant Byzantio, profligati ſæpenumero fuerant; quis non perſpiciat, qui modò aliqua vel mediocri præteritarum rerum, & hiſtoriarum lectione cognitioneq; delectatur? Neſcire enim, quid ante te ſol iſte viderit, eſt ſemi infantem ſemper agere, & ea, quæ antiquitas habuit, fruſtrà vt tu cernas expectare. Annus ab hinc plus min' quingenteſimus numeratur, quo varijs auctoribus, tumultuariè paſsim collecto milite, nullo ſeruato ordine, nullo fere certo præeunte Duce, nullo Caſtrenſis diſciplinæ adhibito more, diuerſis itineribus in Aſiam eſt itum, & vix vno anno integro cum Mahometanis bellũ geſtũ, vt Iudæa cuncta, & magna Syriæ pars in noſtrorum veniret poteſtatem. Progreſſu verò temporis eorundem Chriſtianorum gliſcente inter ſe odio atque diſcidio, ex ijſdem illis Mahometanis nati ſunt quidam, qui Turcæ dicti, & præ alijs domi militiæque excellentiores habiti, in Europam traiecerunt; vbi firmato pauliſper pede, irrito quidem initiò conatu, Conſtantinopolim oppugnârunt, ſed non niſi Andrinopoli priùs capta, multò tandem poſteà eam ceperunt. Multum enim refert, quibus cum bella geſſeris, quæ cum ignauis ſuſcepta, torpore vtrinque iniecto inglorius moriêre. Iam enim primo illo oppugnationis Conſtantinopolitanæ tempore, claudus quidam & ignobilis Nohaienſium Tartarorum Dux, Temirlanes appellatus, Baiazetum Turcam ab oppugnatione facilè reuocauit: & acie victum cepit, & tota Aſia aureis cathenis vinctum circumduxit. Quo loco & tempore, cum imbellibus (vt ita dicam) Græcis pugnando, quàm & ipſi quidem Turcæ imbelles & contemptibiles ſemper fuerint, res ipſa teſtatur. Vix enim aliquis bellatorum fortium, fortem & illuſtrem caueæ includit bellatorem; & rerum humanarum inconſtantiæ memor, magis miſericordia, quàm animi impotentia in debellatos permouetur. Quid, quòd & ipſam adeò Conſtantinopolim ne ſecundariò quidem Turcæ cepiſſent, niſi ipſimet Chriſtiani eos iuuiſſent? Cùm enim ab ipſis met Græcis in Traciam euocati fuiſſent, & ad Varnam Amuratem properantem ſuis nauigijs Genuenſes transportaſſent; effectum eſt tandem, vt in Chriſtianos animoſiores facti, vnius menſis ſpatio, Conſtantinopolim expugnauerint. Qua in re, Ligur quiddam, Ioannes Longus appellatus, ad quem ſumma totius defenſionis de-

lata

lata fuerat, nec muneri, neq; expectationi suæ satis respondit, sic vt in occulta fatorum vel potius fatuorum fuerit lege seruire Græciæ, & sicut ob ingratum animum sanctorum corporibus; sic & ob Romanæ Ecclesiæ non seruatam fidem iure destitui libertatis. Primùm enim priuamur tutelaribus patronis, mox & ipsi conditione pares efficimur seruis, offenso numine nefario religionis despicatu. Atque vtinam quidem & Aquiloni ingrato sua Catholica non auolet in Indias religio, & sui desiderium relinquat serum, sed seriũ aliquando. Quæ enim mortalibus incredibilia, ea etiam factu facilia futura sunt diuinitati. Certum verò (ad rem vt redeam) esto, tam militiæ rudes & imbelles Turcas olim fuisse, non modò vt pari sed nec multò maiori exercitu cum Christianis congredi voluerint. Terrent enim, vel vmbræ ipsæ victos, sæpè victorum. Quin adeò antè Sigismundum Cæsarem, qui pariter pugnis & connubijs ineundis habebatur infelicissimus, haud scio, si Christianorum Principũ vel aliquis de se relata illustrauit Turcas victoria. Quam & ipsam non tam barbarorum virtus, quàm quarundam gentium, in Sigismundi Cæsaris exercitu peperit inter se æmulatio, cùm inspectante & animos assumente hoste, certare inter se verbis, & quasi triumphum ante victoriam, (quod aiunt) canere non dubitauissent. Est enim vel in gynecæo puellarum aliquando molestum, in concilio Regum periculosum, in acie exercitus funestum in suis semper certamen. Sed & hanc quidem vnam aut alteram Sigismundi à Turcis cladem acceptam posteriores Christiani duces egregiè compensarunt. Ac ne longè abeam, statim post ipsius mortem Albertus Cæsar Austriacus, & Huniades Coruinus, regis Matthiæ pater, quoties & quàm præclarè de Turcis triumphauit? Quid Matthias Hungariæ Rex? An annorum suorum in regnando numerum præstantibus de Turcis non æquauit victorijs? quas tot tantopereque cumulatas habuit; vt vno eodemque tempore, Fridericum Christianorum, & Mahometem Turcarum domuerit Cæsares, & Budam olim suam, non secus ac belli quandam officinam & literarum armamentarium, & nobilissimorum militum ex Hungaria, Polonia, Boëmia, & Morauia effecerit receptaculum, in quam ex gentibus nationibusque varijs, variarum linguarum & artium cognitione, ad præcellentem Regem, fortissimus & ingeniosissimus quisq; accurrebat. Fama enim regiæ virtutis & spe liberalitatis non secus ac Themistocles Myltiadis trophæis, pro se quisq; excitatur. Quid porro de Scanderbegio, terrore Asię, & Turcarũ perpetuo hoste ac domitore loquar? Qui cùm Ioannes Castriotus fuisset antea

dictus,ob virtutis,& militiæ præstantiã,Turcica lingua,seu quidã alter Macedo Alexander,aut dux exercitus eximius bello cũ ijs viginti annorum gesto fuerat appellatus. Qui quidem Scanderbegius, vt nulla vel minima parte Ottomanicæ potentiæ par fuisset,ea nihilominus rara felicitate, & incredibili celeritate cõtra eos gesit, gestis vt suis aliquorum fidem excessisse videatur. Aegrè enim credimus, quæ nos æquare posse desperamus. Itaque non modò dum in viuis fuerant, sed etiã duobus illis præstantissimis bellatoribus,Hunniade & Scanderbegio mortuis, tanta nominis fama, & rerum contra Turcas gestarum celebritas mansit; vt Buda capta, Alba vel imprimis Iulia, inter alias Hungariæ munitiones, potiri Turcæ optauerint. Quo loci Hunniadis corpus conditum,& tot tantæq; de Turcis victoriæ in sepulchro eius incisæ conspiciuntur. Cùm eodẽ modo quo & Croiæ Scanderbegij eruere ipsius ossa, & inter se partiri voluissent. Habent enim hostes vel cor Christianorum,qui diuino numine recti & tecti, memorabilia contra eos gesserant animo in suo tacitam venerationem. Vnde & illud de Scanderbegio fama fertur,quòd cùm à Pio II. Pont. Max. bellum contra Turcas gesturo, toti administrationi belli præfectus fuisset, Mahometem Turcam ad eum misisse, vt acinacem eum, quo in prælijs vtebatur, non grauatim ei mittere voluisset: cui Scanderbegius simul cum acinace & brachiũ suum, si alicui vsui esse deberet, mittere eum respondit oportere. Eadem enim arma diuersorum inter se manibus tractata pro re & occasione,secus respondent. Quæ vel vna illa res argumento fuerit, quantam admirationem virtus Scanderbegij in hostibus ipsis excitauerat, qui non minus ob fortitudinem vincentem timuisse, quàm ob mansuetudinem victorem dilexisse dicuntur. Nolo commemorare Principem Valachiæ Stephanum, qui vno eodemque anno Matthiam Hungariæ,Cazimirumq; Poloniȩ regem,acie vicerat,& quod admirabilius videbatur,Mahometis Turcici Cȩsaris parua suorũ manu,vltra centena Turcarũ millia,eodem anno profligauerat. Cùm enim sciamus, quis hostis Valachus sit, & quàm nobilem olim victoriam, Ioanni Comiti Tarnouio Polonorum exercitus, qui quinta parte minor, quàm hostilis fuerat, Duci de se concesserit, dubitabis, si quæ interim Turcarum contra nostros felices pugnæ; alicubi fuerint, non virtuti sed fraudibus & multitudini ipsorum id tribui oportere? Quid enim? An cùm aliquod regnum siue prouinciam occupare voluerunt, non sæpius dolo, quàm aperto Marte eam aggressi sunt, & nullis non artibus indigenitalium animos prius tentarunt? Testis eius rei est Græcia,

testis

teſtis Hungaria,quarum illa ſuorũ Palæologorum,hæc Sepuſiorum Comitum clandeſtinis cum Turcis conſilijs,in hanc quam videmus incidit calamitatẽ. Vafer enim & impius animus, egregius ſemper faber ſuæ eſt infelicitatis.Poſſem verò hoc loco commemorare eius generis quàmplurimos,qui Turcarum amicitiæ fiducia,à ſummo ad ima præcipitati ſunt, & nomen ſuum poſteris lacerandum reliquerunt. Quis enim neſcit Ludouicum illum Sforziam, qui à faciei fuſcedine Maurus dicebatur, cùm Gallos contra Reges Arragonios, & Turcas ad arma contra Venetos excitaſſet, in carcere poſtremò fuiſſe mortuum? & Arragonios ipſos,licèt in extremo amittendi regni periculo, id feciſſe videbantur, quòd contra Gallos ſena equitum totidemque peditum millia, à Baiazete Turca poſtulauerant, & deniq; etiam Galliarũ Reges, ex Valeſia gente duos, Franciſcum vnũ & Henricum III. non aliã ob cauſam, cùm rebus bello gerendis, tum & poſteris ſuis in regno Gallico conſtabiliendis, quàm ob communia cum Turcis conſilia infeliciſsimos extitiſſe: cùm Franciſcus, ex tribus filijs duos, omnibus animi & corporis ornamentis conſpicuos, mirè mortuos extulerit viuus. Henricus verò infelici caſu humanis rebus exemptus, tribus ordine filijs regni poſſeſſoribus relictis,nobiliſsimam familiam in poſtremo ſui nominis & feminis Valeſio,dirè perempto, reliquerit extinguendam. Hæc quidem omnia ob communicata cum Turcis in Chriſtianos conſilia diuinæ vltionis, & Turcicæ pariter ſunt argumenta fraudis, & virium contra Chriſtianos imbecillitatis. Nam licèt frauſnè an virtus fuerit in hoſte non quæſieris, cõtemnas in acie certè fraudibus confidentẽ. Vna enim inſidijs eſt ſalus, ſic cautè agere, quominus cognoſcantur inſidiatorẽ.Vnde & Romani illi non ſolùm rerũ,ſed & virtutum pręſidio clari,cùm neſcio quem regem,auctore eius medico,qui ſuã hac in parte operam illis venditabat,veneno extinguere potuiſſent, nihil minus,quàm aſſentiri medico viſi ſunt,& hanc ſeu quandã vilitatẽ animi & viriũ ſuarũ caſtigando hoſte, imbecillitatẽ poſteritati teſtatam relinquere noluerunt. Eſt enim præſentibus fructibus aliquãdo aliquid, ſed multo ſemper diligentius poſteritati conſulendũ. Quo magis vt vafri & aſtuti Mahometani ſemper fuerint,vel eo ipſo audierunt malè;& quò tendebant,non peræquè ſemper potuerunt peruenire. Agè enim circũferamus per omnia Europæ regna & prouincias oculos, & primùm quidem Italiam, regionum reginã omnium,contemplemur;cùm doloſis quibuſdam artibus Hydruntum in ea Turcæ occupaſſent; an ea turpiſsimè eiecti non ſunt anno, aut paulò plus circumacto? Quid verò Baiazetes, illius Maho-

metis qui Hydruntum ceperat filius? An, cùm magnam Fori Iulij partem iam in suam potestatem redegisset, excidere ea non est coactus? Quam eandem fortunam & in Polonia expertus est, cùm hyberno tempore, Turcas suos Tartaris permixtos immisisset, postremò, quotum quodque regnum, quotam prouinciam, quotam ceperunt vrbem, quam aut per omne scelus & perfidiam insidijs structis, aut earũ ciuibus nũc spe, nũc metu, nunc prece, nunc pretio ad defectionem sollicitatis, aut deniq; munitionibus ipsarum omni hostili vi & oppugnatione prius labefactatis. Nam vt in multis his prouincijs & vrbibus paucas tantùm proferam? An verò Constantinopoli, Croia, Taurino, Rhodo & alijs Christianis munitionibus Turcæ potiti sunt, quam semel & iterum oppugnatione ante eas tentârunt? Habent enim id moris Ottomani semper, vt institutum belli, & oppugnationis alicuius vrbis aut prouinciæ, quas maiores suos tentasse sciunt, obstinatius persequantur. Qua tamen ipsa in re, non tantum virium atque roboris, quantum omnis generis adhibent fallaciarum & falsitatis, & nihilominus tamen, quot & quanti eorũ in singulis certaminibus cadant, quot & quantas oppugnationes deserant, quàm vel Cæsares ipsi in fugam se ab ijs proripiant, quis ignorat? Nam memorabilis profectò est fuga Mahometis illius, qui Constantinopolim ceperat, ab oppugnatione Taurini, quam leuiter sagitta ictus, nec opinantibus suis capessiuit. Nimirùm is, qui duo imperia, duodecim regna, triginta prouintias, & trecẽtas vrbes ceperat, & qui totum ferè terrarũ orbem iam spe deuorauerat, mortem extimuit; vt vel propter leue acceptum vulnus, non dubitauerit multorum dierum continuato itinere ex Hungaria in Græciam proficisci. Quid Solimanus? An Viennam oppugnans ad solam Caroli V. Cæsaris aduentantis famam, castra & bombardas non deseruit, & per montium iuga dies noctesq; in Thraciam properauit? De cuius posteà Agriæ, Melitæ, & Segeti, apud quam arcem, prius quam caperetur extinctus est, irrito conatu oppugnatione quid hoc loco loquar? Quid aut Selimi eius filij frustra immissos in Moschouiam exercitus, aut tot Amuratis in Perside amissos commemorem? Omnia equidem ista vilem animum & imbecilles vires eorum testatas faciunt: & quod non peræquè eo modo omnia potuerint semper terminasse, quo spiritu visi sunt agitasse. Facilius enim bellorum initia, quàm exitum quæras, & in aciem venias, quàm ea excedas. At verò Christianorum ducum atque militum, & quidem aperto marte patentibus in campis, aut fauentibus ventis relatas de ijs passim victorias rursus intueamur. An vt vetustiores taceam,

ceã, & vt Hunniadis & Scanderbergij, quos paulò antè memoraui, de Turcis triumphos non enumerem; illud ſaltem vel vnum Chriſtianorum cum Turcis Naupactanum prælium, documento fuerit; quàm viles & abiecti, quàm nec animo nec armis, nec deniq; ipſo robore corporis noſtris comparandi videantur. Qui,ſi victoria vti ſciuiſſent; multorum opinione, non modò Conſtantinopolim,ſed totam adeò Græciam occupare potuiſſent. Expedit enim non tam bella gerere, quàm geſtis id quod aliquando amiſſum eſt, in priſtinum ſtatum vindicare. Quod equidem ſuperioribus temporibus video eſſe factum, nec ſolum hoc Mahometanorum genus multocies acie victum, ſed etiam ijs in Aſia regnis, quæ multò antè occupauerat ſpoliatum. Iam verò, quid noſtro hoc, aut paulò ſuperiori æuo contra eoſdem Turcas, in Hungaria geſtum ſit videamus. Et quiſquam dubitabit,ſub Ferdinando Cæſare ad Strigonium,ad Hadadum, ad Budam deuictos Turcas acie fuiſſe, & ſub Maximiliano eius filio,Duce Suendio,aliquot millia eorũ ad Sabatcam cecidiſſe? Cui quidẽ qui interfuerunt prælio affirmant,nec conſpectum adeò noſtrorũ Turcas ferre potuiſſe,& tota intempeſta nocte iter facientibus,& ſuperuenientibus noſtris,in fugam è veſtigio ſe proripuiſſe. Eſt enim inuictum noſtris animi & corporis robur, modò celeritas rebus gerendis adſit,& belli incommodorum tollerantia. Quæ duo deſiderata & pios conatus, & magnos ſumptus factos,& coaceruatos vnum in locũ commeatus immenſos, Chriſtianorum ſæpiſsimè eluſerunt.Torpor namq; & inſolentia,vt ſibi quaſi ſint contraria,capitaliſsimi hoſtes ſunt copiarũ. Quid verò ſub hoc demũ Rudolpho Cæſare,de noſtrorũ contra Turcas prælijs & victorijs loquar? Quid dicam,quòd à Buda capta, nullus eò Chriſtianorum peruaſit exercitus,quò,bis mille comitatus equitibus,Franciſcus Nadazdius iuit, & oppidum Copan, cum ſuo præfecto cepit, & omnem illam Turcicam ditionem impunè peruaſtauit? Quid primam circa Coprzivniciam, Zrenio, Battiano, & eodem Nadazdio ducibus, in qua ſupremi duo confiniorum præfecti capti, & quàmplurimi Turcæ occiſi? quid pugnam alterã ad Sixum? quid ad Siſſek, quid ad Hatuanum,in quibus plura Turcarum ceciderunt millia,referã? quid tot tantaq;,quæ hoc & ſuperiore anno, contra barbaros huius Cæſaris auſpicijs ſunt geſta,cõmemorem? Conſtat certè,nec ſub rege Mathia ipſo qui Turcarũ (vt dixi) terror, & multorũ aliorũ Principum domitor dicebatur, & qui ſemper ipſe in caſtris ſemper in vrbium oppugnationibus verſabatur, adeò vt Turcicũ quendam legatũ ad ſe venientem apud ciuitatem nouã Auſtriæ dictam, quo plurimi ex

maio-

maioribus bõbardis proximè prȩteruolabant globi cũ ſuo & legati periculo,audierit tam inſignes de Turcis triumphos Chriſtianis ob ueniſſe,quã ſub hoc Cæſare pacis inter arma dño obuenerunt. Qui quidẽ Turcȩ,quòd induciarũ potiſsimũ tempore,& nõ tã aut ſoler-ter inſtructis aciebus , aut acribus conflictibus quàm inauratis ſuis illis contionibus,ſiue vafris conditionibus,& cũ expectantur minus Chriſtianos aggrediantur,eſt,quod ſuprà etiã memoraui,cur partim perfidiȩ partim imbecillitati eorũ id adſcribatur. Qui enim ſibi fortu næq; ſuæ difidit,dolo & inſidijs hoſtẽ petit; apertè & fidẽter aggre-ditur,qui contemnit. Ac proinde cuperem, vt liberæ cogitationes noſtrȩ ſunt,& mente vident quȩ volunt,poſſemus horũ duorũ Chri ſtiani & Turcici exercituum in acie ora & vultus intueri. Cerne-remus haud dubiè , noſtrorum elata ſupercilia , confligendi quodã ardore flagrantes oculos , inflammata deſiderio pectora , manibus erectas firmiſsimis haſtas, crura ephippio innixa,ſpumantes equos, tellurẽ terentes pedibus,equites ipſos tantũ non per aëra volitan-tes , ac bonæ ſpei plenos animo concepiſſe iam victoriã. Ex aduer-ſus palleſcere Turcarum facies , demiſſos in terram oculos , nutare capita,tremere manus,vento agitari haſtas,& tantùm nõ excutiẽtes ignauos ſeſſores equos,intueremur. Quid igitur eoſdem illos,cùm ad rem ventum eſſet, vinci poſſe dubitaremus ? quid in noſtris no-ſtrorumq; ſociorum militibus non multò plus ſpei & fiduciæ pone-remus ? quid nos domo egreſſos, tam fugaces ipſorum retardarent copiæ ? quid tam inconſiderati duces ? quid tam imbelles milites ? quid tam inepti & deſides centuriones, lingua vani,manibus rapa-ces,pedibus fugaces,moribus leues,venere præpoſtera fœdi,mem-bris circumciſi , & tum corpore, tum eius habitu planè monſtroſi; quibus non diuinum numen auxilia, non amici conſilia, non ſubie-cti obſequia, non fidem præſtabunt ſeruitia, ſi ad prælium aliquan-do venietur ? Et ſi Imbraimus olim Solymani purpuratus , ipſi ferè per omnia in imperio exæquatus , omnes occaſiones quæſiuit Ty-ranni ſoceri ſui defraudandi, quid non faciant ij, qui in ſingulas ho-ras gemunt & dolent , qui liberos à ſe abripiendos , qui fortunas ſuas vi extorquendas , qui mortem denique ipſam per omnes acer-biſsimos cruciatus ſubeundam , cum metu & horrore circumſpe-ctant ? Inferamus quò volumus in omnia Turcica regna & prouin-cias oculos, & infinitum ne dicam dimidio Turcarum maiorem re-perimus eorum numerum , qui aut patrem, aut auum,aut abauum ſuum Chriſtianum habuerunt:qui memoria Chriſti à ſe abiurati in-gemiſcunt : qui dies nocteſque illud ſcelus lugent : qui denique ad

priſtinam

pristinam religionem & libertatem postliminio reuerti concupiscunt. Possem multos commemorare, qui in media Turcia apud Christianorum regum & Principum legatos ea de re sunt questi, patria, liberis, fortunis, honore priuati, & nullis non generibus iniuriarum, & contumeliarum obnoxij atque vexati. Possem inquam eius generis exempla afferre quàmplurima. Sed vnum illud in multis sufficiat, cùm Ioannis Alberti Regis Poloniæ Legatus, Ioannes Tencinius Constantinopolim proficiscens, in Traciã quendam offenderat, qui agrum arans sacros nescio quos hymnos occinebat: quem ad se vocari cùm Tencinius imperasset, appropinquantemq; propius arietinis cornibus redimitum conspexisset; quid illud esset interroganti, respondit, se aliquando in illis oris Episcopum fuisse, demum capto detracta cute Turcas capiti eius per ludibrium talia cornua affixisse, vt ita tandem vicina vrbe expugnata, aratro victum sibi necessariò quæreret, & quò fugere deberet, prorsus ignoraret. Reperiri autem eius generis captiuos plures & dolentes, qui adeò etiam arma occulto seruarent, ad suum Christianorumq; aliorum vsum, si aliquando certa affulgeret spes recuperandæ libertatis: quos isti Turcici Tyranni tantoperè metuunt; vt cùm Solymanus aliquando Carolum V. Cæsarem solitudinem in sacram secedentem, filio suo gubernacula commisisse intellexisset, se infelicem pronunciare & exclamare non dubitauerit, quòd ipse filium perimere non successorem constituere haberet necesse, salutem vt suam tantummodo tueretur. Est enim multò maius periculum domi hostem quàm foris habuisse. Hos, quis tandem sibi suisque non adiungeret? quis veluti è sepulchro consurgentibus dextram non porrigeret? quis diuino numini ad rem tam gloriosam perficiendã non fideret? quis hoc nomine supplex illud non imploraret? Ferunt Antigonum in quodã nauali prælio trepidanti & multitudinẽ hostium causanti dixisse imperatori: Me verò inquit vnũ, cum quot hostium comparaueris millibus? At non iam Antigonus, sed ipse Christus Opt Max. hæc eadem verba ad nos faceret, si rem à nobis seriò agi animaduerteret, si non solùm corporibus sed & animis consociatos nos videret; si denique hac tanta animorum voluntatumque nostrarum dissensio, de ipsius prouidentia addubitare nos non declararet. Cuius sacrosanctum numen & nomen, quantopere nobis semper & vbique adsit, quantoperè nos foueat & augeat, quantoperè vel è medijs flammis subinde eripiat, vel ex omnibus omnium generum animalibus facilè colligitur. Proditum quippè & Christianorum & barbarorum est literis, Corbonam Mahometa-

norum in Asia ducem, aliquando contra Christianos in acie stantẽ, tres milites antesignanos sibi infestos vidisse, & ab ijs quàm à reliquo exercitu plus sibi timuisse. Quos postea Georgium, Demetrium Mauritium, in diuos relatos fuisse, nostri sunt interpretati. Nusquam enim inuocantibus & fidentibus ipsis numen non adest diuinitatis. An enim obscurum est, quod Boratinio præfecto Polonos contra Moschum ductanti, & Dunam flumen superanti accidit aliquando, vt cùm, qua illud tranâret ignorasset, Angelum in altera fluminis parte conspectum, & vt ad se rectà pergeret inclamantem, ipsius fuisse planè ductorem. Quod & Carolo V. ad Albim fluuium, cum Ioanne Friderico tum electore, in quodam euenit prælio. Quod haud dubiè tam feliciter confectum non fuisset, si molitor, qui mox disparuit quidam, traiiciendi fluminis viam Hispanis non monstrauisset. Est enim tam perfidis quàm infidelibus numen æquè infestum. Quid illa, quæ tot in historijs ante pugnas commemorantur ostenta, quid Sacerdotum pro contione voces, quid ad aras & altaria victorias denuntiantes significant? Enimverò deliros sacerdotes illos dixeris, quorum alter Cracouiæ ad Visneuecium, de obtenta contra Tartaros Polonorum victoria, Deo Opt. Max. agere populum gratias pro contione iussit; alter Venetijs die D. Iustinæ dicato, anno à Christo nato supra sequi millesimũ primo & septuagesimo, celebrando sacro, cùm se verteret, & illud simul, Orate fratres loqueretur, Christianorũ cum Turcica classem congredi nunciauit. Verùm & præter hæc quidem ipsa, quæ certissima præsentis diuini numinis & nominis sunt erga nos argumenta, quàm perfecta in Turcas omnia, quàm ingenio elaborata, quàm arte & diligentia absoluta, vnde & felicia nisi hostium obstaret multitudo, apud nos nostrosque sint semperq; fuerint videamus. An enim tres aliquando in Hungaria Hispani, cum sibi certo & natura munito loco cauissent, contra aliquot Turcarũ millia defendisse nõ memorantur? an quingenti Catafracti milites in fugam versi totius Turcici exercitus robur ad Essecum sustinuisse? an Viennæ, an Agriæ, an Sisseci mœnia, & plurium, non fortissimè toties defendisse? vt adeò mirum non sit, vnum illud nomen Iesu, quod Christiani milites cõflicturi ingeminant, pro infinitis vocibus, Hala (quas edunt Turcæ exhalantes animã) sæpius suffecisse. Bona enim causa tandem triumphauerit, & debilior fortiori cesserit vel inuitus. Sed quid ego hoc ago? Quid in re minimè dubia & ostentu perfacili versor? Plena est exemplorum eius rei vetustas, plenæ historiæ, plenæ omnes omnium gentium literæ; nec vnquam

de

de Turcis, vel dimidio minoribus copiis profligandis aliquando eſt dubitatum; adeoque tantus Chriſtiani nominis Mahometanis terror iniectus olim fuerat; vt à paucis illis Gallis, qui in Aſiam traiecerant, oriens ferè totus etiamnum Francos appellet Chriſtianos. Quid Æneas Syluius, Pius II. poſtea Pon. Max. dictus, omnium rerum & bellorum, quæ tum in Europa gerebantur gnarus, ad Mahometem Turcicum Cæſarem ſcribens; an non magnoperè & res ab eo geſtas, quæ tamen aliis Ottomanis multò maiores fuerant, & ipſam Turcicam verbis non extenuant militiam, & clarè diſerteq; ſcribit à paucioribus longè triremibus occiduis, multò plures Tyrias & Alexandrinas profligari? Age, an vel hodie in Hungaria, tàm in paruis, quàm in maioribus conflictibus, monomachiis, præliis, noſtrorum virtutem hoſtili ſuperiorem ſemper eſſe non fateare? Vnus ille Georgius Thori, quot Turcarum non detruncauit capita? aut Melchior Balazi, quot eorum non profligauit copias? ne Franciſcum Bode, ne Balthaſarum Feruari, ne Nicolaum Sreni, & eiuſdem nominis Giulaſi, & infinitos alios commemorem. Hiſpanorum verò, Italorumque & Polonorum fortitudo, quàm iiſdem barbaris ſit terribilis, perſpicuum eſt. Narratum eſt mihi ad ſolum de Hiſpaniarum regis cum Venetis ſociali fœdere nuncium, totum exhoruiſſe Byzantium Neq; id immerito. Quantum enim eorum Duces conſilio, & milites valuerint manu, prælium Naupactanum teſtatum fecit: & inter alios Ioannes ab Auſtria, Marcus Antonius Columna, & Barbaricus Venetus, qui, vt ſupremus, non fuerit auctor confligendi, vt paucos in multis referam, abunde declarârunt. Quid verò Polonia? virorum mater fortium, & quaſi totius Europæ propugnaculum, & vicinarum gentium difficillimis rebus & temporibus perennè quoddam horreum. An ſuos olim illos Zauiſchas nigros, Melſtinios, Tarnouios, Odrouonzos, Rozdrazeuios, Secigniouios, Gnoinios, ordinum & copiarum ductores Hungariæ, Laſcos, Viſneuecios, Piaſſecios, Valachiæ pro re & occaſione non ſuppeditauit? An vnum illum Nicolaum Mielecium, fortiſsimum Ducem, Sigiſmundi Auguſti regis ſui iuſſu, Bogdanum Valachiæ regulum, in Principatus poſſeſsionem reducentem, & pro ſe cum Turcis non vidit dimicantem? Quid ego poſtremò Nizouios ſiue Boriſteniacos milites, vt licentioſos & diſſolutos, nec ſcio, ſi & hoc nomine dignos, terrorem Aſiæ, vexatores Valachiæ, & quaſi quendam obicem Tartaris oppoſitum commemorem? Eſt Valachia prouincia, quæ his olim Dacia, illis Valachia, nonnullis Ciſalpina dicitur Moldauia, ab ea Duce Valerio Flacco gente condita, quæ olim veterum Romanorum nomine &

femine cenſebatur, ſiue illi ob flagitia, quod magis fidē facit eiecti, ſiue per colonias deducti, ſiue etiam ſponte ſua eò fuerant profecti, non nouū enim eſt ſolum multis vertere, & incognitas regiones viſendi ſtudio peragrare. A quo ipſo loco, Ouidium non procul exulaſſe, & lacum quendam Ouidianum, in quo perierit, hodie etiam conſpici opinio eſt, qui etiam Geticè & Sarmaticè loqui didiciſſe ſe alicubi profitetur. Gens quidem Valachica ipſa, non multùm à cultu & ingenio diſterminata eſt Italorum; vno illo excepto, quòd nouis ſemper ſtudet imperiis, quòd adeò etiam Neapolitanis & Siculis familiare eſſe nonnuli arbitrantur. Vnde in Valachia perpetua ſubiectorum in dominos, & horum viciſsim in ęos crudelitatis regnat viciſsitudo. Idioma Valachicum eſt corruptum, nec tamen latinitati admodū abſimile; adeò vt Rex Matthias Hungariæ, cùm Legati Valachici per interpretem apud eum verba facere ſic incepiſſent: Expone, inquit, domino noſtro, ſe, ſi hac lingua vterentur, etiam ſine interprete intelligere eos poſſe reſponderit. Hos igitur Valachos, cùm ſæpius infeſtarent Turcæ, & ipſimet inter ſe vehementius graſſarentur. Nizouij quoque tempore & occaſione illecti, prædas de iis egerunt, & tam Tartaricas, quàm & Turcicas munitiones nonnunquam exuſſerunt. Cùm olim Siehoza, & Haſſano, atq; Tatico Tartarorum ducibus, omnia apud Polonos licuiſſe; Bernardum verò Pretſicium, perinſignem ducem & confiniorum propugnatorem, ad ſupplicium ſibi dedi Turcici poſcerent Imperatores. Id enim cum Turca initi habet fœderis ratio atque compactio, omnem in nos vt ille ſibi Chriſtianis contra ſe nullam belli gerendi conceſſerit facultatem. Sed vnus tamen in aliis id effecerat Pretſicius, vt in Sileſia natus, & Regum Polonię munificentia auctus, vel hac vna in re, Tartaris refrenandis atque arcendis tantum profecerit, quantum adhuc profeciſſe, prorſus audiamus neminem; adeò vt inter Tartaros pueris in cunis vagientibus imperando ſilentio matres, nomen Pretſicij ingeminauerint. Moleſta enim ſæpè, minandis moleſtioribus abiguntur. Quamobrem, vt vnde eſt orta, in eodem terminetur oratio mea: nihil equidem ad victoriam contra barbaros obtinendā deeſſe nobis video, ſi nos non defuerimus nobis ipſi; & ſi inuictum illum maiorum ſuorum retinuerint chriſtiani animum, quo non modò ſua tecta tueri, ſed & barbarorum diripere non dubitarunt; quo aliquando inflammati, Chriſti Opt. Max. hæreditatem Saracenis eripuerunt: Iudæam non tam paſsibus, quàm victoriis perluſtrârunt: Tharſum, Heracleam, Hieroſolymam poſſederunt. Vetus eſt verbum, audaces iu

uari diuinitus, & audendo agendoq; omnia regna & imperia succreuisse; & quisquam dubitabit, vt non peræquè, ac pingi solent dæmones, quod vulgò aiunt solere esse deformes; sic nec Turcas tantopere formidandos, qui tot ac tantas præbuerunt de se nobis victorias? qui tot à nostris exuti sunt spoliis: qui tot duces nostros condecorârunt triumphis: qui tot & tam diuersis cesserunt nobis locis: qui tot campestribus & naualibus victi sunt præliis, & tam anni commodis, quàm temporibus alienis. Verùm illa potissimum duo Macedonis Alexandri rerum gerendarum habenda nobis sunt adminicula, patientia & perseuerantia. Quid enim expedierit hostem armis lacessere, & lacessitum non opprimere, nunc bellum cum eo gerere, nunc pacisci inducias, nunc exercitus conscribere, nunc dimittere, nunc delectus militum facere, nunc in idoneis ducibus, ac necessario commeatu iis non prouidere? quid denique diu multumque deliberare, & deliberata non exequi? quid vincere, & victoria vti ignorare? Res bellicæ omnes constant, vigilantia, intelligentia, & seueritate Imperatoris, virtute, obedientia, & industria militis, commeatus omnis generis copia, armorum numero & excellentia, & demùm in laboribus difficultatibusq; omnibus constanti, & perpetua animi & ingenij firmitate. Manent nos proculdubiò lætiora si voluerimus tempora. Sed vnum illud dolendum, quòd discordia & procrastinatione nostra reddimus nobis cuncta funesta: pro paruis & angustis rebus inter nos digladiamur, & interim maximis à barbaris spoliamur: eruimus fratri oculum, & cum eo amittimus ingulum: prædicamus Euangelij libertatem, & sub Hahometanam ruimus seruitutem. Quid diuinum numen, quod videt & castigat cuncta, quid iudices non uereamus eos; qui multò, quàm præsentes iudicabunt de nobis incorruptius, & haud scio an rectè illud Cornelianum in nos vsurpabunt aliquando: Digni erant regno, nisi regnauissent: multorum namque latuissent uitia, si & ipsi latuissent. Sed de iudicibus illis, vt volent, viderint supremum, qui effugient; qui vt omnis lenitatis & mansuetudiuis exemplum fuit, sic istius inter nos crudelitatis, non modò iudicem, sed & vindicem acrem certò se præstabit.

TVRCICA XIII.

QVANTVM QVIDEM CHRISTIANORVM REBVS SOLIDA de Turcis parta fructum allatura sit victoria, quanquam vt eam fert opinio, nemò non intelligat; tamen neque ego dicendo

præteribo id tacitus, vt minutatim etiam cuncta ea, quæ in rem veſtram facerent, & animos Chriſtianorum omnium iure ac merito in eius belli cogitationem inducere poſſent, vobiſcum ipſi recognoſcatis. Sunt enim multa hominum ſtudijs & armis in hoſtem mouendis potentia; ſed vna illa potentiſsima ſpes propoſita commodorum. Proinde, quid in hac vna, vnius in mortalis vita immortali quadam Turcici Tyranni bellua, ex finibus humanæ naturæ exterminanda, poſitum ſit boni, ſi oculis corporis cernere non poſſumus, animi ſaltem contemplemur. Anni aguntur plurimi, ex quo Turcarum Tyranni, ſeu quædam peſtis & contagio rerum, in venas atque viſcera Europæ illapſi, regnum regno, prouinciam prouincia, vrbem vrbi adiungere, & ex variis orbis terræ ſpoliis, immenſas quaſdam opes coaceruare didicerunt. Quo etiam eſt factum, vt ab oriente Perſidis reliquias, & maiorem minoremque Armeniam, ab Aquilone Mediam, Colchos, Iberos, à meridie Africam, ab occaſu Mauritaniam, terminos ſuos ſortiantur: centies centenis aureum numum millibus, cui ſingulis trimeſtribus emerita ſtipenda ſoluunt, militiam ſuam alant: In qua equitatus aulici viginti millia, & totidem vel amplius militum ſunt prætorianorum. In Hungaria verò ſub purpuratis, ſeu Baſsis tribus, Budenſi, Themeſuarienſi, & Boſsinenſi, quadraginta hominum ſunt illis millia, totidemque ſub Beglerbego Græciæ, quæ ex Thracia, Macedonia, Epyro, Seruia, & Bulgaria, & denique ex Illyrico colliguntur. His alia triginta millia ex minori accedunt Aſia, & quadraginta circiter millibus claſsiarij & ſtabularij hactenus cōſtiterunt. Quibus omnibus alendis, quàm immenſa auri & argenti vi ſit opus, quis ignorat? & tamen præter hos ſumptus vix non trigeſies centena aureum numum millia Turcico ſupereſſe creduntur Imperatori. Quæ omnia Chriſtianorum eſſent, ſemel de eo parta, qua par eſt, victoria. Quàm quid equidem impedierit, non video, niſi quòd nos impedimus metipſi, & vt dimidium facti exorſis aſſecuti videamur, vix ad media progredimur, vt nos deficiunt omnia, & præda, vel ſpe prædæ excidimus potiùs, quàm quod aiunt triumphum ante victoriam canentes, inter nos partiebamur. Quod vt adeò etiam exemplis illuſtremus, vetuſtioraq; taceamus. An verò obſcurū eſt, paulòminus quàm ſexaginta abhinc annis Paulum III. Pont. Max: & Carolum V. Cæſarem, Venetorumq; Rempub. contra Solymanum Turcam fœdus inter ſe percuſsiſſe, deſcripſiſſeque? quæ pro ſe cuique confœderatorum cedere debebant Principum, relata quæ ſperebatur de eo victoria. Sed hæc demùm euanuerunt

runt omnia, & non modò aliquid rei, ſed neque affulſerat ſpei Turcæ tum temporis debellandi. Quid verò? Abhinc annis viginti quatuor, non denuò idem illud fœdus renouatum eſt, & pugna naualis ad Naupactum ſubſecuta: quam Selimus tanti fecit; vt barbam ſibi abraſam, ſe verò brachium dextrum Regnum Cyprium Venetis amputaſſe teſtaretur. Quid ita? Quia non obſcura noſtra viriumque noſtrarum contemptione, ſui autem efferebatur confidentia: & quia viderat ob ingratum noſtrum erga Deum Opt: Max: animum non habituros nos eum propitium, & rerum à Chriſtianis geſtarum principia, mediis his non reſponſura vnquam extrema; cùm ab vno Deo Opt: Max. peti, & ad eum vnum referri debeant victoriæ; & nunquam vel aliquid boni ciuiles valdè inciuiles attulerint diſcordiæ, quibus non publica ſed priuata commoda, ſuis pro ſe quiſque Chriſtianorum ſectatur. In quibus, vel in illa ipſa tam arcti fœderis in ſummis Principibus ſocietate, mox & ſuſpiciones inter confœderatos ortas, & claſses diuiſas, & æmulationes natas, & denique Pont. Max. indignationes in aliquos ſubſecutas, poterat meminiſſe. Qui enim fidus fuerit ſocio, parum qui fuerat Deo, eius beneficiis memori mente recolendis. Quo magis his fœderibus, bellisq; ineundis ſocialibus nihil magis, quàm vna illa Chriſti Opt: Max: gloria, & Reipub. ſalus, cunctis ſit propoſita; vt ad illum ſcopum barbari hoſtis debellandi tandem aliquando veniatur. Ferunt Rudolphum, hoc nomine primum, Auſtriacum Cæſarem, qui & Imperatorios faſces in familiam primus intulerat ſuam, cùm poſt multorũ annorum interregnum imperij gubernacula valdè anxiò deferrentur, muſsitantibus (vt fit) nec ad præſtandam ipſi obedientiam concurrentibus peræquè pluribus, dando animo ſuis, ſignum crucis ſceptri inſtar arripuiſſe, & in eo ſigno, ſuos, imperiique ſui, hoſtes, domare promiſiſſe. Quod ita nauiter præſtiterat, vt ex turbulentiſsimo imperij ſtatu, vbique ferè pacatiſsimus eo viuente & regente ſpectaretur. Quid idem hodie non fieret? quis illi eidem Deo Opt. Max: non fideret? quis victricibus eius armis, quis crucifixi ſeruatoris ſigno hoſtibus religionis oppoſito, certam de barbaris victoriam non expectaret? Non mirum eſt multas claſſes, multos exercitus, multas legiones contra Turcas coadunatas nos vidiſſe, ereptum hactenus vel vnum illi regnum, aut prouinciam videre non potuiſſe. Deus Opt. Max: vult à ſe vno poſci, & ad vnum referri ſe omnem victoriam. Quia ſi ſemel ſolida, & omnibus (quod aiunt) numeris ac partibus abſoluta potiremur; an verò obſtaret amplius aliquid, quominus hac hominum eiecta colluuie, iuſto &

mode-

moderato imperio orbem terrarum regeremus. Sexaginta millia hominum, quæ tantùm aromatibus parandis, & Turcæ subministrandis seruiunt in Africa minori ab eo sustentantur. Quæ verò hac quanta est aliis in locis eorum, qui ipsius sumptu viuunt multitudo, nescio, si non modò complecti orando, sed assequi omnia posſis cogitando. Atque hæc quidem cuncta nobis cederent, & tam latè omnium patente Asia, quàm monstrorum feraci Africa, & ipsa denique populosa Europa, non Mahometani, sed Christiani populi, qui Deo Opt: Max. hoc nomine redderent quotidiè laudes, nobis auctoribus lætarentur. Nam quid ego Ægypti fertiles agros, quid felicitatem Arabiæ, quid nobilissimas Turcici Imperij vrbes, Damascum, Tripolim, Memphim, Alexandriam, beatissimis locis conditas & explicatas, commemorem? quid Asiæ percelebres tractus, mirificam prouinciarum speciem, regionum pulcherrimam formam, oppidorum frequentiam, portuum multitudinem & opportunitatem, percenseam? quid denique pinguissima Bythiniæ rura, herbidos Cylicum & aquosos campos, frugum Assyriæ copiam, Græciæ amœnitatem, Thraciæ proferam vbertatem? Quarum prouinciarum captos olim specie, auitas sedes constat barbaros reliquisse, & Christianas inuasisse. Quod & illarum pulchritudinis, & barbarorum argumentum est vilitatis. Raró enim aliquis à patrio, quod dulcedine sua eum inuitat solo, in exilium abit voluntarium. Quæ ego iccirco commemoro, vt qualis & quantus hujus victoriæ futurus esset fructus, sciamus; & ciuiles istas, quæ eam remorantur discordias, omni studio & contentione fugiamus. An enim non videmus, quantus vbiq; Christianorum egentium numerus? quanta miseria? quantus & quàm miserabilis in Turcia est luctus aut potius laniatus? Iudæos vel in suis non iuuare pudet pauperes; & nos Christiani nostrorum non misereamur? At subleuare tot & tantos vix aliquando poterimus, nisi cum Turca fuerit debellatum, vt aut proseminatæ in immensum nostrorum familiæ per colonias deducantur, aut debellatorum hostiũ spoliis reficiantur, aut alio aliquo modo, & ratione sustententur. Quæ omnia, cùm Christianæ pietatis fuerint officia, tum nimirum illud etiam euitabitur mali, quòd præ desperatione integri, vel nonnunquã ciues quieta non mouebunt: raptu inter suos multi, vt faciunt non viuent: prædonicam rem infamem & nefariã milites non exercebunt: itinera, quæ debent peregrinantibus esse tuta, non infestabunt: deniq; tot transfugia suorum, & proditiones patriæ non videbunt, & in orbem Christianum tantum calamitatum non amplius con-

us congerent & importabunt. Plures enim natiui proditores magis nocuerunt ſuis; quàm ſi infeſtati fuiſſent ab exteris & alienigenis. Quid? An & illud certiſsimum non fuerit, magnos paſsim & vbiq; bella inter Chriſtianos ciuilia abſorbuiſſe theſauros? qui abſorpti non fuiſſent, ſi cum Turcis eorum magna ex parte auctoribus debellatum iam fuiſſet. Hi enim, vt à ſe arma noſtra longius amoueant, nunc hunc, nunc illum, noſtrorum principum, in alterum concitant & extimulant; & adeò viſi ſunt alicubi, quanquam id rarius faciunt, auro ſuo bellorum noſtrorum fomites & incendia aluiſſe. Quo tantùm abeſt, vt aut meliores, aut ditiores facti nos ſimus, vt præter diuinum numen impiè à nobis offenſum, tum vel maximè, cùm in Turcas arma capienda eſſent, ab omni re ſimus & habeamur imparati. Duabus enim partibus de orbis imperio ſecum contendentibus, quantum vni acceſſerit, tantùm deceſſerit alteri plus poteſtatis. Quas res, ſi maturè intellexiſſemus, & his noſtris armis in hoſtes, quàm in noſmetipſos potiùs vertendis, Turcarum potentiam creſcere non permiſiſſemus; quot & quanti theſauri inutiliter & impiè à nobis diſsipati, Turcici belli ſeruirent nunc vſibus? quàm magnis abundaremus vectigalibus? quot regna, quot prouinciæ nobis ademptæ, Turcarum verò poteſtati iam mancipatæ, exteras gentes & nationes vltrò ad nos poſtlimio reuerti, & in ſocietatem conſilij, belli contra Turcas gerendi, ingredi proculdubiò effeciſſent? Ægrè enim egentibus & ſpoliatis fidimus, copioſis verò & victoria exultantibus, vltrò nos aſſociamus. Quæ quidem regna ſiue prouinciæ, à nobis auulſæ, & in Turcicam redactæ ſeruitutem, cùm nec iure, nec æquitate prætenſa, nec denique ſucceſsione regnandi, vel aliqua in ſpeciem declarata, hic tyrannus poſsideat; eritné qui ambitiosè aliena, noſtris eripienda, quàm à tali tyranno nobis erepta potiùs recuperanda non arbitretur? Videmus, quod quantum illi accedit, tantùm nobis decedit indies virium; & ſi paulò adhuc huic bello indormierimus, tantum accedet, quantum ne ſalus quidem ipſa, ſaluare nos amplius poterit, ac nec debebit. Poteſt enim Deus Opt: Max: noſtra cauſa præſtare multa, ſed non ſolet præter rerum & naturæ ordinem confeſtim facere violenta. Quorſum rex Hiſpaniarum Catholicus, cum Chriſtianis Principibus aliis ineundo fœdere, Tunetum, Alligerium, & Tripolim, extra omnem aleam, & à victoria prædæ partitionem, voluit immunẽ ſemper fuiſſe; ſi nunc, cùm tempus & occaſio eſt, cũ Chriſtianis aliis contra Turcã ſuũ ius in ijs non perſequatur? Quorſum erit Poloniæ æquitatis ratio in Valachiam? quorſum Hungariæ in

Croatiam & Slauoniam? quorſum Venetis, aut Sabaudiæ Duci in regnũ Cyprium? Si videntibus, & volentibus nobis omnibus, non tantùm illis, quas iam occupauit, rebus, ſed adeò totius orbis imperio Turca potiatur? Solitus eſt ille, cùm alicui nunc hoc, nunc illud fraude & inſidiis eripere cogitat, ſemper aliquid, vt nihil eius ſit, prætendere æquitatis. Sic olim Sultanum Ægyptiorũ certæ pecuniæ maioribus ſuis non diſſolutæ; ſic Rhodios promiſsi patri & poſtea denegati tributi; ſic Venetos olim Corone & Mettone illis adimendo; ſic vel multò poſteriùs Cyprio regno eripiendo, nunc huius, nunc illius inſimulauit rei, & ſuæ recordari noluit interim fidei, & præſtiti iuſiurandi. Nos verò iuris humani prædonem, regum & regnorum hoſtem, labem pudicitiæ, diuinæ euerſorem gloriæ, his tam iniuſtis & fraudulentis rapinis non exuamus? exutum, ex Europa non eijciamus? eiectum, in vltimos fines terræ non amandemus? Præſtò ſolet eſſe afflictis multis multorum miſericordia, etiam vllius oratione non euocata. Quid verò non iam preces, ſed vicinorum nos non commoueant vulnera, non excitent miſeriæ, non pungant clades & calamitates infinitæ? Multò quidem minori, immò nulla prorſus æquitate poſsident Ottomani ea, quæ nobis eripuerunt, quàm credibile immoderato in debellatos vti debere nos imperio, etiamſi vel ipſi iuſti & legitimi eorum regnorum & prouinciarum deeſſent poſſeſſores. Quæ in quanta æſtimatione eſſe debeant, vel illa Iure conſultorũ vetus admonet nos ſententia: Regna ſtatera nõ ponderari. Magnum quippè & inæſtimabile eſt quiddam, quod regnum appellatur, quo adeò etiam potiundo, cum cæteris rebus pietatem coli debere dixiſſent, regnandi gratia violandum eſſe ius prophani affirmarunt ſapientes. Quæ vt reuera prophana ſit vox, & ſententia, illo ſaltem, qui feceris ſecus, quominus regni tui iuſtum tueare titulum, & quæ intercepta ſunt vindices & defendas. An enim tanquam alteri cuipiam Alexandro, multis triremibus armato, eum, qui vno myoparone infeſtabat mare pertimere licuit, nos quoque occidere impunè omnes Turcæ licebit? cùm contra non modò imperio, ſed & vita ſpoliare Tyrannum, ſit fueritque ſemper glorioſum. Quis enim neſcit, quàm non tantùm Græci homines ſuis illis à Tyrannide liberatoribus, ſed & Slauones ſuo Miloſsio, qui Amuratem Turcarum dominum occiderat, publicis cantionibus admirabiles laudes tribuebant? Et meritò id quidem. Non enim iam noſtra, ſed Chriſti Opt: Max: agitur hîc cauſa, & illius neceſſariò vindicanda eſt ignominia, cùm Mahometani ipſius gloriæ & maieſtati, ex inſtituto planè ſint contrarij,

trarij, & adeò pestiferum alant & augeant dogma, vt omnes contrariæ religionis præ se contemnant, atque despiciant, nec alios quàm seipsos suosque acinaces iudices eius rei fieri patiantur. Ac simul atque regnum aut prouinciam aliquam occupauerint, confestim Mahometo variis artibus nos nostraq; templa iniiciant, eorum ornamenta diripiunt, aras diruunt, ossa martyrum disiiciunt, religiosos compedibus vinciunt, & aliquando interficiunt; virgines & pueros stuprant, omnia diuina & humana violant, & nihil non quod in eorum potestatem venit, Mahometo illi suo impuro & sacrilego deuouent, & consecrant. quasi verò tanti apud ipsos esset illa ipsa, quæ eos incedit religio, cùm eodem illo Mahomete authore ea religione abutantur, & fidem à se datam violent quàmplurimis; & cùm denique hanc consuetudinem cum materno imbibant lacte, Ottomanosque suos, vel hoc ipso nomine, maximè venerentur. Quod inde ab ineunte ætate fundendo suorum sanguine imperium suum auspicati, non tam ouum ouo, quàm vnus illorum alteri est similior, & in quotidianis lustris, stupris, compotationibus, scortationibus, tanquam lutulenti sues perpetuò voluntantur, nec vllis parcunt pecuniis, libidinum cogitationibus adimplendis. Quo etiam fit, vt illa tam immensa, quæ memoraui vectigalia, non in belli tantùm, sed rerum adeò multarum inanium vsu consumant, & noua quotidie tributa sciscant, & publicorum munerum, ac magistratuum nundinationes instituant, ac pro vno aliquando munere centum aureum numum millia accipiant, quæ cynedis & meretricibus suis dilargiuntur. Quæ omnia impunè sic abire pati, quin imò in nostram patriæq; nostræ disperditionē, tantum tamque horribile in Europa monstrum, hac impia fouere indulgentia, an non crudelitatis & amentiæ est singularis? Non enim is tantùm crudelis est, qui in proximi sanguine suas polluerit manus; sed quo adeò etiam indulgente seruituti alter fuerit mancipatus. Quid? An Christianos his tot tantisque, quæ Turca habet opibus ad Christi Opt. Max: gloriam, & eius pauperum vitæ non præstaret vti præsidia, quàm abuti barbaros, & iis non modò nobis seruitutem, sed adeò animabus nostris, quibus nihil est præstantius, interitum machinari? multi profectò in magnam reprehensionem sæpè incurrunt, non modò rebus iis, quas committere fas nō est, perpetrandis; verùmetiam illis, quas debebant fecisse, supina præuaricatione obmittendis. Quam autem non modò incredibile, sed adeò etiam debellasse Turcam fuerat facilè, tot de eo relatæ testantur victoriæ, quas animosè & scienter persequi, & vti non

abuti occaſionibus ſi placuiſſet, pacem iam firmam & perpetuam haberemus; vt enim labor ſpe otij, ſic bellum eadem illa ſpe & expectatione pacis ſuſtentatur. Quæ, quàm non modò vtilis, ſed adeò etiam ſit neceſſaria, quanquam vel ex his, quę ſuprà dicta ſunt, cognoſcere potuiſtis; tamen adhuc pro mea tenuitate plura eius generis afferam, & ad hanc vnam ſolidam, qua ſempiterna conſtaret quies, de hoſte reportandam victoriam, vos ſtudioſè cohortabor. Et quiſquam dubitabit veriſsimùm illud eſſe ſemperque fuiſſe, quod vulgari ſermone tritum, in prouerbij abiit conſuetudinem? Quietem ſterili regione pretioſiorem eſſe, ſemperq; fuiſſe. At vbi vnquam gentium futura eſt quies, hac tanta tamq; omnibus in Europæ oris graſſante barbaria? Nam, vt à maritimis incipiam, demùm ad terreſtria, quæ ex eodem illo fonte incommoda manant tranſeam: eſtné vllus vel minimus Ionij, Thyreni, Adriatici, Liguſtici, & aliorum marium ſinus, vllus portus, vlla ora, vllaúe regio, quæ Mahometanorum prædis & latrociniis non ſit expoſita? adeò, vt propter clauſa interdum maria, nec priuata maritima res, neque publica poſsit obiri; & aut tempeſtatibus infeſtum nauigare mare neceſſe ſit, aut in prædonum redigi poteſtatem. Quid verò de tot tantiſque aliis regnis, & prouinciis loquar, in quas non modò mari, ſed ipſa quoque terra barbaris aditus eſt patefactus? Quid? An vna illa Polonia omnium Europæ regnorum bellatorum maximè ferax & ſtrenua, à continuis barbarorum incurſionibus aliquando reſpirauit? an Hungaria vllam vel minimam quietem, tot annis à Turcis habuit? an Sclauonia & Croatia ſemel impoſito iugo hactenus ſe liberauit? quarum miſeri coloni duobus, & tribus dominis, tributa grauiſsima pendunt; & tamen eam, quæ illis promittitur pacem non referunt, vt vel momento temporis tandem quieſcant. Quid Moſchouia? quæ à Tartaris Turcæ emiſſariis toties vaſtatur & incenditur? Quid aliæ Chriſtianæ gentes & nationes, Turcarum & Tartarorum oppreſſæ copiis, parum né declarant, quàm dura & Reipub: pernicioſa ratio Turcicæ ſit vicinitatis? Chriſtianorum namque filij, quod ſæpè aliâs etiam dixi, aut leuitate aliqua animi in Turciam illapſi, aut terra marique captiui facti, aut quouis modo Mahometiſmo addicti, magis quàm Turcæ ipſi, ſeminarij inſtar eius ſunt dominationi. Quibus omnibus malis & periculis finem imponeret vna illa ſolida, quam tantopere optandam & proſequendam eſſe cenſeo, de Turcis relata victoria. Quæ ſi vel ipſa pararetur morte, ecquis non libenter eam oppeteret? modò, nobis in cælis æterna ſalus, poſteris verò noſtris certa pax

& tran-

& tranquillitas tandem constaret. Magnæ res haud scio, si vnquam sine magnis adeuntur & conficiuntur periculis. Et quia non solùm bellum, sed vel belli ipse metus communibus rebus inurit calamitatem, & armorum tumultuumque suspicio, redimendorum vectigalium nunc his eripit copiam propter publicam egestatem, nunc illis voluntatem propter timorem. Quid? nonné præstaret vel emori millies, quàm quidcunq; increpuerit barbarorum aduentum & incursiones esse factas in horas & momenta omnia sollicitè suspicari? Est enim suspicio morbus quidam animi, cui vel inuitus te subiicis, ob coniecturandi necessitatem, vel non subitò liberas, ob intellectus humani imbecillitatem. Iam verò sit graue, agros, prædia, possessionesq; perdere, negotiationes & cōmercia cum exteris intermittere, spoliari bonis, destitui fortunis, & omne genus infelicitatis pati. Quid dicam filios, & filias, barbaris, prostituendas dari? quid Christum, & eius religionem eiurare? Hic quidem dolor omnes superat dolores: huius rei vel fortissimum quemque exinanimat cogitatio: hic omnes animi & corporis exuperat cruciatus. Quare, ne in perpetuum doleamus, dolere præstat aliquandiu ære in belli sumptum dando, & seipsum stringere, hoste in perpetuas angustias restinguendo. Magnæ adhuc Christianorum sunt opes, magnæ diuitiæ, magni exercitus, magni vndequaque colligi possunt commeatus: sed si & tributis dandis, & militibus in confiniis alendis, nihil aliud assequemur, quàm vt detrimentis accipiendis, & ciuibus nostris expilandis, maiori turpitudine affici in dies videamur; quæ demùm hæc & quanta æstimanda erit victoria, qua non Turcica nostris ex spoliis gaza, non sacra & diuinis repleta ministeriis loca, non amœnitas regionum, non vbertas agrorum, non splendor & magnificentia vrbium, non cōmercia & societates tot nobilissimarum gentium nobis restituentur? Quarum quidem omniū nomine antiquam illam Græciā, imperatoriæ maiestatis sedem, inuentricem frugum, humanitatis domiciliū, altricē & magistram sapientiæ, Christianos alloquentem sic audire videreque videor mihi. Quid, ô Christiani, agitis? quid Trasybuli illius mei legem non reuocatis vobis in memoriam? quid tandem reconciliatis animis, consopitis inimicitiis, depositis armis, extirpatis odiis, me cuncti non adiuuatis? Vos ego, vos appello, misera, vos duces & assertores libertatis meæ voco, & inuoco, vestram fidem imploro, vobis me do & trado, vestra fidissima auxilia & præsidia concupisco, vobis tandem inspectantibus ex ciuium meorum pectoribus Christi nomen & reuerentia pœnitus euelletur, extirpabitur, ex-

cindetur? Reſtant adhuc apud me modicæ Chriſtianorum reliquiæ, quas expedit vt conſeruetis, ſumma certè omnia ab imperij veſtri amplitudine, ab exaggeratis opibus, à præſtantibus ducibus, ab exercitatis militibus veſtris quotidie expectantur. Ponite vobis ante oculos vrbes ſine mœnibus meas, tectis nudata ædificia, pecoribus & ſtercoribus fœdata phana, violata ſacraria, inuerſa & permutata omnia, diuina denique & humana vniuerſa apud me violata. Moueat vos miſera plebs, & inſtar cadauerum mea non alteri nata rei, quàm ad nudanda verberibus corpora, & omnis ſeruitutis perferenda onera: coniugum & liberorum meorum omnibus libidinibus vita tributa, veſtram mihi hodie conciliet fidem, veſtram commoueat miſericordiam; vt niſi quod amplum, quod glorioſum, quod omnibus ſalutare, quod laude & immortalitate dignum ſit, nihil amplius cogitetis. Nihil habent Chriſtianorum vires maius, quàm quod poſſunt; nihil viſcera præclarius, quàm quod ſciunt & volunt iuuare alios Chriſtianos. Hoc videlicet, niſi prorſus fueritis ferrei, facturos vos ſpero, cùm libenter, tũ verò etiam ſtudiosè, & quidem nõ modo mea, ſed veſtra etiam ipſorũ cauſa, neque vobis aliquo ſaltem adiumento in occaſionibus adhuc eſſe poſſem, deſerta prorſus & exciſa exitio ſim ſempiterno. Omnia autem ſub & à vobis impoſita mihi erunt leuia, omnia tollerabilia: nihil graue aut difficilè vnquam, nihil arduum, nihil incredibile factu, nihil vobis poſtulatisq; veſtris aliquid aliquãdo denegabo. Hem quàm carendo, quàm fruendo melius, quanta, & quàm dulcis, ſit cognoſco nunc libertatem. Quo magis ad pedes veſtros me proiicio, vos oro, & obteſtor; ſi non huic libertati priſtinæ, at alicui tollerabiliori me reſtituite ſeruituti. Subiecta fui diu nephariæ huic, & parricidiali Ottomanorum familiæ: parui genti & nationi barbaræ: nullam non pertuli miſerabilis conditionem ſeruitutis. Iam quidem illuceſcere deberet dies, qua vel aliquã viciſsitudinem rerum & temporum rurſus experirer. Quod vt vobis auctoribus conſequi poſsim, vos idem ille, quem & ego antè, ſed fortaſsè negligentius colui, adhortatur Deus: vos chariſsima mea & veſtra admonent pignora, quibus hic immaniſsimus hoſtis ruinam & exitium machinatur. Hæc, taliaque loquentem, quæ in eâdem illa cum Græcia poſita eſt naui, excepit Palæſtina; quæ & ipſa, cùm cæli & terræ dominus noſtra cauſa non modò tot tantaque pati, ſed vel per omnes acerbiſsimos voluerit interfici cruciatus, quid & nos eius ſepulchro tantopere glorioſo, è faucibus canum eripiendo alicuius difficultatis, vel laboris tædeat, excitat & inflammat.

Parum

Parum certè fuerit beneficio humano vices exſoluere, cum par ſit diuino adeò ſupplicem ſe ſtrare,& eo ipſo aliud expectare. Nos verò quid dicto eius audiẽtes non ſim⁹? quid tergiuerſemur amplius? quid ſceleratè mutuis vulneribus cadam⁹? quid ſalutẽ & incolumitatem publicã prodamus? quid à tam pio, iuſto, neceſſarioq; bello tandẽ abhorreamus? Ardet, arſitq; diu bellis inteſtinis Gallia, hoc ipſo communis gauiſus eſt hoſtis: tumultuatur Belgium:hoc commodius ipſi optatiusq; eſt nihil: Germania,germanitatis oblita, ægrè Hungariæ fert ſuppetias. hoc augurabatur ſemper Polonia,inſidioſi eius fœderis laqueis irretita: hanc fraudem tyrannus tegit; & dum in vicinia prædatur; hanc vnam otioſè inſpectare clades concupiſcit. Quo tamen illo metuendus proculdubiò, vel ipſi eſt magis: Tranquilla enim flumina, occultas voragines, & taciti hoſtes maiores de ſe fraudis præbent ſuſpiciones:Proferet cuncta pater veritatis in apertum tempus, & grauior erit veneni hauſtus melle illitus. Proinde quoad quidem vinci Turca poteſt perſequendus armis eſt. Dum ſe huic fidum illi oſtendit inimicum, par eſt Chriſtianis omnibus eum eſſe ſuſpectum, & ab vniuerſis cenſeo opprimendum. Hæc vna apud Chriſtianos omnes omnium Comitiorum ſit ratio, hæc domi & foris deliberatio, hæc diurna nocturnaque conſultatio. Vna & altera de barbaris abſoluta victoria, multorum annorum pacem & tranquillitatem nobis præſtabit, tot gentes & nationes aſſociabit, commoda & ornamenta maxima comparabit.Non erit,qui Turcis amplius opem ferret domi, non qui commeatum & ſupplementa foris. Tota ipſius iugum excutiet Aſia,non volent Afri permanere mancipia: redibunt Græci ad priſtina ſua ingenia. & ſi olim duabus rebus ſeditione populi & libertate perierunt declamandi; quid hæc tempora non maiorem eis ſuggerant materiam, & tumultuandi & clamandi, & qui denique domeſticis & externis malis ibunt Turcę obuiam, ſi in eos vndequaque fuerit conſpiratum? Præeſſe, non ſubeſſe, Chriſtianos Deus Opt: Max: voluit,vnigenæ ſui filij ſanguine ſacrauit,æternæ hæreditati deſtinauit. Id ita habere ſe, re & veritate ipſa teſtemur: & pro patria, pro aris, & focis, pro domiciliis, coniugibus, liberis, fortuniſq; noſtris, immaniſsimos hoſtes, & publicæ pacis & tranquillitatis,violatores, quàm illi in nos noſtraq; irruant,prius aggrediamur.

TVRCICA. XIIII.

SI EOS, QVOS NEC SPES NEC METVS MOVET, casus aliquis infestus erroris admonere debet, subuereor sanè, ne nostra omnium consilia, vel maximè etiam contra Turcam seria, tandem futura sint sera, & quotidie tempora experiamur duriora. Non enim peræquè semper solito illo pœnitentium portu, mutatione consilij, vel subitò fit aliquis tutus; sed sicuti nunc hic, nunc morbus ille grauior prænunciat funus; sic & hoc nostrum diuturnũ cum Turca discidium, & iam pax, iam bellum, iam induciæ causa nostræ ruinæ fuerint sempiternæ. Quis enim nescit his artibus & partibus, veluti quibusdam armorum fomitibus inter nos alendis, asylum latrocinij, & parricidiorum matrem, omniumque scelerum ac turpitudinis segetem, Ottomanorum familiam eò venisse iam potentiæ; vt non aliter, quàm in aliquo denso tecto, atrox incendium diu occultatum, in nos nostrumq; omnium interitum, graue & tyrannicum eius imperiũ sit erupturum? Nam, ne vetustiora commemorem, cùm vnus ille Solymanus Turcarum tyrannus, qui incredibili immanitate, & assimulata quadam æquitate multa bella gessit, domando subiugandoque Persa, quòd tenere non poterat vrbem eius primariam Tauris exussisset, Amurates eius nepos nuper mortuus longius processit, & vsque ad mare, vulgò dictum Caspium, progressibus factis, Amydam prouinciam præsidiis firmauit & occupauit. Quæ ad Persicum sinum licèt magis spectet, tamen Turcicum per se magnum sic auxit imperium, vt non amplius Babylone, aut Serusel in Armenia, aut verò Tharso in maiori, & aliis ad flumen Euphratem locis, sed nouis & multo magis remotioribus confinibus sit auctum & stabilitum. Noua enim confinia, noua multitudinis habent studia, & peculiaria promissa, quæ nunquam seruantur lenioris dominationis. Quæ quidem omnia, cùm terdecim annorum spatio, vni idque absenti, & homini nihili Sultan Amurati cesserint in prædam; verendum profectò est, ne & Mahometes iste, qui non solùm in longè lateque dominandi, sed etiam aliena prædandi maiorum imperium & hæreditarium institutũ venit, sub nobis occupet adhuc plura, & ex oriente has in oras bello translato, in Christianarum ditionum penetret pœnitiora. Difficilius enim Turcis fuit Asiam, & magnam Europæ possidere partem, quàm vel reliquo tandem in ea (quod absit) potiri. Ac quanta quidem,

dem, & quàm ſollicita Ottomanorum ambitio ſit ſemperq; fuerit, quis non intelligat,qui ſaltem vel mediocriter in noſtris Turcarũq; hiſtoriis aliquando verſatur? Nam ne antiquiora repetam, & Mahometem illum (cuius nomen ſemper ominoſum Chriſtianis fuit) prætercam, qui duobus Conſtantinopolitano & Trapezuntino imperiis, duodecim potitus eſt regnis,& demum Hydrunto capta, imperare voluit etiã Italis;quid noſtra memoria Selimus molitus ſit alter nobiſcum ipſi recognoſcamus. An Ioannẽ Baſilidẽ,magnũ Moſcouiæ Ducem aggreſſus,flumina duo,Rha,Bog vulgò Moſcouiticè dictũ vnũ,quod in mare Caſpiũ,&Thanaim,Wolha appellatũ,quod in paludem Meotidem influit alterum, vix duobus milliaribus noſtris à ſe diſtantia, diducto vtrinque riuo,hoc cum illo coniungere, ſi benè ceſsiſſet res non cogitauit? vt tandem in Aſia eo bello confecto, in Europa Byzantio Theodoſiam, Theodoſia in Thanaim, ex Thanai in flumen Rha, ex hoc in mare nauigaret Caſpium; & partim ad Perſidem occupandam, partim ad reliquam Europam, ac Lithuaniam, Poloniamque inprimis debellandam, Moſcouiam claſsibus aliiſque rebus,ad bellum gerendum neceſſariis,apparandis haberet opportunam. Acuit enim cupiditas viſum, & libido dominandi ſolertem & prouidum reddit tyrannum. Qua ipſa demollitione Turcica, ſi quis fortè dubitet, quærat ſanè eos, quibus cùm Leonardus Straſchus, ex municipio Sendomirieñ eques Polonus,Turca demum factus,ac in multis legationibus Turcicis verſatus, gemens & dolens familiariter,vt fit, apud ſuos voluntate fortaſſè ſi licuiſſet ciuis, neceſsitate hoſtis argutè diſſerebat, cùm primùm pro Bielſcenſibus Lithuanorum, mox pro Lublinenſibus Polonorum Comitiis, ad Sigiſmundum Auguſtum regem aduenıſſet, exercitui Turcico per confinia Poloniæ in Moſcouiam eundi petitum facultatem. Quam ad rem, nec regius ordinumque conſenſus, nec diuinitus ſucceſſus Turcis eſt datus. Nemo enim Chriſtianorum debet, neque Deus ipſe Opt: Max: ſolet,tantum quantum optauerint barbaris in nos conceſsiſſe. Quo magis, quanquam id ridiculum, ac penè videbitur alicui incredibile, extra hoſtium tela ab Aquilonaribus muſcis, & aliis bellonum incommodis,Turcicus exercitus minor dimidio ex Aſia in Europam eſt reuerſurus, & ille in Aquilone Turcicus iam ſpe conceptus,in nihilum abiit dominatus. Mortalium enim proponere, ſolius diſponere fuerit diuinitatis. Ad ambitionem quidem Turcicam quantum ſpectat, prorſus eſt eiuſmodi, vt haud ſcio,an maiori cupiditate & arte ad orbis terræ occupandum imperium,minori paulò,quàm olim Romani con-

citantur æquitate. Nam ſicuti aliquando Romani regnis in prouincias redigendis, ipſorum prouincialium vſi ſunt opera, & ex ciuitatibus ſociis fecerunt ſibi ſeruas, & hoc armis illo vinciendo fœdere, tandem omnes ſubegerunt: ſic, aut non multò aliter, & Turcæ hodie cum Chriſtianis ſe gerunt: & qui illis fidunt, omnes tandem circumſcribunt. Quid? an olim Romani per Campanos in Samnum, per Mamertinos in Siciliam, per Saguntinos in Hiſpaniam, per Maſsiniſſam in Africam, per Ætolos in Græciam, per Attalum & Eumenum in Aſiam, per Æduos & Maſsilienſes in Galliam, non ſunt ingreſsi? Et rurſus Turcæ, an per Cantacuzenum Pruziæ, per Palęologos Græciæ, per Deſpotas Myſiæ, per Sepuſios Hungariæ, domini non ſunt facti? Multa enim in exemplum multi, ſed potiſsimùm bellatores proferendo imperio rapiunt nõ inuiti. Age progrediamur: enimuerò obſcurum fuerit, vt olim Romanos Volſcis, Equis, Samnitibus, Maſsilienſibus ſociis; ſic & Turcas iugum impoſuiſſe Græcis, Illyriis, Hungaris, & ipſis Cyprum eripuiſſe Venetis. Ac poſtremò, vt Roma Carthaginem diu olim ſpe amicitiæ tenuit, vt Philippum Macedoniæ, Mythridatem Ponti, Antiochum Aſiæ reges, antequam alios ſubegiſſet, fœderatos habuit; an non habet nunc Turca Galliam, Angliam, & alias prouincias Chriſtianas fœderatas, vt ſubiugatis his, & illi tandem aliquando etiam ſeruiant ſeruitutem? Quid enim Ottomanorum æquitas aut moderatio, hoc tanto malo nos prohibeat? qui, cùm non pepercerint ſuis Mahometanis, quid parcant nobis Chriſtianis? quò redacti ſunt Iſphendiades Begi? quò Synopes & Caſtamone principes? quò Caramaniæ reges? quò Tombæus Ægypti Syriæque dominus? quò Alymbegus Dulgatiſque rex, & alij quàmplurimi? Quos ſi non tutata eſt communis lex, & ſex Mahometana; quid nos tueatur, quàm illi tanto odio habent Chriſtiana? An enim non intelligas, quot & quantæ, quas ille ferè nobis melius ſcit, & pluſquàm ſuæ potentiæ fidit, inter nos ſunt diſcordiæ? & quàm infelicia paſsim & vbique ſint iſta tempora? & quàm denique vrgemus ipſi hæc, quæ tantopere metuimus fata, quibus non crederemus, ſi corda, vt dixit quondam ille, fatua non haberemus? Eſt enim fatum diuinæ effectus ſcientiæ & prouidentiæ. Qui igitur tollat, quàm hæc & illa permittit arbitrij noſtri libertatem? Sed demus etiam huic opinioni aliquid, quæ tamen temerarios indagatores ſui frequentiùs abſorpſit, quàm cautiores reddidit aliquando. An non habuimus annum ſuprà ſeſqui milleſimum octauum & octuageſimum, variis cladibus menſtruatim inſignitum? & tamen nihil nos flores ineun-

tis

tis admonuerunt Veris, & tot ac tantos casus bellorumque exitus non putauimus prænuntios maioris adhuc tempestatis. Obseruatum est quidem multos annos variis mutationibus esse obnoxios; sed maximè centenarios, aut eis proximos, tàm præcedentes, quàm etiam subsequentes. Quæ, vt ego minoris apud me habeam, & ad summum illum motorem omnium omnia referam; tamen circa annum sexcentesimum, vereor multò adhuc maiores rerum & temporum conuersiones futuras; & post sexcentesimum hæreses, magna ex parte spero & aueo cessaturas. Proinde quisquis tandem fueris, qui in tua alienaúe fata inquiris, Deũ potiùs Opt. Max: pro te & altero ores, vt in vniuersum omnes conemur effici meliores. Præpotens ac immortalis Deus, decreta sua mutat, si & nos in melius vitam nostram mutauerimus. Negatum est summis stare diu, dictũ diu: tu vt voles ista interpretêre. Præstiterit quidẽ ex præteritis præsentia, & ex his quæ nos manent mala, collegisse. Abhinc mille annis, de quo maximè tractatum est, in ipso ferè Centuriæ exitu, natus est Mahometes. Quo eodem ferè anno proximoué tempore à Saxonibus è patria pulsi sunt Angli, qui antè D. Augustino ad præstandam Romano Pontifici obedientiam, eos adhortanti dicto, non fuerant audientes: qui enim Christi in terris Vicarium spiritualium non cognoscit patrem; hic nouercam experitur patriam, magis quàm matrem. Abhinc noningentis, Iustiniano amoto Cæsare, grauissimi motus tota Græcia extiterunt, & Hispaniæ vsque ad Pyrenæos montes in Saracenorum redactæ sunt potestatem. Abhinc octingentis, Carolus Magnus Imperator, à Leone Pontifice Romano, præter omniũ expectationem, Cæsar Augustus est salutatus; qui à Constantino Magno, vetustate obliteratam occidentali imperio summam restituit maiestatem. Abhinc septingentis, regnum Normanorum cepit, & Mahometes per suos Saracenos, Africæ & Siciliæ magnas calamitates importauit. Age progrediamur: anno à Christo nato, Centuria iam penè decima instante, an non legimus Gregorium Pont: Max. Ottonis Imperatoris propinquum, à Crescentio Consule Romano eiectum fuisse, & mox ab Ottone contra eum, qui ipsi successerat, Ioannem restitutum? Qua demùm ex causa, grauissimas omnium pœnas Romanus dederat magistratus, & ipsum Romanum imperium, ad Germanos est translatum. Pontifice Romano, quamobrem id fecisset interrogato, respondente. Caro, inquit, & sanguis mihi reuelauit. Etenim multa multis, sed haud scio, an sanguis dominetur vniuersis. Quid? an verò, vt Ottonis Cæsaris, erga Pontificem Gregorium,

beneficiũ maximè memorabile fuit? Sic Henrici IIII. Cæsaris factũ in reprehensionem, rursus grauem non incurrit? quòd altera annorum ineunte Centuria, Pasqualem Pontificem Romanũ captiuum fecit, & suam illam, Petri & Pauli limina adeundi religionem, irreligiosam reddidit ad omnem perpetuitatem. Non enim par facere fuerit malè, suscepto aliquo itinere ex voto religiosè. Quid? anno post millesimum ducentesimo appropinquante, vt paulò antè noua regna in Asia condita, & Tartarorum regni initia, & Græcorum imperium authore Balduino translatum, non commemorem; an Innocentius Pont: Max: non eandem ferè, quàm & alij superiores Pontifices, subiit calamitatem? Quod idem seculum, variis procellis, peste, bello, incendiis, & alluuione maximè laborauit: cùm & in Galliis, quod ferè dictu est incredibile, innumerabiles corui per aëra volitassent, quibus domorum & oppidorum multorum incendia accepta ferebantur. Nihil enim sub sole est nouum, nisi tu ipse, qui hæc miraris, nouus videâre. Sanè & Almericus quidã, nefariam hæresi mexorsus; eidem Innocentio illi Pontifici Max: quantũ facessiuerit negotij, quis ignorat? Quam paulò post hæresim, & Henrici Cęsaris mors in Germania subsecuta, aliorum etiã motuum præbuit occasionem: obitus enim regum, afferunt vicissitudinem temporum, & rarius lętiorum. Postremò, cùm annus tercentesimus, suprà millesimum, appropinquaret, vt multa memorabiliaq; alia, quæ eodem acciderunt tempore, prætercam; nonné vnum vel maximum euenit miraculum, ad confirmandam in gentibus Christianæ religionis veritatem? Erat Cassanus quidã Tartarorum vulgò dictus Imperator, qui Catharinam, regis Armeniæ filiam christianam, sibi matrimonio iunxerat, & vehementer adamârat. Hæc enixa cùm illi fuisset filium animanti quàm homini magis similem, quibusdam auctoribus, ob suspitionem adulterij, capitis damnata; antequam de ea supplicium sumeretur, sacrosanctam Eucharistiam percipere, & infantẽ sacratis vndis abluendum postulauit. Quo facto, vidisses incredibilem in modum partum illum mutatum: & non modòaugustam saluam, sed & Tartarorum Imperatorem, Christianæ religioni propterea initiatum. Quantò enim rariora, tantò diuinitusprofecta miracula sunt cumulatiora. Quid verò de anno suprà sesqui millesimo quadringentesimo dixero? circa quem Pontificia sedes rursus Aueniono Romam translata, & multa sunt variata. Et quid porrò de hoc quingentesimo, Caroli V. Cæsaris natali loquar? qui, antequam venisset Caroli VIII. Galliarum regis memorabilis, illa ad regnum Neapolitanum occu-

pan-

pandum incidit profectio, & in orientis ac obeuntis solis, vltima veteribus incognita nauigatio patefacta; vt, quod & antè dixi, minimè mirum videri debeat, omnes annorum Centurias, præ cæteris esse fuisseque semper magis insignes, & hunc sexcentesimum futurum perinsignem. Quò enim vlterius portu solueris, maius fundum; & quò plus vixeris, semper magis reperias mundũ immundũ. Sunt quidam, qui Mahometanam sectam, vel ante hunc ipsum sexcentesimum finem suum affirmant sortituram; propterea, quòd sicuti sub Gregorio Magno Pont: Max: Mahomete nascente, ingens quidam Cometes eius portenti apparuerat prænuntius; sic ab hinc viginti & aliquot annis, sub eiusdem nominis Pontifice, vt quidam autumant, Antichristo nato, rara quædam & admirabilis stella apparuerit, quam à Christo nato visam nemo literis prodiderit. Quàm hæc quidem futura vera sint, nescio. Multa alias antè Antichristum nascendum, desiderari adhuc animaduerto: sed interim, qui vult videre optata, vitet iis contraria & infesta. Extremo iudicio nihil incertius, nihil iudice seuerius, nihil iudicando timidius, nihil damnato est calamitosius. Intellectum profectò est cunctis diuinis mãdatis, passim & vbique violatis, & politicam violandam libertatem: tot enim sectæ, tam inter se dissectæ, nihil aliud quàm vnius dominatum comminantur: & cùm non religioni, sed rebellioni studeatur; videndum est, ne duobus inter se contendentibus, tertius se præficiat regioni: & cùm denique ab auita religione discessum sit, & nunc hæc, nunc illa antiquarum renouetur hæreseos, ne tandem ad Mahometismum, qui claudat riuulos, veniatur. A summo namque ad ima grauis, sed facilis est delapsus. An verò non perspicimus, quòd non modò iam Græci leues illi, & temerarij aliquando socij, sed ipsæ adeò gentes nationesque quædam, quæ & non facilè superari, & habere aliis videbantur plus firmitatis, eò iam sunt prolapsæ amentiæ, vt nihil apud eos antiqui moris, aut resideat disciplinæ; sed omnia torrentis instar præcipitata sint, & non modò animis, sed & castris iam inter se dissidere, principes ipsi cœperint, cùm, vt quidam aliquando festiuè dixerat; Qui vinctus est, liber esse cupiat: qui liber, dominus: qui dominus, Imperator: qui Imperator, adeò etiam vt tonare possit Deus, & omnes ferè sequestra pace Turcicis armis desiderent feriari. Quasi verò obscurũ sit, nunquam Ottomanorum familiam, claro aliquo & veteri genere ortum, sub se impunè viuere, pati voluisse neminem. Cuius rei causa ad testificandam, quàm ex deuicta Meninge siue Gerbeñ. insula, animi Solymanus perceperat voluptatem, in publicis numis-

matibus characteribus Turcicis inſcribi illud curauerat: Imperium armis quæro, non religionem reſpicio. Ex quo ſanè facilè intelligas, quanta eorum ſit ambitio, quam nec orientis gaza, neque Europæ regna & imperia potuerunt reſtinxiſſe. Itaque multo quidem conſideratius periculo, licèt longiùs abſunt præpotentes illi orientis reges, Magnus Chitainorum Tartarorum Chan, & Perſarum Scachus, huic Ottomanorũ dominandi inexplebili ſiti, decennio ferè antè, nouo inter ſe in eos inito fœdere occurrerunt; cùm perpetuæ coniunctionis ergo, cum Chanis filia Scachi Perſici filij, certis vtrinque promiſsis ſibi auxiliis matrimonium contraxiſſet. Noluerunt nimirum expectare, vt illud Solymani numiſma geſtiente lætitia, ſparſum Ottomanorum imperio, de ipſorum principatu aliquid adiungendo, in ipſis quàm in aliis priùs effectionem ſortieretur: vinum namque, ira, gaudium magnum, ad confitendũ verum habent aliquando equuleum. Nos videlicet ingenioſiores, hanc barbarorum eluſuros audaciam, qui ſint tibi ſanè & videantur barbari; non tam quidem eſculentorum, & poculentorum euacuandorum, quàm armorum tractandorum ſtudioſi, à Caucaſo progreſsi eò venerunt iam potentiæ; vt duobus imperiis, & quàmplurimis lætentur regnis, regionibus verò, vrbibus, ac vectigalibus infinitis; & quòd adhuc ab eorum rabie, reliquum nobis Deus fecit, ſpe & cupiditate circumſcribant. Quibus, ſi maturè obuiam nõ fuerit itum, ſubuereor equidem; ne hoc tantùm mali, in venis & viſceribus Europæ incluſi, non quod ante dixeram, tabidæ, ſed peſtilentis febris inſtar opinione conficiat nos celerius, aut ſaltem vires noſtras ita atterat; vt cùm poſtea ad bellum ventum in eum fuerit, nec coniungere aliis intermedia ipſo occupante nos poſsimus, nec ſi maximè velimus valeamus. Quis enim vel nunc quoq; arma in eum ſumere audet? quis præ altero exercitum in expeditionem ducere? quis à ſe ſepimentiſque ſuis, longius eum amouere? Murium inſtar ferè omnes ſumus, qui Catto alligare ſonos ſemper vellemus. Sed dum hoc, dum illud cauſamur, maiora indies pericula ab hoſte nobis metipſi conflamus. Et quis eſt noſtrum, quem ille non penitius nouerit, cuius mores, ingenium, potentiamque, non perſpexerit; cuius ditionum ſitus, populorum belli gerendi modos, momenta vectigalium, rationes ciuium, auxilia & opportunitates vicinitatum, non habuerit exploratas? Hinc ille de rege Viennen: hinc de Venetorum armamentario, hinc de Comitiis Polonicis crebrioribus & ferè ſemper diſcordibus voces: hinc de diſſidiis & æmulationibus omnium Chriſtianorum ſermones: hinc de

appa-

apparatu & conatibus irrisiones Turcicæ audiuntur. Nimirũ, quid inter nos quotidie fiat videt, vnde demum præsentia præteritis nectit, ex præsentibus verò futura elicit, & de tota denique re coniecturam capit, minimè quidem ambiguam aut fallacem. Quo etiam magis non cunctos pariter, neque vno modo singulos; sed nũc hos, nunc lacessit illos, interponit spatia rebus, dat veniam aliquibus, seruit scœnę & temporibus: iam vnum hunc vngit, & alterum pungit: cum hoc societatem init, cum illo abrumpit: & omnes nihilominus cogitat sub suam tyrannicam redigere potestatẽ. Quam & ad ipsam perficiendam rem, quid obsecro ei defuerit? num pecuniæ? quæ illi sunt maximæ: num exercitus? qui sunt numerosissimi: num consilia? quæ domi habet sanissima; à nobismet verò ipsis, in perniciem Reipub. quotidie suggeruntur. Actum igitur, actum, proh dolor, de nobis est, nisi prohibuerit Deus ipse Op: Max: ac vt ne prohibeat quidem, scelera nostra impediunt, discordiæ tarditatem, spes fallaces, & inanes cogitationes, soporem nescio quem nobis afferunt; vt breui præsentium fructum, gaudio quodam inebriati, nihil ferè sentiamus, nisi viuum perstringatur, & interim aliorum è terra securi spectantes naufragia: nunc vnum hodie, nunc alterum postridie regnum pereat; & deniq; pluribus angulis, modico temporis interposito spatio corruentibus, tota machina Reipub. collabatur. Vincente enim semper vno, & vix tuente quod reliquum habet altero, quid tertium fuerit, quàm pati victorem? Iam enim sobrij hominis cogitationem, vel ad tempus suscipiamus, & seriò nobiscum consideremus ipsi; quid in his, quæ adhuc restant, Europæ reliquiis, contra hunc tam potentem hostem, nobis sit inexpugnabile: perinde, ac si nesciamus eum, qui ab oriente vltra Euphratem, ab occasu ad mare Ionicum, à meridie ad Æthyopiam, ab aquilone ad mare Euxinum imperat. Multò adhuc, nisi cuncti ei occurrerimus, longiùs latiusque posse regnare. Hem, quàm multò iam rectius, hoc tubarum Turcicarum clangore, quàm olim Romani illi Catonis ficuum odore ad bellum excitaremur. Alicubi diebus, alicubi horis, vel paucis ex hostico in nostra peruenitur, quæ nec commemorare libet singula, neq; quibus vicissim hostes facilius adhuc vinci possent modis, typis expedit peruulgare. Sed vt in reconditioribus, vel hoc vnum proferatur; an non prorsus stupidi & amentes sumus, quòd Christianos eos, qui Turcis subsunt, & nihil magis, quàm seruitute ipsorum liberari cupiunt, intra confinia nostra non recipimus; vt nos nostraque prædandi, animus hosti potentiaque minuatur? Aut enim magnis

gnis aut paruis, nos aggrederentur copiis: magnas amotis agricolis, quo sustentarent, non haberent, minoribus minori negotio se suaque dissiparent; sed hoc curamus scilicet. Qui tantùm aliquando abest, vt euersa, conuersa potiùs, vt cupiamus in alios nostros, quos extinctos vellemus, barbarorum arma atq; dominatum. Proinde, cùm aliquid etiam ex visceribus nobis sociisque nostris excidit, non secus ac olim Græci verbis extenuamus fidentiùs, & nunc amphoram vini de manibus effluxisse, nunc porcorum stabula, vrbes & munitiones fuisse dictitamus, quasi momenti aliquid & consolationis habeat eiusmodi extenuatio, & vel minutis crebrius amittendis, magnus tandem detrimentorum non fiat cumulus, qui triduo non resarcitur. O fatuitatem! Hoc videlicet modo, periit olim quæstionum auida, & latinorum inuida Græcia: hoc præfidens sibi Misia: hoc illa, quæ hastis etiam suis ruens cælum, in Sigismundi Cæsaris exercitu, sustinere volebat Hungaria. Maluerunt certè Græci, cum Latinis de S. Spiritu otiosis disceptare verbis, quàm multo antè, cùm tempus fuerat, de imperio contra barbaros decernere armis. Itaque iusto Dei iudicio, eiusdem Spiritus S. festo, capta Constantinopoli illa acceperunt vulnera, quæ eorum dominationis extrema fuerunt funera: vt sicuti Constantinus primus, antè eum natus S. Helena mille annis, religione Catholica, & in Romanum Pontificem obseruantia, conditor Constantinopolis, nouæ Romæ dictæ, maximopere clarus; sic hic Dragases, Constantinus alter, Helena etiam natus, sed religionis Catholicæ desertor, & Pont: Romani inimicus Constantinopoli amissa, fuerit extremus. Noluerunt & Hungari in Catholica religione manentes esse liberi; liberi in hoc Euangelio nouo, facti eorum sunt serui, & illa experiuntur mala, quæ & aliis, qui illorum perfidiam sequuntur, sunt metuenda. Quandoquidem ob religionem, vel potiùs rebellionem ardet tam diu Belgium, otiosis syllogismis: Germanicum labefactatum est imperium: Gallia & Anglia, nescio nouoné dogmate, vel veteri instituto magis, à belli Turcici cogitatione facta est aliena: Polonia, seu quoddam hæresum receptaculũ, & omnis licentiæ asylum est effecta: Moscouia schismate, à Romana ecclesia auersa: Suecia, & Dania, nescio cur disgregata: quãdoquidẽ nõ tam numerũ Alkenciorum, neq; robur Azaporum, neq; disciplinam prætorianorum, neque fortitudinem Charitariorum, neque militandi vsum Beglerbegorum, neq; consilium Purpuratorum, neq; postremò suam ipsorum Ottomani felicitatem tanto adiumento habeant, quàm hæresiarchas inter ipsosmet Christianos, de quorũ numero

mero & ætate,cùm Solymanus Turca aliquando quęsiuisset, & quē annum ageret Luterus sciscitatus fuisset,legato quodam Germanię respondente, quòd octauum & quadragesimum ageret; dolere se, quòd ob imminentem senectutem,non in posterum tantum,quantum antea semper conatus suos posset adiuuare, clarè respondit. Quo adeò nomine ipso, in libro quodam Symposiacorum suo, Luterus est gloriatus, & Turcicum Cæsarem, omnem illi beneuolentiam detulisse suam,non dubitanter annotauit. Sic multi multis rebus prodendis literis, quando maximè aucupantur laudem, deperdunt vel nonnunquā existimationem. Miseros interim nos, qui angues in sinu gestamus,& viperarum progeniem ventrem exedere matris impunè tolleramus. Vnus ille,vnius cùm labij Turca fuisset, vnus,inquam,Vrbanus,hoc nomine secundus,Pont: Max: & Bernhardus, Claraualllensis Abbas egregius, infinita penè bellatorum millia, bello in Asia contra Saracenos administrando, potuerunt sociasse: nos tot hæresiarchis auctoribus, in Hungariam non possumus, quàm præ foribus nostris ferè habemus? An non idem ille Deus Opt: Max: non eadem est religio? an non eadem, quæ olim illos imò & maiora pericula nos consociant? Dicam equidem quod sentio liberè. Pericula sanè eadem imò & maiora esse possunt: Deus offensus, religio mutata, aræ & phana prophanata, victoriam non dabunt. Quin & Mahometani quotidie plures, & regnandi libidine vehementiores, & nescio in quem furorem contra nos acti, & tot prædis, ac regionibus possessis,sunt locupletati. Quid? an non magna Tartarorum ante annum Pocutiam percurrentium fuit audacia? Quantum animi & corporis robur,quàm penè incredibilia in barbaris omnia spectabantur? vt immanes quasdam belluas, non homines, syluas illas & Carpati montis iuga dixisses superare. I verò contemnito istos: & qui tua alienaque pocula siccas,maiora te præstare posse alicubi profitere. At enim nō aliunde ista, quàm ex occupationum nostrarum contemptu, & sui viriumque suarum barbaris proficiscitur confidentia. Neque enim tacebo, quod de Henrico Valesio, Poloniæ rege, Cracouiæ in summa summorum virorum corona, chirothecis & cothurnis pretiosis induto, & seu quadam vnguentaria popina, in sella inaurata consedenti,legatus Tartaricus dixerat:Non videri sibi eum regem, qui tam esset delicatus, magnum aliquem futurum bellatorem: neque id iniuria. Nam per externa, non difficilè cognoscas & interna, & delicatos martyres non solere præstare admiranda. & quotus quisque apud nos fuerit, qui labore & negotio quàm

otio, dignitate quàm voluptate, castris quàm rastris, magis occupetur? Age, an non ferè omnes ad clauum, rarissimi verò ad remigium volunt collocari, docere non discere, loqui non audire, disceptare, & nihil horũ quæ finxerunt verbis, re præstare? quàm denique plures, gulæ non gloriæ, abdomini non nomini, priuatæ vtilitati quàm publicæ omnium seruiunt necessitati? Sed minimè mirum, cum suo honore & præmio, virtus & scientia etiam destituatur; cùm non nisi ignaui adolescentuli, aut audaces hypocritæ, aut quos subesse, quàm præesse rebus, magis expediebat ad altiora euehuntur; vt demùm sententiis eorum audiendis, dicatur alicubi: Sapientes audiunt, & stulti garriunt, & venalia omnia pro se quisq; inuerso ordine consectetur; & causidicus præfecturæ, milites vsuræ, omnes inhient versuræ; & nemo in illa arte, quã didicit, non dicã se exerceat, sed neq; eam profiteatur. Tedet namq; pudet pariter sine mercede laboris, & sine honore pœnitet nauitatis. Quibus de rebus omnibus, quis dubitet hostem fieri crebrius hinc certiorem, & partim struendis nobis insidiis, partim fidentius aggrediendis nostris, reddi quotidie animosiorem? namque bellatorem iuuant & excitant multa; sed peræquè nihil, quàm cùm conatus, & consilia hostium habuerit explorata. Est autem quæ hoc ei nunciet, pensilis Iudæa: est & Armenipolonia: est denique hosti, vt dixi, prædandi stimulis, nunc hic, nunc ille vicinus ab altero auersus, & aut iners, aut imbecillus. Inferte oculos quò vultis, & vera hæc esse deprehendetis. Quid enim aliud Baiazetem in Græciam, quid Amuratem in Thraciam, quid Solymanum in Hungariam, quid Selymum in regnum induxit Cyprium, quàm occasio, & nostrorum principum discordia? Iam ergo & hunc imminentem sexcentesimum, & qui eum aut proximè sequentur, aut antecedunt annos, vobiscum ipsi animo intueamini. Et hunc Mahometem Turcam, tanta crudelitatis exempla in suos non temerè putetis edidisse, nisi quòd his adhuc maiora in Christianos edere velle videatur. Circa hunc quidem sexcentesimum, immanissimum quendam tyrannum toti Europæ dominaturum, Hultenius olim aliquando minabatur, & multò adhuc Hultenio vetustior Lactantius Firmianus hæc verba alicubi protulit: Romanum, inquit, nomen, quo nunc orbis regitur, tolletur de terra, & imperium in Asiam reuertetur: & rursus, Oriens dominabitur, & occidens seruiet. His tamẽ ego non moueor vocibus. Ac multò magis doleo, his prædictionibus contraria, virtute nostra ostendere nos non potuisse, & Orienti aut Asiæ, quæ semper imbellis est habita, præ Europeis militaris gloriæ principa-

tum reliquisse. Viri certè cordati, seu quandam vim astris sæpè afferunt, & fortes se eximunt ipsi fatorum necessitati. Multò autem (vt mea opinio fert) si prædictionibus fides habere debet, certiora illa fuerint, quæ de Mahometano delendo circumferuntur imperio, non amplius ab exorsu suo quàm mille annos duraturo. Quanquam an millenarius iste ad annum natalis, aut ad initium doctrinę referri debeat Mahometis, incertum est: Sed vt quod institueră dicere, prædictiones istas ne tantopere timeatis, magisq; nobis quàm Turcis suffragaturas iudicetis. An verò à fide dignissimis non memoriæ etiam est proditum, circa hæc eademque tempora, maximum apparatum belli Turcam facturum, & terra marique Europam concussurum, cui Catholicos reges suas esse oppositurōs copias, & Turcam omnino debellandum: tum verò & ex oriente regem quendam oriturum, qui omnibus iis, quæ nunc Turca possidet, Christianis via in Asiam patefacta, facilè potietur. Quanquă idem illud ad regem quendam Franciæ alij referant, & illum vnum vt primum in Christianis regem, sic & postremum futurum testificentur. Quibus Abbas Ioachimus de Ruppe scissa, qui & Venetis multa prædixit adstipulatur, & ait: Et tum gallus augebit cristam suam, & regnabit, & imperabit, & omnibus renouabitur. Sed de his & alijs alij viderint. Mihi quidem omnia modernorum vaticinia paruam fidem faciunt; sed illa minimam, quibus Christus Opt. Max. defuturus suis crederetur. Ac multò quidem mihi fuerit probabilius, quod crebris multorŭ vsurpatur sermonibus, Ottomannicam familiam, non nisi certo imperatorum numero, qui haud scio an iam finitur, regnaturam: ac sicuti sub Rudolpho primo Austriaco Cæsare ortum suum habuit; sic sub Rudolpho altero extinguendam. Quod vt diuinitus optandum, sic illud vicissim confitendum est, non nisi perpetuam curam, cogitationem, solicitudinem, vnamq; ac eandem omnium requiri voluntatem, hoc hoste debellando. Deus quippè est vnus, vniceque armipotens semper, qui pręstat suis triumphŭ. Verùm eius triumphi finem, consiliumq; rectum, & parando genus & institutum vitæ vult laboriosum. Et quisquam dubitabit, his tot atq; tantis, quæ nos ex Turcia manent, periculis, nullum opportunius remedium inueniri posse, quàm vt quot Christianæ Reipub. sunt ciues, tot Barbarorum essent hostes, & vnus alterius iniuriam suam duceret contumeliam; ac vel hoc demum ipso diuinam gloriam tueretur. Quod aliquando his verbis expressit Poëta:

Si iniuriarum auctorem vlcisceretur

Vnuſquiſque noſtrum, & vna propugnaret
Æquè. Ac ſi propria ſibi eſſet facta
Iniuria, & Ciues vehementi ſtudio mutuam
Iungerent operam.
Non amplius nobis calamitas inciperet
Improborum hominum, ſed obſeruati
Et meritam pœnam luentes,
Vel admodum eſſent rari, vel prorſus deſinerent.

Vt inquam Chriſtiani, quotquot ſunt, aut quöad eius plures maximè volunt (velle autem vniuerſi debent) dextras in barbaros ſuas iungerent, fœdera percuterent, & in officio ac fœdere illo tandem perſtarent. Id enim bellum eſt iuſtum, quod & neceſſarium: & ea arma glorioſa, quibus depoſitis, pax infida & inſidioſa iurè timetur. Huic bello, iugera agrorum dimenſa, & per dena aut plura equiti vno, in bellum profecturo, ſtipendia aſsignata, huic capita cenſa, huic prouentuum omnia minutatim expenſa, huic bona tam publica quàm priuata, in communionem temporum collata, & ingenioſiſsima quæque imperandis pecuniis adinuenta; quid aut excogitatu ſuperuacanea, aut præſtitu grauia, aut obtentu videantur incredibilia, vt communis ſalus & patria defendatur? Felix ille eſt denarius, qui cautor eſt centenarij; & ſalutare bellum, quo maiora incendia tranquillantur. Quid? an & Sigiſmundus primus, Poloniæ Rex, licèt cunctator vt in alijs rebus, ſic & in hac haberetur, hoc bellum contra Turcam non cenſuit neceſſarium? vel ante Ludouicum, Hungariæ regem, à Turcis interfectum, cùm annis ab hinc octoginta Bidgoſtiæ comitia celebraſſet. Quod idem ſeptennio pòſt, publico Comitiorum decreto, in eius belli vſum grandi ære imperato, non dubitanter Cracouiæ confirmauit. Age, an & ipſe Carolus V. Cæſar, bellatorum ſua ætate maximus, Tunetum verſus contra barbaros profecturus, ad ſuos Arragonios Menzonum veniens, animi eorum ad ferendam ſibi opem commouendi ergo, macilento equo vectus, & veſte mutata non publicè apparuit? & an Ferdinandus Romanorum rex, eius frater, Hungariæ & Auſtriæ cladibus apud imperij ordines graui oratione exaggerandis in Spirenſibus Comitiis & ipſe nō fleuit, & quàmplurimis lachrymas non excuſsit? Sed proni, miſerum me, ad vlciſcendos ferimur ſocios: vix verò vel lachrymis aliquid damus principum maximorum. Sic videlicet etiam olim in rebus, quod dixi, maximè ſeriis iocabantur Græci: ſic ſuis pereuntibus vrbibus, ſtabula porcorum amiſſa appellantes,

pende-

pendebant omnia apud ſe flocci: ſic poſtremò, quando quid Matthiæ regis tempore in Buden.Hungarorũ Comitiis de Turcis nuntiabatur,ne pecunię imperaretur,Slauonica noua dictitabant Hungari: ſic poſtremò quoties olim Petricouiæ in Conuentu de Tartaris aduentantibus increpuerat rumor: Rußica & Podolieñ. noua & aulica artificia ad emungendos ciues pecunia ipſi teſtabantur ſæpè Poloni. Quò autem hæc reciderint, & recaſura adhuc ſint, dies docebit. Periit quidem tota Græcia, periclitatur magna ex parte Hungaria, non eſt ſine periculo & Polonia: Vſu interim, quod plerumque fit,euenit; vti in ſeruitute ſint abiecti,qui in dominatione fuerunt faſtidioſi; & qui barbaris aliàs fideliores, his demũ ſemper barbari infeſtiores. Qua re demonſtranda, non niſi pauca & recentia adducam exempla: & Deum Opt: Max: rogabo: vt nunc & in poſterum videamus pauciora. Proditum eſt literis, cuius tamen rei penes auctorem fides eſto,Venetæ claßis præfectum,antè ſexaginta circiter annos,Turcicæ claßis præfectum alterum monuiſſe, Ambraico ſinu educta claſſe,Ionio mari vel quàmprimum excedere ne grauaretur, propterea quòd Andreas Auria, Caroli V. claßis præfectus,magno apparatu fretus,contra eũ nauigaturus,& omninò victoriam de eo crederetur relaturus. Paruit præfectus Turcicus: verùm Solymanus Turcarum ipſe dominus,qui alienæ potentiæ metus gratia, non ſuorum commodorum cauſa illa conſilia data coniecturabatur, non ita multò poſt, leuiſsimis quibuſdam de cauſis, bello contra Venetos decreto,Corcyra ipſorum Inſula longè lateq; vaſtata, & Inſulis Cycladibus direptis,negotiatoribuſque Venetis,toto Turcico imperio,cum vniuerſis eorum opibus & pecuniis in prædam datis, Nauplij & Epidarici conceßione, & duobus denique in Dalmatia caſtellis, Nadino & Lubiana eos mulctauit. Quibus illi damnis nihilo cautiores facti,cùm inito denuò cum Turcis fœdere Barbarorũ coluiſſent amicitiã.En vidim⁹ Cyprio regno perfidiosè capto, quo eorum,quas tantas in illo regno habuerant opes, & ciues reciderint, lugere certè cum lugentibus Chriſtianis, quàm gaudere cum triumphantibus de nobis, paulò antè Turcis proculdubiò præſtitiſſet: melius namque domum arida, quàm ex Turcica victoria virida folia reportare. Viſi Cyprij quidam ſunt proceres poſtremò in Genueñ.quondam Colonia Theodoſię, longè à patria amandati,qui veluti extra omnẽ aleam poſiti,ac Ottomanorum amicitiæ ſpe,ſibi ipſi præfidentes, inauratis ſtipati comitibus, equiſque vecti ſpumantibus,tantùm non in ipſa irruebant fana, ad valuas templorum humi iacebant proiecti, ſtipem poſcen-

tes exporrectis manibus, & omnia quæ increpuissent circumspectantes tremebundi. O subitam rerum & temporum conuersionem! O conditionem mortalium miserandam Nollem verò amplius eius generis commemorare plura, aut infelicitatis cum Turcis Christianorum exempla repetere antiquiora, sed identidem ad eadē recurrit oratio. Quis enim Palęologorū Gręcorū? quis Comnenorum Trapezuntiorum imperatorū familiam? quis Despotum Seruiæ Bulcouitiorum, quis in Hungaria Sepusiorum Comitum domum propterea extinctam non dicat & sentiat? quod quantò Ottomanis fideliores, tantò vel eo ipso videri & esse volebant multis Christianorum formidabiliores. Nihil autem est debilius, quàm fama potentiæ non sua vi nixæ, & præsertim barbaricæ. Ac memorabile imprimis fuerit, quòd in Byzantina olim accidit expugnatione. Iussi sunt primùm qui nobiliores, nec scio si non & addictiores Ottomannis fuerant, conuenire in forum gregatim omnes, & à reliqua multitudine seipsos separare, quod omninò omnibus ijs rebus, quas vel antè habuerant, non cariturі dicerentur. Ibi cùm vt imperatum fuerat cōuenissent, contrucidati ad vnum sunt omnes, & bona ac possessiones ipsorum fisco Turcico applicatæ. Hem fidem & imperandi æquitatem. Nimirum intelligis, si nobilitatem suam afferentem, sub se viuere vel aliquem hi Turcici tyranni patiantur, qui vnum Deum in cælis, & vnum Cæsarem Turcarum in terris, coli, & neminem alium dominum dici vel agnosci debere, passim & vbique imperant atq; testantur. Quod cùm ex multis alijs rebus, tum vel ex illis Hieronymo Lasco Palatino Siradiensi aliquando in Turcia datis responsionibus facilè est colligere. Is enim sine literis præsidij, sex vel septem comitatus annis ab hinc circiter septuaginta, cùm à Ioanne Sepusio Hungariæ rege Constantinopolim aduenisset, ab Imbraim Purpurato, & Ludouico Gritti, Ducis Venetiarū filio, illa & plura superbissima verba, quæ non inuitus hoc loco afferam, toto integro mense Decembre tractandis negotijs sępè audiuit: Vnus Deus, inquit, in cælis, & Soltan Soleimā vnus dominus colitur in terris. Montes Christianorum, vngulis equorum nostrorum in planiciem deducemus. Turcæ breuia habent dicta, sed longas manus. Non potest melior esse commoditas, tertio, quam cùm inter se concertauerint duo. Facilè ex puteo aqua extrahitur, in quem non influit. Turcæ habent magis aduncos vngues, quam falcones. Ad hæc verò, & similia Illustri viro Lasco, liberius aliquid dicenti: Loqueris, inquit, tanquā tria capita in sacculo attulisses, respondebant. Quo tumore animi & confidentia sui,

cùm

cùm ſemper Turcæ fuiſſent, mirum eſt, fortunã, quæ ſibi vna omnia vendicat reſpondiſſe, & hunc tyrannicum & loquendi & agendi Turcicum morem, & dominandi per omnia acerbitatẽ, in meliores præualuiſſe. Sed vaſto & Tyrannico regendo imperio, haud dubiè crudelitatis quã exẽpla valẽt plus lenitatis. Ac pulchre olĩ Carneades de regum & regnorũ iure & poſſeſsione apud Romanos diſſerens: Si, inquit, ſemper iuſtitiam ſpectare Romani vellent, ad reſtim (quod aiunt) ad caſas quidem certè res eis redituras. Quæ ſi Romanorum dominandi fuerat olim ratio, quid non ſit hodie barbarorum? qui adeò Mahometis ſui lege, quò plures Chriſtianos occiderint, eò plura ſacrificia ſe præſtare Deo ipſi opinantur? Malo enim fundamento poſito, peius ædificiũ: & peruerſo ſuſcepto dogmate, infinita ſequuntur monſtra errorum. Itaque, quæ ex vna illa Turcia, nos noſtraque omnia pericula manent, conſideremus accuratius: & non illius Philippi Macedonis inſtar ſimus, qui magnam aliquando ex Italia in Græciam tempeſtatem aduentantem præuidere ſe teſtabatur, & nihilo tamen minùs, cùm maximè potuiſſet, non occurrebat tempeſtati. Et erit alicui dubium, ſi paulò adhuc ampliùs, huic tam ſeriò cùm Turca gerendi belli indormierimus negotio, quod Carneades dixerat ad caſas nobis eſſe redeundum? Modica inclinatio temporis, quantã obſecro inter ſe parit commutationem voluntatis? Quo minus interpoſuerimus moræ & aliarum occaſionum expectauerimus tarditatem. Res ipſa nos docuit, quã ægrè, quàm tardè, quanto cũ metu, ſcrupulo, & ſuſpitione inter Chriſtianos fœdera ineantur; cùm vel vnum illud, ſub Pio V. Pont. Max. quàm ægre percuſſum ſit, recens ſit memoria. Quòd adeò ipſum nobili de Turcis triumpho inſignitũ, nihilominꝰ ſubitò eſt diſsipatum. Et haud ſcio an interim Turca cautior, & potentior in nos ſteffectus; crudelior quidẽ certè. Ab irritatis namq; belluis, morſus ſunt grauiores. Nobis verò tàm immenſus ſumptus factus, tàm magnus ſanguis profuſus, tantus labor ſuſceptus quæro, nũ vel vnica gleba terræ eſt compenſatus? Et tamen rebus ad eum modum iacentibus, quid enim ſtantibus dixero? gloriabitur non nemo, cùm voluerimus fore de Turca nos ſemper victores. Egregiè ſanè: vtinam ſaltem non eo modo atque ratione, quo Palæologus ille de Andrinopoli capta accepto nuntio olim eſt gloriatus. Præſtare quidem aliquid poſſemus, ſi in communionẽ temporũ nos noſtraque omnia alacriter conferremus. Et his fœderibus ineundis, tantum quantum par fuerit ineſſe vellemus firmitatis. Quæ dum percutiuntur, quàm plena omnia ambitionis, quàm fucatæ &

ad tem-

ad tempus aſsimulatæ ſunt amicitiæ, perſpicuũ eſt: quàm perçquè vicino noſtro, quo cũ nobis vel nimina aliquando intercesſit offenſio, quàm vel hoſti iurato & hæreditario parum admodum fidimus, & nos noſtráq; concredimus illibenter, & denique quàm inuiti & reluctantes & extrema tandem neceſsitate adducti in hoſtẽ, at qualem & quantum ? domo parumper egredimur, corporibus magis quàm animis ſociati. Quidam enim bello ſumptibus faciundis, arte exhauri viribus imbecilliores ſinunt, & rurſus alij ita perire hoſtes vellent; vt nec ſocij etiam noſtri victores remanerent. Quæ cùm ſtare non poſsint, ſic his fœderibus tanquam quibuſdam luditur fidibus, & priuata vtilitate non publica neceſsitate ea metimur. Age enim, illud ipſum, de quo ſub Pio V. Pont. Max. dixi fœdus, quàm diu, quàm variè, quàm multipliciter tractatum fuerit videamus. Et quàm deniq; anxiè, & quaſi quibuſdam ex ſcopuloſis cotibus tandẽ ex ea conſultatione eſt enauigatũ. Petebãt Hiſpani, à regis ſui nutu, & imperio pendentem eligi imperatorem. Et quidem his vel potiſsimis ad illud efflagitandum rationibus nitebantur. Primùm quidem, quòd maxima omnium Philippi Catholici Hiſpaniarum regis futura eſſent auxilia. Deinde, quòd & illius imperium tam magnum & exaggeratum, & tot tantorúmque regnorum gentium nationúmque in eo magnitudo, vnum aliquem ex ijs quàm ex alijs eligi Ducẽ potiꝰ poſtularet. Accedebat, quòd in tanto tanti reges imperatore, ſumma futura eſſet auctoritas, qua magna & grauia quæque bella geſta & confecta fuiſſent, præſertim cùm ea fama conſtent ſemperque conſtiterint, & ſummæ rei clariſsimi nominis & ſeminis aliquo præſidente, & ipſum potentiſsimum totius Europæ regem totis viribus bellum eſſe aggreſſurum, pro ſe quiſq; facilius coniecturare poſſet & deberet. Non enim niſi magna magnos præſtare oportere. Ex aduerſus verò ſuum eligi, & renunciari ducem, Veneti impenſiſsimè flagitabant: quandoquidẽ ijs & non alijs, tam graue & periculoſum bellum, potiſsimum intentaretur: & omnia plena armorum & calamitatum in ipſorum regno ſpectarentur. Turca etiam ipſe magis ipſorum quàm aliorum hoſtis eſſet grauiſsimus, qui toties abruptis cum ijs fœderibus, regnis, quæ hoſtilibus armis magis eſſent expoſita, perpetuò eorũ inhiaret. Quod ſatis ſupérque non iam verbis ſed rebus ipſis eſſet declaratum. poſteaquam Nicoſia præcipua regni Cyprij vrbe capta, ad conſultationem de hoc ipſo ineundo fœdere fuiſſet ventum, cum Chriſtianæ Reipub. maxima gloria, ac proculdubiò & incremento. Quid, quòd & in ijs partibus bellum geri oporteret, quarum

oras

oras,ſinus, portus, Veneti quàm alij ſocij magis haberent exploratos,& quòd maior ipſa Venetorũ,quàm aliorum claſsis futura eſſet ſociorum. Qua ij, qui Turcis nunc parent, demum conſpecta, ad arma excitari poſſe, & vexilla,ſub quibus aliâs etiam militabant,ſequi debere facilius crederentur. Noti enim notis alacrius aggregantur. Poſtremò commodius rebus maritimis præfici eos, qui in mari nati, & maritimę militiæ aſsuefacti, & armamentarijs ad naualia prælia copioſis inſtructi,bonam & vtilem operam viderentur nauaturi. Exercitus enim ſeipſos exercitãdo,& Reſpublicę maritimas res,diu multumq; tractando, efficiuntur auguſtiores. Res demum tota, Pont. Max. iudicio & auctoritati permiſſa, ſcimus quem exitum fuerit ſortita. Ego autem,non alia de cauſa vel hæc omnia hoc loco commemoro, quàm vt iſtam fœderum ineundorũ difficultatẽ ſciamus, & ſemel in ictis diutius perſiſtamus. Nihil ſanè eſt leuius, quàm ſæpius paciſci & abrumpere inducias, nunc bellum, nunc pacem poſcere, & ſummis decernendis rebus, vel de minutiſsimis quibuſque diu inter ſe diſceptare. Vnus, inquies, homo cunctando nobis reſtituit rem.Benè habet quidem: ſed præter quòd fuerat vnus,tu ſi in omnibus & per omnia non fueris eũ imitatus,& ipſum cũ alijs,ſi nõ iuuerit tẽpus, & exitus cõſilio ipſi⁹ ſimilis,qui tibi contingat vel maximè expetitus? Nihil eſt præceps & lubricũ magis, quàm exẽpla ſequi, ſi prorſus ea, quæ ſequere aſſequiq; cupis, omnia nõ ſimillima fuerint exemplorũ. Vtile fateor,& quaſi quodammodo eſt neceſſariũ, dũ de grauibus deliberatur rebus,in acrẽ diſquiſitionẽ multa poſuiſſe. Audire,ſed nõ exaudire peręq; ſingulos, & rerũ,temporũ,perſonarumq; omniũ momenta exactiſsimè ponderare. Multarum namq; rerũ diligens indagatio, coniecturam & deciſionẽ affert de rebus certiorem. Verùm,vt quidem & conſultes,&deciſa exequare diu,hoc videlicet,non tã boni conſilij amantẽ,quàm amentem te monſtrauerit. Hinc illud olim Budæ,in marmoreo inciſum lapide, notabat non neminem, longum conſilium vicinorum, perdidit florentiſsimum regnum Hungarorum. Et neſcio quis eius regni procerum, ad externi auxilij rationem, ſimilitudine aliqua effingendã,catafractum equitem,cancro inſidentem depingenbat; & alter item mendicum cruentis pedibus ſtipem poſcentem, penicillo volebat adumbrari, qui pecunia in Chirurgum, à prætereuntibus impetrata,in caupona conſumpſiſſet. Quibus ego de rebus, rectené vel ſecus factæ prolatæue fuerint, iudicium mihi non ſumã;ſed illud vnum dicam,non oportere nos ſemper omnium moueri peræque vocibus, cùm aulæ,caſtra, & infer-

nus,plenæ ſint querelarũ,& meminiſſe nos debere,Deum ſolũ eſſe perfectiſsimum: nec omnia in inuidiam vocanda regũ & principum maximorum; qui ſi non eſſent,nec iſti,qui ſibi in eos iudiciũ ſumũt, forte extarent. Noſſe autem vel ipſos per ſe,tantùm abeſt,vt admoneri aut certiores fieri de ijs debeāt,errores noſtros Mahometanos. Sed vel ſuos etiam ſæpius nõ vſquequaq; habere exploratos. Cùm, (vt verbis poëtæ vtar) Ilyacos intra muros peccetur & extra : nec quidquam ſit aut ſub ſole fuerit,omnibus numeris & partibus abſolutum,præter quòd Mahometani vno illo ſuo obediant capiti;nec ſit, quod aut ab inſtituto eos remorari, aut in diuerſas diſtrahere partes,aut noſtras in eos pertimeſcere artes magnopere faciat,quos ſciunt ſociari quidem aliquos aliquando potuiſſe, ſed tandẽ in illo ipſo fœdere non diu admodum & firmiter perſtitiſſe. Præteritorũ namque tenax memoria,nequaquam coniectura falſa ſępè eſt futurorum. Age enim: an fortè eorum,quæ nuper acta ſunt, cepit eos obliuio ? vt neſciant quàm lenti quàm tepidi fuerimus, his ſimilibuſq; fœderibus in noſtros religioniſq; noſtrę hoſtes feriẽdis?Diem certè de die expectauimus: pactis conuentis non peræque ſemper nec vbiq; ſtetimus; & haud ſcio, ſi iuſta aliqua de cauſa, illa rurſus pacta violauimus impotenter. Vellem autem,vt rei tàm odioſæ & aliâs defuiſſent exempla, quæ in omni memoria reperiuntur etiam opinione plura. Sed an & ſub Eugenio IIII. & ſub Pio II. & ſub Paulo III.Pontificibus maximis,hoc idem factum non reperias?Ac poſtremò ſub Pio V. quàm turpiter illud abruptum fuerit, de quo dixi,fœdus,quid nobis in memoriam non reuocemus ? quod Franciſcus Comendonus,S.R.E.Cardinalis,eiuſdem Pont.Max legatus, præter Hiſpaniarum regẽ & Venetos, aliorũ quoq; regũ ſocietate debebat auxiſſe.Verùm,cùm primùm ad Maximilianum Cæſarem, & ad Sigiſmundum Auguſtum Poloniæ veniſſet regẽ, tractãdo fœderi omnia opinione reperit duriora. Nam nec quidem Cæſarem ipſum Hiſpaniarum regis,qui in fœdere fuerat,patruelem fratrem, ceptæ cladis in Hungaria memoria,neq; Giule & Segeti ammiſsio, neq; regem Poloniæ,tot à Tartaris, Turcæ emiſſarijs, ac recens accepta detrimẽta, neq; Bogdano Valacho in auitũ principatum reducendo,Polonorum cùm Turcis adChoczimũ velitatio,neq; poſtremò tot tantaq; permouerũt alia; vt Reipub. laboranti auxilia dare,quàm nunc hoc,nũc illud cauſari potius viderentur,cùm aliâs facilè iniquis conditionibus proponendis,etiam iuſtiſsima eludere ſit poſtulata. Quibus tamen ego conditionibus particulatim enumerandis non immorabor ſanè diuitius: ne noſtra noſtrorũq; ſo-

ciorum

ciorũ vulnera velle videar refricare. Sat ſit dictum,ſi hac veluti declinatione quadam,tàm potentes illi principes tũ temporis minus vti voluiſſent,& eos,qui maritimis copijs impetebant hoſtem, maturè adiuuiſſent,debellari cùm importuniſsimo tyranno proculdubiò potuiſſe. Ancipiti enim contentione diſtracti, & terra mariq; pariter tandẽ infeſtati, vel potentiores quiq; ſunt collapſi. Verùm (ita plerunq; fit) vt conſilium dare ſoleant plures, ſumere periculũ velint pauciores. Et vt olim,dum Romæ conſultabatur, Saguntum fuit expugnatum : ſic & noſtrum fœdus in nihilum ſit redactum,ac regnum interim Cyprium Turcæ relictũ deuorandum:& ſicuti deniq; olim de diuinatoribus dicebatur Romæ,quòd hominum illud genus ſemper improbare,& nihilominus in vrbe retineri multi con ſueſſent; ita neſcio, ſi non ad noſtra quoq; id adaptari poſſet ingenia, qui imminere nobis, omnes & promiſcue à Turca periculum ingens clamamus;at quo modo periculo illi occurri poſſet,& parũ, & pauci cogitamus. Noſſe autem & non proſpicere malis,ſummæ eſt fatuitatis. Quæ cùm ita ſint,& cùm in bellis bellorumq; expeditionibus omnibus, quò minor iuſtitia, eò malorum quàm bonorũ maior quædam animi ſit contentio,dubitabimus;vt quidem neceſſitatẽ grauẽ,ſic non minorẽ,his ſocialibus in Turcã fœderibus percutiendis eſſe futuramq; ſemper difficultatem. Sed non propterea tamen abijciendum eſſe animum, imò ad vnum illum potiſsimum ſcopum, Turcæ ex Europa pellendi perpetuò collineandum. Quid enim eſt, quòd omnibus omnium Chriſtianorum regum & principum, animis & viribus ſimul iunctis, ſuperatu ſit incredibile ? quid audita eorum concordia non maximè hoſtes metuant ? quid non extimeſcant ? quid non triumphum nobis de ſe, atque victoriam largiantur ? Ferunt Ludouicum Bauarum Cæſarem creatum, contra ſuum imperiique ſui æmulum Fridericum Auſtriacum, quem & prælio tandem vicerat, quoties in exercitu fratrem ipſius eſſe ſciebat, dimicationis periculum ſubterfugere conſueuiſſe, propterea, quòd arcana quadam naturę lege, fratrũ concordiam perrumpi non poſſe aliquando audiuiſſet.Quid verò Turca non metueret, nõ vno aut altero in exercitu fratre, ſed congregatis contra eũ pluribus, nec tantùm ſanguine ſed religione, quæ à religando dicitur, veluti adamantino quodam nexu & ſocietate copulatis ; nec ſimplici aliquo,ſed Deo Opt. Max. duce, non nudius tertius ſummæ rei præpoſito, ſed antiquiſsimo illo & inuictiſs: bellatore,cuius aliquando in Alligeriana expeditione, inter duces ipſius de principatu controuerſia orta, manu crucifixi imaginem geſtans, & con-

ſcenſa, claſſe in triremi ſtando nudus, & pelle quadam inuſitata, inſtar præcurſoris illius & natorum in mulieribus maximi indutus, gerere vicem ſe, Carolus V. Cæſar non dubitanter proclamauit? Optata quippe in exercitibus veniunt multa, ſed nihil vnquam præſenti numine fuerit optatius. Quid? nonné legimus, quomodo olim Beſsarion ille, purpuratorum patrum ſui ſeculi doctiſsimus, & qui magna eorum, quæ Græcia à Mahomete Turca tulerat, pars calamitatum fuit, Chriſtianos reges contra Turcas animando, Turcā lupo dicit eſſe ſimilem, qui diſcolores vel infinitos canes non metueret, vno pilo aliquibus conſpectis fugam protinus adornaret? An igitur vno in hunc lupum canibus pilo, & vno non opus erit Chriſtianis in talem tyrannum animo? & vna denique omnibus non expedit eſſe religio? Et qui deniq; vno cum altero ſit ſocietas fida, ſi infida cum Deo fuerit? & quæ in caſtris concordia, ſi domi nulla conſtiterit? Pius V. Pont. Max. quid nuper non fecit talibus fœderibus inter principes feriundis; & tamen vix tandem aliquid (quanquam & illud ipſum contemnendum non erat) effecit, ac ab vno illo Hiſpaniarum rege Catholico, cui de ſua ætate demptis annos addi diuinitus voluit, & à Venetis plura quàm ab alijs omnibus auxilia obtinuit, & à reliquis Italiæ regulis & vrbibus duodecim peditum, & duo equitum millia impetrauit. Quid autem & hodie iam ſperemus, & quid ex aduerſus, ſi vna mens vnaque eſſet religio, non expectemus? & quid denique à Pont. Max. non fieri eius rei cauſa debere iudicemus? tanto religionis zelo feruente, tanta omnium veteris ſanctitatis exemplorū veſtigia exprimente, tanta deniq; exitia Hungaria nobiliſsimo totius Europæ regno patiente? Habent ſuas laudes Pontifices multi, maiorem, quam ſub quo aliquid contra religionis hoſtes geritur, habiturus eſt nemo. Præeſſe denique non ſubeſſe Romam Deus Optimus Maximus perpetuò voluit Romano Pont. Petro, & eius ſucceſſoribus, magis quàm olim Romulo: nomen eius illuſtrauit Germania imperij maieſtate, & rerum geſtarum gloria perpetuò viguit: Hiſpania, poſt tot annorum centena à Mahometanorū ſeruitute in libertatem ſeipſam poſuit: Polonia, id, quod antiquitus dicitur, re & veritate Chriſtiani orbis propugnaculū eſſe ſemper cupiuit: Aliud poſtremò alio magis Chriſtianū regnum, ſuis, maiorumq; ſuorum in Rempub. meritis, commendari ſemper deſiderauit. Quid igitur obſtiterit, quò minus eodem in vnum fœdere ſociata, bellum in Turcam moueant? quo minus ſe ſuaque defendant? quo minus ab imminenti & extremo excidio ambuſtas iſtas reliquias & prouincias tueātur? Italos ad decus

& digni-

& dignitatẽ nata excitauerint ingenia: Germanos veteris illius maiorũ constantiæ & fortitudinis gloria: Hispanos Mahometanæ seruitutis memoria, Polonos auorum pietas & vigilantia, qui aliquando vel vna illa Theodosia Ligurum Colonia capta, ad arma contra Turcas toto regno clamârunt, & Rhodo expugnata, cum suo rege Sigismundo vestem mutârunt: Gallos, Anglos, Scotos, Suecos, Danos & Moschos prætereo; qui tamen & ipsi vident, & aliqui eorum experti sunt, Turcam apud eos regnare & in immensum dominari voluisse, & deniq; quantò plus occupare, tantò minus satiari. Anus namque & auarus, semper queruntur. Tenet Turca Orientem, Occidentem petit; habet Austrum, Aquilonen tendit; nec quiescit, donec æternûm conquiescat: Regnum hodie vnum capit, cupit cras alterũ: & alius alium hac in parte imitatur magis Ottomannũ, licèt interim suspectus pater sit filio, & hic insidias struat genitori suo, & omnia in eorũ familia fœteant parricidio, & fratricidio detestando. Quò magis resistendum est Mahometanis armis, obuiã eundũ expeditis copijs, infringendus eorũ est conatus, iunctis simul viribus atq; animis; vt terra mariq; Turca petitus, sedes eius Constantinopolis, à Christiana classe, à Polonico, Hungarico, & Germanico exercitu Andrinopolis, ab Italico & Hispanico Epyrus, & Macedonia, vno eodemq; tempore concutiatur, & demum, tàm ab externo quàm ab interno hoste, totum imperium euertatur. Facilius hæc dici quàm fieri inquies. Non nego: sed neque etiam factu incredibilia esse libere dixero, & multò difficiliora paulò post futura affirmabo. Præstat ergo serò quàm nunquam contra hostem aliquid agere, & quæ commoda esse debent, ardua & difficilia licet statim tentare. Publicum malum, priuato nascitur lucro: & rursus bonum publicum, priuato sustentatur incommodo. Ibant olim, minoribus moti periculis, tot & tanti Christiani in Asiam, & diuenditis patrimonijs suis, nullo fere præeunte duce, nullo subministrato commeatu certo, nullo delectu militum facto, tot tamque admirabiles res pasśim gerebant. Iam verò, si vetustiora repetamus, an vno illo prædandi & latrocinandi studio, Gotti Italiam, Hunni Hungariam, Vandali Hispaniam, Saxones Angliã, Slauones non inuaserunt Germaniam? & pro Christi gloria suaq; & suorum salute nihil facient Christiani? copijs fortibus aucti, ducibus eximijs freti, iustitia causæ nixi, ære & commeatu locupletati? Nunquam in barbaros defuit Christianis animus. Quid in tanta æquitate deesset & triumphus? Certum est dimidia Christianorum parte, Turcarum constare imperium, si imperium dixeris, quòd

omnis generis ex fugitiuorum grege,& prædandi concreuit impunitate. Quid? an in vna illa Constantinopoli, præter quatuor millia vicorum, in quibus Christiani tantùm habitant, Græci & Latini ritus Ecclesiæ non reperiuntur plurimæ, in quibus publicæ ad populum conciones audiuntur, & omnia denique sacrificia atq; Cæremonię, quorũ aspectũ, non secus ac noctuę solis, nec quidẽ Spartaci ferunt ipsi, magna cũ solennitate celebrantur. Ne enumerem non millena, sed multa millium eorum centena, qui partim eiurata, partim etiam seruata religione, patrem, auum, proauum, Christianos habuisse se meminerunt, & ad vnam IESV CHRISTI nominis mentionem taciti ingemiscunt. Quorum tantus est numerus; vt in vna Epyro, Catholici ritus vltra centena Christianorum constet esse millia, tantundem verò in Slauonia, in Ducatu Sabæ & Herzegouina nuncupato. Mox verò & in Mysia inferiore atque superiore,& ad ripam Danubij, hominũ millia penè ducenta, tanti roboris & proceritatis, vt non ambulare sed equitare eos diceres, & à paucis centenis millia hostiũ profligari posse iudicares. Daciam hoc loco prætereo, quæ ad ipsum mare Ponticum protensa, vnà cum Thracia, vix credibile est, quot & quantos habeat Christianos; & quæ semel commota, non est facile quietura; imò exemplo ad capienda arma vel alijs futura, cùm fama vulgatũ sit, vel quàmplurimos alios in Turcam excitari. Vt enim ad incendium sic & ad tumultum, non tàm vt extinguant, quàm vt prædentur, certatim plures accurrunt. Nihil denique de Mahometanis ipsis,& eiusdem superstitionis populis, qui Turcico nomini & semini sunt infestissimi, loquor; de Cordis in Asia, de Turcomannis,& ex sanguine Gallico Drusis, in Africa de Arabis, Mauris, & id genus alijs, qui Christianis in Turcam arma capiẽtibus pręsto essent, & quotquot in Turcia Christiani sunt, euestigiò se ijs aggregarent. Vos tantùm, vos expectant alios, vestram fidem, vestra auxilia implorant, vobis se taciti ostentant, ad vos supplices manus tendunt, vestras dexteras, tàm in prælijs quàm in promissis seruãdis firmissimas, sibi iungi, sibi auent sociari. Nolite committere, vt tot tandem tamque diuersis & opportunis locis, temporibus, occasionibus, spe à vobis elusi & frustrati sua, ea arma, quę hactenus contra vos tulerunt, coacti tandem adeò etiam acuant & stringant in vos desperati: & quibus renuitis lætari socijs, eos experiamini hostes: & quos non vultis participes esse libertatis, patriæ vestræ habeatis euersores. Vereamini & alios, quos adhuc sarta tectaq; conseruare videtis sua, quotquot sunt Christianos; ne aut desperatione fracti, aut necessitate aliqua adacti

adacti, aut victoria de Turcis potiti, & in vos tandem irruant, aut aliquid eiusmodi contra vos domiciliaq; vestra moliantur. Diuturnũ enim inter nationes odiũ, iusto aliquo dolore conceptũ, excitat tandem belli & armorum incendium non ita facile extinguendum. Videtis, quæ rerum & temporum quotidie maior fiat inclinatio: quanta lignorum ad ignem & magis aucta strues, sic malorum ad euertendam Rempub. congeries, indies grandior semper euadat. Huius Turcæ pater, planè erat ineptus ductandis exercitibus in expeditionem, quid bellum fuisset, vix sciebat: progredi & regredi in eo ignorabat: Purpuratos prætorianos, & Spahos suos occultò metuebat: decies centena hominum millia, in Perside contra hostem obtriuerat: magnum equorum armentorum, armorum, & bombardarum numerum, disperdiderat: omnia denique tam domi quàm foris reddiderat suspecta, & quodammodo ad interitum iam prolapsa. Quibus omnibus non obstantibus, quanta nihilominus eo viuente Ottomanico imperio facta sit accessio, quot & quanti coaceruati thesauri, quàm longè fines prolati, quis ignorat? Iam verò successit ei alter, & successit quidẽ, non solùm in dominationis, sed etiam in Ottomanicæ crudelitatis hæreditatem: qui vel Nerone ipso immanior, & Saracenis crudelior, à matris & fratrum nece imperium suum auspicatus, circiter triginta homines diuersi sexus, vna fere die crudeliss. sustulit. Feratum suum præcipuum purpuratũ, & duos Beglerbegos, Natoliæ vnũ, Romaniæ vulgò dictæ, alterum interfici curauit. Præfectum prætorianorum tàm præclare de se meritum, & nescio si non sanguine sibi iunctum, iugulauit: & deniq; summæ spei adolescentes duos, in Valachiæ Cisalpinæ vnum, in Transalpinæ alterũ principatum, ius nescio quod prætendentes, naribus & auribus mutilari iussit; ne amplius ad eam dignitatem aspirarent, quòd ob mobilia eorum totiusque gentis ingenia, illis prouincijs, tanquam quadam Traciæ cella, priuatum se esse quereretur. Negociatores postremò externos Italos, Armenios, Iudæos, & diuersi generis alios captiuos fieri, & in durissima vincula coniici fecit, atque magna prætia redemptionis ab ijs extorsit, in vsus bellicos conuertenda. Cuius quidem belli apparatus maximos fieri nemo dubitauerit, & non iam alios, sed ipsum Cæsarem bellum gesturum, ac exercitum ducturum in expeditionem. Qui tamen idem, vt omnium tyrannorum mos est, ad cuncta, quæ increpuerint se suosque vertit: metum non fidum nec diuturnum magistrum officij esse meminit: Mahometanæ legis finem instare iam audit: miracula quorundam anguium, & alia alij generis edita

vidit,

vidit,& deniq; suum suorumq; omnium finem & conuersionẽ cum horrore circumspectat. Adeste igitur Christiani animis,& mutuam omnes nauate vobis & Reipub. operam : imploretis diuinitus opẽ, & sperate victoriam, aderit ille certò vobis, qui nunquàm defuit, nec defuturus est suis: redibunt illa felicissima tempora,quibus aliquãdò in Asia condebãtur à Christianis regna: redibũt,quibus lup' cũ agno habitabit secula: omnia perpetuò metu & suspitione liberabũtur nostra: auertẽtur quæ animus meminisse horret, Reipub. funera; cùm pro se quisq; patriam iuuerit, ornauerit, auxerit, & secus agendo, suum interitum certum certò venturum sibi persuaserit,nec deniq; ab eo,qui fraude & insidijs omnia aggreditur,fęcialẽ duxerit expectandũ; qui Venetis,Corone, Metone,Cypro ereptis, Despotis,Rascia & Bulguria ademtis,Pallæologis Græcia,& alijs alia re & possessione spoliatis, Austriacis quoq; regib' Hungariã eripere astu & vi cõcupisci.Quę iura, libertas,si nihil vos permouerint, peribũt quidẽ,quod absit Hungarorũ reliquiæ,sed pariter quoq; sedes,fortunę,liberi,&coniuges,periclitabuntur vestræ:Turca externis auxilijs excludet, & adorietur vos vndequaq;: & vereor tandẽ, ne sera illa imprudentium excusatio, in ore vestro tandẽ versetur: Non putâram. Quæ si nihil Græcos, nihil Illyrios, nihil Epyrotas, nihil Cyprios, nihil iam adiuuat Hungaros; quid iuuaret & Christianos alios, qui veluti partim vi tempestatis, partim incuria gubernatoris naufragi facti, amentiam & discordias suas serò admodum deplorarent, & nihilominus vellent nollent Turcicam seruirent seruitutem; quæ nec cum Romanorum in exteras gentes imperio, neque cum Assyriorum dominatione, neq; cum Græcorum principatu potest conferri? Proinde misereamini tandem Reipub. misereamini conditionis vestræ futuræ, misereamini vestrarũ sediũ & domiciliorum, misereamini sociorum, diminutionem Christiani imperij factam, tot Regum regnorumq; ruinam, vastitatẽ vrbium, excidium ciuium,animo contemplamini, & maiora adhuc Reipub. funera atq; exitia,nisi his malis occursum citò fuerit,propediem expectate: foris,non domi,in acie ad dimicandũ parati,nõ velata facie ad risum commouendũ personati, in hostes nõ in conciues vestros arma induite: & deniq; non ad diffundendum,sed ad defendendum Christianum sanguinẽ enses vestros distringatis: Satis superq; est lusum,si modò dici debet lusum,& nõ fusum,sanguinis potius est Christiani. Quid restat, quàm vt hæc tandem aliunde retexatur tela, & ab hac tàm præpostera velificatione aliò vertantur mox vela. Sera & seria sunt ista secula: concurrunt vndiquaque omnia, ipsi ea si

quæ

quæ ſunt vrgemus, de quibus conquerimur fata,fatua, quæ obdurauimus corda ad Deum non conuertimus: tot ſectæ tam inter ſe diſſectæ, tot tantæque hæreſes robuſtiores factæ, tot tantæque clades ab hoſtibus noſtris acceptæ, tot ciuiles diſſenſiones paſsim inter nos excitatæ; quid aliud nobis, poſteriſque noſtris,quàm iugum,flammam,ferrum,excidiumq; Turcicum comminantur? cùm gloriæ Dei & ſalutis noſtræ hoſtis, nihil non apertè, tentet & molliatur Sathan: & quod à mille annis per Mahometanos non potuit, hoc denique per hos,& hæreticos,conatur iam efficere,& veræ religionis luce, nos,noſtraque omnia ſpoliare. Noſtrum verò fuerit, vel opponere ſe animoſè omnibus, vel dare vtrique aut alterutri manus, ciuium cruore oblitas, & ſempiternis cruciatibus expiandas. Multa quidem bella aut ratio concordiæ ſuſtulit, aut proſequendi difficultas reſtrinxit, aut tempus & neceſsitas ipſa mitigauit; hoc vnum Turcicum bellum nec ſine periculo poteſt, neq; ſine Dei hominumque iniuria debet vel ſegniter geri,vel ad aliquod tempus intermitti,vel ſicuti grando aliqua in alieno agro pereuntibus ſocijs ocioſè inſpectari.

CHRIS. VARSEVICII,

DE CONCILIO ET CONSILIARIIS PRINCIPIS LIBER.

EX F. FVRII CERIOLE HISPANICO IN LATINVM VERSVS, INQVE LVCEM EDITVS.

CHRIS: VARSEVICII, DE CONCILIO ET Conſiliarijs Principis Liber,

Ex Friderici F. Ceriole Hiſpanico in latinum verſus, inque lucem editus.

CAPVT. I.

PRINCIPIS CONCILIVM, HOMINVM ſelectorum eſt conuentus,ſeu quędam congregatio ad conſilium, in omnibus ei præſtandũ: qui tam bello incidunt,quàm etiam pace; vt tanto quidem facilius recordetur præteritorum,& futuris proſpiciat,& in rebus deliberationibuſque omnibus, proſperum exitum ſortiatur; vt aduerſa interim vitet atque fugiat, aut ſi euitari non poſſunt, quod ad eius fieri maximè poteſt,in id incumbat,ne quid detrimẽti patiatur.Quem eundem conuentum,propter finem, ad quem eſt excogitatus,placuit non nemini Conſilium appellâſſe. Nobis verò iuſtis quibuſdam de cauſis,quas ne prolixi ſimus,conſultò præterimus, Conciliũ dicere videtur non ineptum. Quo tamen non obſtante,pro ſe quiſque,vt rectiùs exiſtimabit,loquatur & ſcribat,cùm hac in parte,Cõcilium vel Conſilium dicere, perinde fuerit. Qua de re omiſſa diſputatione, ad propoſitum reuertamur. Eſt ergo concilium Principi idem, quod omnes ipſius ſenſus, ipſius intellectus, ipſius memoria, ipſius deniq; oculi,ipſius aures,vox,atq; manus ipſius.Populo verò eſt pater, eſt tutor, eſt curator: idem & vterque tam Princeps, quàm & illud eius concilium, perſonam in terris referunt diuinitatis. Quo fit, vt bonum conſilium, quandam veluti integram perfectionem & auctoritatem tribuat ipſi Principi: ſuſtentet & augeat populum: & vterque, Princeps inquã & Concilium, boni, fideles & verè ſint miniſtri Dei. Ex aduerſus verò malum concilium obſcurat, & in nihilum ipſum Principem redigit, & ceu quoddam ſaxum reddit. Quo olim aliquando veteres Romani ſuo Deo termino effingendo

vtebantur. Populus ipſe diſsipatur, & tam Princeps quàm & eius conciliũ,fiunt Deo Opt. Max. rebelles,& mancipia Sathanæ. Quæquidem tales ac tantæ ſunt res, vt neſciam, liceatné in hac vita ſpectare grauiores. Quo magis etiam dies noctéſque ipſis inuigilandum eſt Regibus; vt tale exquirant & habeant concilium, in quo nec vel minimum deſiderari poſſe videatur. Mihi quidem,cui rationem & experientiam, & regulas maximorum rectorũ ſequi placet, hæc ſtat ſententia: Quòd etſi conſilium Principis,non niſi exiſtat vnum, in quantum habeat caput, qui eſt princeps; diſterminari nihilominus in partes multas illud oportere,quæ ipſę non minus quàm pedes, brachia, & alia membra Principi reſpondebunt: quæ, licèt loco, forma, & officio diſparia ſint, vnũ conſtituunt hominẽ; ſic & concilium,quàmlibet,vt neceſſe erit,in multas diuidatur partes,non plus quàm vnum referet corpus,& declarabit vnam videlicet & bonam adminiſtrationem,& defenſionem,cuius caput eſt Princeps, & eius membra diuerſitas conſiliorum. Vnde, qui aſſignare voluerit regulas, & ordinem alicuius boni concilij, cuiuſcunque Principis; ante omnia explicare debet, quot conſilijs indiget: & in quolibet ipſorum, quot conſiliariis, quot præfectis, quot à ſecretis,quot ſcribis opus habere videatur: quas porrò prærogatiuas, & quantum habere debeant auctoritatis: quomodo conueniendum eis ſit, quo loco, & tempore, qua hora, quomodo proponenda negotia, quibus reddendæ Schedæ, quæ vulgò appellantur memorialia: apud quos requirenda reſponſa, qua ratione dicendæ ſententiæ, & alia quàm plurima: poſtremò neceſſe eſt, vt oſtendatur, quo modo ipſa etiam concilia ſe mutuò ad euitandam negotiorũ confuſionem intelligant; & quo pacto tandem concilium in extrema determinatione, antequam ſequatur concluſio,informare ipſum Principem debeat,ad quem omnia neceſſariò referuntur. Me quidem hunc ordinem ſecutum, par erit à prima parte ſumere exordium, qua planum fiat, quot principi concilia neceſſaria ſunt futura. Quod quidem iam dico,nec pluribus quàm ſeptem,nec etiam paucioribus eſſe neceſſe: & vt deniq; diſertè explicẽ omnia,repeto identidẽ inſtituendũ & ſeruandũ ſeptuplex Principi eſſe conciliũ,pro toto & integro eius imperio,negotijs,miniſtris,munere & auctoritate,ſi vult bene & citra difficultatẽ adminiſtrare principatum.Quorũ eorundẽ conciliorum,erit ærarij primũ,& ita quoq;Concilium Ærarij nuncupetur. Cui cura incumbet omniũ prouentuũ Principis,tam deſcriptorum,quàm extra ordinariorum: & quomodo congregare,cuſtodire,tueri,amplificare

ipſos

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET REVERENDISS: DOMINO,

DOMINO GEORGIO, MISERATIONE DIVINA, TITVLI S. SIXTI, S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI,

Radiuilo nuncupato, perpetuo Administratori Episcopatus Cracouień. Ducatusq; Seuerień. nec non Olicæ & Niesviez Duci,&c.&c. Dño semper colendissi°.

QVi non modò suo marte edendis, verùm etiam aliorum bonis conuertendis desudant libris, næ haud illi ineptè fecisse, & oleum (quod aiunt) operamq; videntur mihi amisisse. Alienæ enim lucubrationis versio fidelis, cùm vtilis est multis; tum tuæ ipsius opinionem præbet omnibus, & argumentũ nauitatis. Quo magis hunc Ceriolam Hispanũ, Latinè à me versum, & sub tuo, Illustriss. Princeps, prodeuntẽ nomine, si non omnibus, sanioribus saltem probatum iri spero, opto quidem certè; verbum enim verbo redditum est, quidquid in materia tam graui & ardua, breuiter & succinctè ab eo est exaratum. Quod sanè, multis multorum, vel longissimis commentationibus est præferendum. Sic enim respondet acumen ingenij pectoris candori, & disputandi subtilitas, sententiarum grauitati; vt tales Ceriolæ consiliarij, omni æuo optari, quàm sperari videantur mihi magis potuisse. Sed vtinam quidem, vel aliqua aliquando extet eorum similitudo, cùm Catones præturis, & non hæ illis, sint fuerintq; semper magis quærendæ; minus fortasse his moribus & temporibus Respub. laboraret. Quod tamen ego, assequi si vellet, velle autem debet, principum posse dicerem non neminem, vel hoc vno Ceriola per otium lectitando. Est enim rectus & tectus dandis consilijs, sic vt, licèt ab alio quodam etiam conuersum audierim, viderim quidem nunquam, non pœnituerit me in eo vertendo laboris, & obitæ, si quæ fuit, difficultatis: vno illo excepto, quòd in Polonicis quibusdam hallucinatus est rebus, & nimis magnam in candidatos dedisse licentiam, aulæ pesti videtur, obtrectatoribus. Quod tamen ipsum non maligno animo illum fecisse, & hos, si

qui fuerunt, næuos, præclaris aliis consiliis obscurâsse, & ab Hispanico nomine tyrannidis suspitionem falsam, quam alienæ felicitatis comes inuidia, & ciuiles, inciuiles admodum, inter Christianos discordiæ gignere consueuerunt, quantum in eo fuit amouisse, quis ignorat? Quæ vna (pace aliarũ dixerim) natio inter tot tantasq; alias, haud scio si obtinuerit in multis principatũ, siue imperij quam habet amplitudinem, siue religionis spectes constantiam, siue denique morum præ aliis firmiorum, & monetæ (licet minimum id fuerit) non suspectæ cudendæ intueâre rationem. Quæ peræquè omnia non ita vbique inuentu sunt facilia, & vel ipsa adeò monimenta, qualia ex Hispaniis prodeunt scriptorum, afferunt nostro seculo lucem, & nomen genti existimationemq; singularem. In quibus hunc vnum Ceriolam, Illustrissime Princeps, dedicare potissimùm placuit tibi, quòd & Hispanicæ linguæ gnarus, & in omnibus Hispaniarum regnis summa cum pietatis tuæ & sanctimoniæ laude versatus, proptereaq; & in aula illa à summo regum inprimis honoratus, & à me, antequã hæc ederem, quasi alter Ceriolæ Consiliarius semper fueris existimatus. Quem Deus Opt. Max. florentem, & quàm diutissimè seruet incolumem. Ego, quod reliquũ fuerit, me, seruitutemq; meam offero, & commendo tibi sempiternam. Vale. Cracouiæ XXVII. *Iunij. Anno* 1595.

D. Vestræ Illustriss: & Reuerendiss.

Addictiss: seruitor.

C. Varseuicius.

ipſos prouentus oporteat. Quomodo etiam extraordinarij ſunt exigendi, vnde, quo tempore: poſtremò, qua ratione tributum ipſum imperandum ſit, & quo pacto imponi, augeri, & promulgari ſine damno & querela populorum queat. Nec verò non & illud animaduertendum eſt, vt etiam ea, quæ aut ſuperflua, aut iniuſta, aut nociua, & odioſa ſunt, abrogentur. Huic eidem concilio, omnium, tam belli quàm pacis tempore, ſumptuum Regiorum incumbet cura: & ita quidem, vt modice auferantur ſumptus; alij autem qui fuerint neceſſarij, augeantur: regum namque opes, non ſolùm conquirendo ære, ſed immoderato etiam demendo ſumptu continentur. Sic, vt hoc concilium Theſaurus ſit Principis, aut ærarium, ſicut olim Romanis antiquitus dicebatur. Sine quo, in quocunq; tandem Principatu, Princeps egebit ſemper, & debita contrahet, & erit ſubiectis imperanda pecunia grauis, qua & ipſa ſenſim minuetur, populi veſtro exareſcent, & inſtar mortuorum penè reddentur. Alterum concilium eſt pacis, quod erit illud, quod vulgo concilium, ſtatus ſeu adminiſtrationis appellatur: continet quippè gubernationem vniuerſam. Quod vnicuiq; pro eo, vt placuerit, appellare licitũ ſit. Ego Conciliũ Pacis nuncupabo: cuius erit propriũ, circa ciuiles, & legum res ſiue actiones occupari, inſpicere proreges, & rectores, correctores, duces turmarum, quos vulgo campiductores nuncupant: caſtellanos, præfectos, conſiliarios, & reliquos omnes principis, tam belli quàm pacis adminiſtros, ſi rectè ſuo aut verò ſecus funguntur officio, ſi tempus eorum adminiſtrationis finitum eſt, qui eorum ſurrogandi ſunt loco, & qui etiam excludeñ: poſtremò, ne vel prouiſiones quoque & expeditiones ſurrepticiæ fiant, eſt prouidendũ. Hoc idem concilium, ordinariorum & extraordinariorum ſumptuũ ſubducet rationes, ſi ſuo ſubminiſtrantur tempore æquè bello atque pace. Quo magis dabit etiam ſchedas, quarum ratione apud ærarij, de quo diximus, concilium tandem præſtetur. Quod ipſum inſtar vaſis erit alicuius, ad recolligendã in ſe ſeruandamq; pecuniam, & ab hoc fiet diſtributio, mandato, & poteſtate concilij pacis, ſine quo, ne vnus quidẽ teruntius eſt abſumendus. Hoc deniq; idem expendet, & perponderabit ſecum concilium, quo cum ineunda & quo cum ſit abrumpenda pax, ſeu bellũ ordiendum: à quo alienior, & cum quo princeps debet eſſe coniunctior: quo cum bonis verbis, tantũ demptis rebus, & quibus cũ rebus ipſis vti expedierit: & in his omnibus, quomodo, quantum, quando priuatim, & quando publicè eſt progrediendũ. Quo ipſo erit hoc concilium tanquã caput quoddam omniũ reliquorum.

quorum. Tertium est consilium bellorum:& sic omninò est appellandum. Huic intererit, quomodo arces rectè muniendæ, erigendęq; munitiones, quomodo tuenda sint confinia, quibus tam bello quàm pace præsidijs sarta tectaque conseruanda, & alia eius generis plura habere debebit explorata: idem & exactè sciet arma, armorumque genera, exercitia, & omnem antiquorum rationem præliandi. Quæ nimirum cum præsenti rerum temporumque statu & conditione comparabit. Intelliget vnius & alterius discrimen: equitum turmas, & peditum cohortes suo ordine disponet: & quæ gens aut natio, quaué in re præstet alijs, & quæ denique his vel emendandis vel immutãdis via inueniatur, non ignorabit. Noscet egregiè sui Principis vires, & eius hostium siue aduersariorum: & vtræq; quantæ futuræ essent, si sociorum adiungerentur potentiæ, aut quantæ rursus, si illa destituerentur. Quid postremò in præsentiarum valeant, & quid progressu temporis valere queant, circumspiciet animo, tenebitque memoria præterita sui principis, & eius maiorum bella, & prælia vniuersa, quæ videlicet principia, progressus, consecutionesq; & euentus sortita sunt, & quid qualesq; res, & causæ, ad dandas & accipiendas vtrinque conditiones, eos traxerunt. Hoc idem concilium sui principis hostium circum vicinos cunctos, socios, confœderatos, & qui inimici esse possent, intelligendo assequetur. Nam demum eo modo non difficile erit iudicare, si maiores hostium fuerint vires, vt potiùs quàm bellum poscamus pacem: & si erit secus, vt item contrarium experiamur. Et si fortè hostibus sumus inferiores, quibus rebus, an armis, an verò vsu & exercitatione bellandi, an ducibus, an præfectis, an pecunijs, an opinione & fama, an amicis & socijs, an comitatu, an rebus similibus, disquirendum. Omnibus autem his, ritè examinatis & perspectis, acutè & prudenter inuestigabit, quo pacto fieri posset; vt non solùm nos ab hoste tueamur, sed adeò fatigemus atque debellemus ipsum hostem. Est enim certum, viribus & potentia præstare intellectum. At verò in principatu, vbi horum repetitur nihil, errat princeps perpetuò, quascunque tandem persequi res habet apud se constitutum. Bellum extra tempus & rationem mouet: administrare illud nunquàm & multò minus scit terminare: ad fortunam refert omnia, & casus in ipsius consilio dominatur: ac vt denique aliquem vincat aliquando, vti nescit victoria. si autem vincatur deijcitur animo, ac quo se vertat ignorat, & mulierculæ instar, si non in hominum turba, saltem priuatim secum ipse colluctatur. Atque

vt id

vt id quod ei reliquum fortuna fecit tueatur, & suam debilem & mancam quoquomodo sustentet siue famam siue dignitatem, ad turpes condescendit conditiones, aut induciarum, aut verò ipsius pacis. Quo loco risum mouet audire voces insciantium, qui de fortuna conqueruntur, & non intelligunt, exiguum ibi fortunæ restare locum, vbi viget prudentia. Alij verò, ita visum fuisse Deo Opt. Max. testificantur. Interim autem ego de diuina prouidentia non disputabo: verùm si licet, cum Paulo loquar. Si tales non sunt Deo à secretis, aut à sancta Trinitate non acceperunt literas, quã habituri sunt certitudinem, ita habere rem se, quemadmodum ipsi asseuerant? Nonnulli, nostra causantur scelera, & hæc quidem veritas est ipsa. Nam errores principum, & eorum peruersorum consiliariorũ, illa ipsa sunt scelera, quibus ad nostrum & eorum exitium præcipitamur. Sed ne multa, iterum dico, quòd quandocunq; tale, quale superius demonstraui, nõ habebit deinceps concilium; non mirabitur aduersa & infelicia omnia in bello sibi euenire. Quartum est de commeatu & prouisionibus, & ita illud nuncupabo, Conciliũ Commeatus. Huic cura incumbet prouidendi & paciscendi de victu & commeatu, pacis & belli tempore, pro toto & integro principatu: & idcirco oportet, in numerato, descriptaq; habere eum omnia ad suum munus pertinentia & principatum. Quantum nimirum habeat commeatus: quantum eius supersit, & quantum desit, quantum terra marique importetur & exportetur, & vnde promitur, quo itinere, & quomodo, & quando affertur, & his similia. Quiscunque autem à Principe exportandi cõmeatus postulabit facultatem, sine huius concilij scitu & voluntate eam non assequatur. Reuera, si tale concilium, vt expedit, constitueretur; neq; bello, neq; pace, deessent nobis necessaria, ad vitæ humanæ sustentationem: & suppeditaremus adeò ijs nostra, quorum amicitia & beneuolentia indigemus. Iam verò dum illud desideratur, confunduntur omnia, & quælibet prouincia plurimas patitur difficultates. Malitia aut auaritia paucorum, necessarias surripit res, desumusq; amicis, inimici verò magnitudine pecuniæ ijs rebus aliquando potiuntur. Vnde nostri languent, & à nobis ab alienantur. Ac denique illud etiam experimur, vt ob talis concilij penuriam, in ijs regionibus exoriantur bella, vbi neque equis neque hominibus certa vitæ præsidia amplius relinquuntur, & vix in bellum egredimur ipsi, vt nos deficiunt omnia, redeundum est domum necessariò, aut præter tempus turpis ineunda pax, siue induciæ cum principis infamia, & erga eum offensione populorum,

rum: duo namq; ſubiectorum beneuolentiam Principibus conciliant: Vnum cùm à potentioribus tuentur, & vindicant ſuos: Alterum, cùm illis benè cum ijs conueniet, ſine quibus commercia & negotiationes ipſorum ægrè & cum difficultate peraguntur. Quintum eſt Legum, & ita appellandum eſt Legũ concilium. Huius incumbet curæ, audire, quibus functionibus, quibus magiſtratibus, quibus rectoribus, & cum quali & quanta potentia vel auctoritate Principatus indigebit. Iſtud adinueniet, qui deſiderabũtur nouos, veteres verò vel ſuperfluos abrogabit. Habebit præterea onus condendarum, declarandarum, mutandarum, & delendarum legum, & inſtituendarũ, vt dixi neceſſariarũ. Hoc Concilium erit ceu Pater & defenſor legũ, omnemq; animi ſeu mentis ſuæ in id intendet aciẽ, vt ſine vlla exceptione, re & veritate eis ſatis fiat. Propter talis Concilij inopiam, videmus in multis regnis & vrbibus, minus magiſtratuum quàm Reipub. expediret; ex aduerſus in alijs plures, & quod omnium eſt peſsimum, alicubi reperiuntur illi ipſi ſibi inuicẽ contrarij, & repugnantes ſunt magiſtratus. Quòd ſi non in rebus peræquè omnibus, ſaltem in aliquibus. Vnde infinita mala, ſimultates, odia, hoſtiles ciuium erga ſe animi, contentiones, & litium controuerſiæ enaſcuntur. Quæ demum coniurationibus, & effuſioni ſanguinis, vel ipſius principis, aut imperij illius ruina & in alios conuerſione terminatur. Multi autem iſta non conſiderant. Et quæ malorum ſemina vno anno iaciuntur, eorum meſsis ſuperuenit in ſequenti. Apparet igitur, quantum ſit poſitum in condendis emendandiſq; legibus, liberè vt audeam affirmare, in centum nonaginta quinq; erroribus vel defectu vel abſurditate legum exoriri. Quæ ipſæ his moribus temporibuſque noſtris, nullo amplius ſunt vſui, neque poſſunt aut debent cuſtodiri: & quia non habetur tale concilium, neque mutantur, neq; emendantur, neq; etiam abrogantur; ſed ſeruiunt tantùm cauſidicorum ambitioni & auaritiæ; vt iniquè, & falsò ferendis litibus, ſumptus cupiditatum per eas conſequantur. Sextum erit pœnarum, & ita appello pœnarum Concilium. Hoc omnia criminalia in ſe vno continebit, quantum ſpectabit perſonam ipſius Principis, pro re & occaſione, aut via aliqua incidente. Feret etiam ſententiam in & de omnibus criminibus, ſecundùm illius vrbis leges, vbi committuntur. Septimum eſt præmiorum, & ita Concilium Præmiorum illud vocabo. Huic intererit benè vel ſecus merita omnium & ſingulorum non ignorare: vitam, & mores, virtutes, geſtaſq; res habere exploratas; adeò etiam illorum, qui vt non petant, propter

ſua rara & excellentia merita, præmia meruerunt. At verò maximè eorum, qui adeò etiam vt eorum ratio habeatur inſtabunt. Nam ſi infligendæ pœnę ſunt malis; ſuo honore & præmio minimè etiam defraudare ipſam expedierit virtutem. Omnia autem præmia, quæ Princeps diſtribuit, ex conſilio ipſius cōcilij id faciet; nec ſine ipſius ſcitu, & concluſione, hac in parte aliquid aggredietur, aut terminabit. Interim tamen, quod tale deſideratur concilium, virtutem paſsim in aulis videmus, vt plerunq; fit, viluiſſe. Omnia cædunt fauori aut nundinationi. Idoneus, & paulò obſcurus vel pauper homo in angulo deliteſcit, aut tardè & ægrè admodum virtutis ſuæ refert teſtimonium. E contrario homines nihili, hypocritæ, ſycophantæ, adulatores, plus experiuntur beneficentiæ, fiunt Principum familiares, aucupantur, & aſſequuntur facultates. Quid igitur ſequitur? Boni aguntur in furorem, nonnulli molliuntur vindictam, vindicta mouet factiones, pariunt turbas, cædes, tumultus, & Principis ipſius ac imperij eius euerſionem. Atq; hæc quidem concilia ſunt ſeptem, ad quemlibet gubernandum neceſſaria principatum: & id cùm propter alias multas & iuſtas cauſas, tum verò ideo maximè, quòd in tali diſtinctione, ſeu conciliorum diuiſione, melius & facilius expediuntur negotia, & Princeps ipſe non tantoperè occupatur, & diſtinetur, cum caruerit, tot tantiſq; curis rerum à ſe petitarum, aut petendarum. Ipſi etiam ſubiecti, non tantam valetudinis, pecuniæ, facultatum patiuntur iacturam, dùm expectant deciſiones cauſarum, etiam minimarum, & conſiliarij non habebunt tantum quod agant, diſtributis ipſis negotijs, & ab inuicem inter illos ſeparatis. Video quippè laborioſum inſtar mortis eſſe, tribus aut quatuor, aut etiam ſex omnem mollem imponi negotiorum, tàm belli quàm pacis, & pœnarum, præmiorumque, & nunc Reipub. curam, nunc ipſius commeatus, & ſexcenta tam parua quàm magna, tam leuia quàm grauia, tam iocoſa quàm ſeria, diuitum æquè & pauperum, quæ vel ipſa magiſtra experientia, ne mediocriter quidem curari poſſunt omnia; vt omninò, qui hæc Conſiliariorum ſui Principis non perſpiciat, cœcus eſſe videatur. Qui autem perſpiciunt, & non occurrunt, neque vt plura concilia conſtituantur, principi ſuo fiunt auctores; vt eo ipſius negotijs melius atque facilius prouideant: tales ſunt auari, ſunt ambitioſi, ſunt vani, ſunt damnoſi Reipub. Etenim nihil aliud propoſitum magis habent, quàm vt adorentur, quàm vt ſe ſuoſque ditent & extollant; etiamſi interim Reſpub. detrimenti aliquid patiatur. Materia hæc reuera eſt grauis & ampla, ſic vt ea fuſius ex-

plicanda, me oporteret eſſe longiorem. Sed hæc interim, ex quibus reliqua poſſunt comprehendi, dicta ſufficiant. Illud autem potiſsimum conſiderare Principem par fuerit, vt vnus aliquis conſiliariorum, concilijs alijs nec ſe ipſe ingerat, neq; ab alijs miſceatur. Exempli cauſa: Conſiliarius qui erit ærarij, omninò ad reliqua alia concilia ſex non admittetur: & quod de vno concilio, hoc & de alijs dictum volo, prorſus, vt liceat niſi vnius concilij agere res conſiliario nemini. Alioquin plura concilia in vnum redigerentur, & nihil eis aliud quàm nomen vanum & otioſum reſtaret, & ipſe deniq; infinitis difficultatibus & periculis, de quibus alio loco mentionem fecimus, exponeretur Principatus; vnde maiora quotidie & grauiora damna exoriri oporteret, quibus commemorandis, nolo eſſe prolixus. Conſequens proinde eſt, vt ordinandis his ſeptem ritè concilijs, à primo ad extremum conſiderentur, omnia minutatim, in ſuis partibus, ponderibus, & circumſtantijs, de quibus in iſtius capituli exordio eſt diſceptatum. Quod vt adeò lucidius declaretur, in libros ſeptem diuidi illud oportebit, & vnus quiſque liber declarationem concilij vnius continebit, in quem etiam adiumenta pro ſe vniuſcuiuſq; conſiliarij includentur, & (vt aliquod in ijs diſcrimen fuerit) conſiliarijs ferè omnibus conuenient; diuidere autem adiumenta illa, errore non careret. Dicemus igitur partes & adiumenta boni conſiliarij generatim. Atq; hoc ipſo tandē huic libro finem imponemus, qui erit primus de Concilio & Conſiliarijs, & cum alijs ſeptem communis. Quos, quando Deo Opt. Max. fuerit viſum, eo duce & auſpice proſequemur.

DE CONSILIARIO.

Et Primum quidem, de ipſius quoad animum adiumentis.

CAPVT. II.

CONSILIARII PERSONA EST IDONEA MVNERI & effectioni vni ex ſupradictis concilijs electa. Quo magis conſiderandum eſt, in Conſiliario duas requiri potiſsimum res; vt idoneus & par functioni ſit obeundæ: altera, vt ritè legitimeque eligatur.

Quod

Quod propriè quidem ipſi Principi incumbet: ſic vt eſſe & haberi idoneum, ſit conſiliarij. Prudentia verò conſiliarij eligendi, ad ipſum pertineat regem. De vna tamen & altera re ſcripturi, ab ipſo conſiliarij munere, exordium capiemus. Virtus, & præſidia viri, duabus maximè rebus ponderantur: animi, & corporis adiumentis. Verùm in altero corporis, in hoc porro capite animi præſidia intueamur. Quæ his ſequentibus partibus quindecim facilè conſtiterint. Primùm quidem, vt conſiliarius rari & excellentis ſit ingenij. Etenim rarum ingenium, principium, medium, & finis, magnarum & pluſquàm humanarum eſt actionum. Cunctæ, quæ in homine inueniuntur & inueniri poſſunt virtutes, niſi magnum habuerint ingenium, ſunt humiles, vires ſuas perdunt, & quaſi nihili æſtimantur. Experientia ipſa docet. Omnes artes, omnes magiſtros, omnes libros, omnes admonitiones, & conſilia, exiguum facere profectum in ijs, qui ingenij ſunt tardioris. Sic vt ij eorumq; ſimiles, multis admonitionibus, continuo ſtudio & ſolicitudine, diuturno item labore, parum aut nihil aſſequantur. Magnum contrà ingenium, paucis admonitionibus, minori labore, breui tempore, eò quò tendit peruenit. At breuiter; tardius ingenium, eſt inſtar alicuius campi ſterilis, qui quantumuis licèt multùm colatur, alijs non reſpondet bonitate, nec tantùm frugum, nec tam citò, neq; tam bonarũ afferre conſueuit. Itaque, vbi magnum defuerit ingenium, ibi nulla virtus poteſt eſſe ſolida, & omnibus partibus numeriſque abſoluta. Quo etiam magis hoc primum præcipuumq; eſto, quòd idoneum, quöad quidem ad animum, conſiliarium teſtificetur. Et hoc rarum magnumq; ingenium, volo, vt Princeps exploret ipſe, nec aliorum ſermoni aut teſtimonio de eo acquieſcat. Cuius cognoſcendi præſcribam adeò certas notas, vt niſi prorſus cœcutiat, tanquam ſolem in meridie deprehendat, & hoc idem ſeruabo in reliquis etiam adiumentis, eiuſdem conſiliarij exquirendis. At quod ante dixi, ipſa experientia duce, quæ in dictis factiſq; per ſe cuique fuerit, vis facile aſſequetur. Dicta namq; rarioris ingenij non ſunt in vſu & conſuetudine poſita cõmuni: & quemadmodũ animo concipit res, ab alijs magnoperè ſeparatas; ita eas eloquitur, cum magna & perilluſtri ſermonis, & ratiocinationis differentia. Eſt enim certum talem verbis & ſententijs alijs vti, quã quæ cadunt in multitudinem, ſic vt diſcutiat & diſpiciat, melius & ſolidius res, pręter opinionem & expectationem permultorum. Eſt talis ſermone acutus, in reſponſis promptus, facilis ad intelligendum, in inſtruendis alijs expeditus & clarus in

facetijs iucundus, in ferijs circumſpectus, ſcit ſe ijs, quibus cum habet aliquid negotij, accōmodare, ſiue illi boni, ſiue ſint mali, ſemper tamen ſalua ipſa virtute. Nunquam verò is auræ ſeruit populari, neque ad fauorem vulgi loquitur, neque os habet aqua repletum, non eſt vlli moleſtus, non ſtomachatur, non eſt confuſus, neq; infeſtus alicui genti aut nationi. Inter alia autem turpis ingenij argumentum eſt euidentiſsimum, de ſuo aduerſario male, & cum quadam animi perturbatione loqui, tum & de hoſtibus ſui principis, aut denique de ijs, qui alterius ſectæ ſunt, vel externi vel alienigenæ; ſiue illi Iudæi, ſiue ſint Mauritani, ſiue gentiles, ſiue Chriſtiani. Magnum quippè ingenium in omnibus tandem regionibus, ſeptem malæ viæ miliaria cernit, & malis bonos intermixtos ſemper & vbique eſſe locorum: quod bonum eſt, laudat & ſequitur: quod malum, & condemnat & auerſatur, idq; ſine nationis eius probro, in qua ſimile quid intuetur. Opera ingenij magni ſunt viua, ſunt efficacia, aſsidue eſt occupatum, vult videre omnia, audire omnia, tangere omnia, prætermittit nihil, legit quàm plurima, confabulatur cum omni genere mortalium, ſcire auet præterita, intelligere præſentia, aſſequi futura, vel ipſa etiam coniectura. Multarum artium homo talis eſt gnarus, non vnā & altera, ac ne tertia aut quarta eſt contentus; ſed appetit, ſcire, & diſcere alijs plura & ſubtiliora. Proinde plus etiam alijs ponit in qualibet re ſtudij & vigiliarum. Hic eiuſmodi in ſua iuuentute, habet aliquid ſemper viriditatis, & omnis generis profert fruges, & (quemadmodum rectè alicubi dixit Maro) inſtar fertilis eſt campi, in quo, propter nimiam vbertatem, generantur aliquando herbæ, inter bonas non omnium optimè, cùm nuſquam aliquē inſignē belli Ducem, Principem virum, aut Philoſophum alicuius nominis legamus fuiſſe, cuius præclaris virtutibus, aliqua aliquādo vitia & vel notabilia inſperſa non fuiſſent. Cùm autē tale ingenium maturuerit, quòd circiter trigeſimum ipſius ætatis annum plerunque accidit, profert tandem fructus omninò ſalutares: at vt vno verbo dicam, planè eſt diuinum. Ex aduerſus homo remiſſus & debilis, piger, & diſſolutus, non niſi abdomini videtur eſſe natus, vt bibat & comedat, ludiſq; & ineptijs occupetur. Hic nihil ſcit. Nullas artes & ſecreta naturæ diſcit: magis ardua negotia non intelligit, externorum familiaritatem refugit, & aut turpiter viuit, aut ſaltem ingenij, quod minus quàm mediocre ſit ſemper notatur. Secunda nota eſt, quæ quöad animum idoneū monſtret conſiliariū, vt artem calleat & facultatē benè & appoſitè dicendi.

Quemad-

Quemadmodũ enim non vlla alia magis re, quàm intellectu & ſermone à brutis animantibus homines differunt; ſic tanto quidem alij alijs antecellunt,quãto bene dicendi adiumentis maioribus fulciuntur. Expedit igitur conſiliarium inſtructum & exercitatum eſſe in Oratoria facultate:tantumq; adeò in hoc ſtudiorum genere ponet operæ, & induſtriæ; vt emineat præ cæteris, & vel eò admirabilis maximè videatur.Quotidie enim offerũtur occaſiones Principi, conſiliarios ſuos aut ad exteros,aut verò ad ſubiectos ablegãdi, ſiue illi Regni, ſiue Prouinciæ,ſiue vrbis alicuius nomine & ambitu continentur. Hic debebit ſuadere aut diſuadere,accuſare aut defendere,laudare aut vituperare,boni aut mali aliquid exaggerare verbis,& his ſimilia. Quæ omnia rectè,& ſciẽter,fieri neceſſe eſt, ad commoda,& principis,à quo mittitur,dignitatẽ. Quæ dum prę-ſtare neſcit, periculo & vituperio,imò & exitio aliquando ſe exponit. Quo plus Reipub. quàm vlla alia re inuritur calamitatis. Quò autem dicendo erit exercitatior, eò tumultus exorientes facilius tranquillabit. Sic idem ille conſiliarius magno erit vſui ſcripto vel voce, reſponſionibus dandis, legatis vel oratoribus externis, qui negotia tractatum ad eius Principem allegantur. Hoc autẽ modo idoneum ipſa experientia duce, ſuum cognoſcet princeps conſiliarium. Primùm quidem ratione verborum, cùm acutè obſeruabit, quomodo animi profert ſenſa, in collocutione familiari. Accerſet nimirum ad ſe ipſum, & per horam vnam cum eo ſermones miſcebit,in ſequenti per duas per tres,tertia,plus vel minus. Interim recitare eum etiam faciet hiſtorias, vt videat, quo pacto protrahit & includit ductum ipſum materiæ: quomodo proponit,quo modo diuidit, quomodo proſequitur, & quo pacto tandem etiã terminat & definit,qua porrò cum venuſtate,grauitate,& proprietate verborum. Quæ etiam ipſa interdum cognoueris à conſiliarij magiſtro & præceptore, tum quantum in ijs ſtudijs poſuerit temporis,qua diligentia vſus ſit,& ſi fortè aliquid in lucẽ monumentorum edidit, illa omnino examinanda erunt diligenter. Poſtremò & in palatij ipſius penetralibus, nec quidem opinantẽ ſcribere aliquid de aliqua re curabit ipſe princeps ex tempore;vt re oculis ſubiecta, incorruptius de eo fiat iudicium, & penitius cognoſcatur. Tertium adiumentum, quod idoneum monſtret conſiliarium, multarum linguarum eſt cognitio: præcipuè autem illarum gentium,quibus imperat princeps, vel qui hoſtes,ſocijuè eius habẽtur. Exempli gratia. Sit vnus aliquis conſiliarius Regis Hiſpaniæ &c. Hunc quidem, Latinæ, Italicæ, Arabicæ, Gallicæ & Germanicæ

linguæ

linguæ non ignarum esse expedit, propterea,quòd ij,qui subiiciuntur ipsi populi, intelligere eorum sermonem, & ab ipsis rursus volũt intelligi, propter multas & varias inter se tractationes: exactius quippè sua ipsius sensa homo explicat, & cum maiori auditur gratia, ab ijs,qui eadem lingua vtuntur, quàm si semper & vbiq; interpretes adhiberentur. Hinc & suos casus, ærumnasque narrare, & magnorum Principum (quod sæpè vsu venit) arcana pro se quisq; tali consiliario non dubitabit potius enunciare. Declinat non raro tertium, quem noluerit esse conscium secretorum. Legationibus item vicinorum audiendis, tam ratione officij quàm occasione ipsius belli, quantam idem afferet adiumenti? Si amicus aliquis est, multò magis sua quàm aliena lingua in ore Consiliarij adinuenta delectatur. Quid & quod pollicebitur sibi ab animi quadam erga eum beneuolentia, id adeò proficisci. Qua in re, vt spe sua cadat, error ille ipsius, non incommodabit, præsertim si inimicus fuerit, imò vel aliqua in parte illius conciliabitur fauor, aut tandem id commodi subsequetur, quod ex sono ipsorum verborum, nostraq; ea proferendi,ex contractione frontis, & eleuatione supercilij & alia re hostilis animus magis patebit: quàm si hæc omnia adhibitis fierent interpretibus, proprietate non intellecta sermonis.Adde,quod rarissimos interpretes reperias,qui vsquequaq; omnibus numeris absoluti videantur. Circumducunt demum, & implicant quàm plurima: venit postremò explorator, in cuius fide & dictis,regni vnius consistit nunc honos, nunc salus, & interdum res non patitur moram, eritné semper interpres tã inuentu facilis? Quid si verò caueat exploratorem, aut ab ipso exploratore timeatur, vt tot tantaq; prætercam alia, quæ impedimento sunt infinita? Iam & ille, qui multarum linguarum gnarus est, fidem omnibus facit, vidisse, legisse, adijsse se quàmplurima, & populorum,quibus cum versabatur, mores, consuetudines, & instituta didicisse. Quod apprimè consiliario est vtile & necessarium, propter omnes res, quæ veniunt, aut venire possunt in consultationem. Prætereo verò alias causas & rationes, ne earum enumeratione sim molestus, cùm hæc nuda tantum sit admonitio,omni ornatu & congerie detracta exemplorum. Hæc verò ipsa experientia duce, in suo consiliario princeps deprehendet, quoties eum coram se ipso loqui & scribere faciet, & aliorum dictis, quæ (vt plerunq; fit) fallacia esse solent,fidem non temere adhibebit. Quartum indiciũ idonei Consiliarij fuerit. In historijs admodum esse versatũ, quas quidem ille, tã antiquas,quã & recentes, accuratè leget,examinabit & euoluet.

Maximè

Maximè autem eas,quæ ad ſuos ſuique principis ſpectant maiores, & tum eius etiam hoſtiū atq; vicinorum. Etenim,qui conſiliarius magnus fuerit hiſtoricus, & qui fructum ex hiſtorijs elicere non ignorabit; is certè perfectiſsimus poterit æſtimari. Nihil quippè in eo deſideratur: in omnibus ſui principis negotijs eſt verſatus & exercitatus, imò vſus rerum & experientia eſt ipſa. Nam hiſtoriæ non aliud ſunt, quàm congeries, ſeu congregatio quædam, variorum & diuerſorum vſuum,omnium hominum, & temporum, cuiuſcunq; tandem naturæ,profeſsionis,& conditionis fuerint. Da mihi aliquem hiſtoricum perinſignem, qui fructum ex hiſtorijs elicere ſciat: hic quidem tanta rerum in omni genere negotiorum pollebit experientia, quanta vix aliquis alter reperiatur : vt etiam illa ipſa ſit ars, in qua viginti annorum ſpatio, aliquis fuiſſet verſatus & exercitatus. Atque vt à re bellica exempla capia mus: Miles veteranus, ſiue ille ſummus belli dux, ſiue militum præfectus, ſiue alius fuerit, in fine & decurſu annorum viginti, ad minimum in quatuor prælijs verſatus eſt; in centum verò leuioribus conflictibus,in quinquaginta oppugnationibus, in duodecim aſſultubus, in quinque motubus belli, & totidem pacificationibus. Verus autem hiſtoricus habet experientiam, immenſarum pugnarum, innumerabilium conflictuum, infinitarum oppugnationum,infinitorum motuum belli, & compoſitionum pacis.Quæ eſt ergo proportio finiti ad infinitum? Adde,quòd iſte experiens annorum viginti, nouit tantùm naturam & ingenium,& rationem bellandi,vnius aut alterius,aut etiam trium vel quatuor nationum: hiſtoricus verò propemodum omnium. Huc accedit,quòd viginti annorum experiens, non potuit intellexiſſe eorum partem vel decimam, quæ munere, & nomine militiæ continentur. Nam in viginti annis non offeruntur æquè occaſiones, omnium vſu & tractatione diſcendorum. Hiſtoricus contrà omnia ſcit & intelligit: & nihil, quod legi, & in quęſtionem venire poteſt, prætermittit. Ille vt etiam viginti annis, foris & militiæ ſe exercuerit, non potuit cauſas ipſius perſpexiſſe vniuerſas, originem eius, & quomodo proceſſerit, & ad quem finem directa fuerit: ignorat ſtratagemata cuncta,euentus,difficultates: & deſpicatum, quem pati oportuit,non eſt aſſecutus: prætereũt eum vtrinq; prætenſa poſtulata, vtrinque profuſæ lachrymæ, ſimulata & diſsimulata vtrinque multa; & nunc huic nũc illi parti,in ſpecie oſtentata propenſio voluntatis: poſtremò neceſsitas ipſa, qua ad pacificationem vtrinq; eſt deuentum. Hiſtoricum horum latet prorſus nihil. Quod adeò inſtar animæ (vt ita dicam) belli ipſius eſt gerẽdi, & illud quaſi

quædam corporis particula. Quod autem de militia hoc loco affero, hoc de alijs omnibus negotijs, & ipsa etiam defensione dixero principatus. Quæ quidē omnia, si fusius à me explicarentur, viderer facere contra eam, quam aliâs sum pollicitus, breuitatem. Quare, vt verbo, quod sentio, complectar vno, vel ipsæ etiam leges nihil aliud sunt, quàm historia, quæ continet sententias, & opiniones antiquorum, & prudentium legislatorum, quibus vrbes, & ciuitates, ordinârunt, & suos ciues, iuris & iustitiæ æquabilitate, in tranquillitate & concordia conseruârunt; & iam quidem demonstrant, quo pacto nos idem quoque faciamus. Et hoc ipso etiam modo, medicina est experimentorum historia, quæ antiquitus obseruârunt Physici, quorum ratione nostri medici iudicia ferunt, & curationes suas prosequuntur. Proinde instituenda Repub. gubernando Principatu, gerendo bello, tuendo imperio, amplificandis iuribus, sequendo denique bono, & fugiendo malo, quid magis conducit quàm historia? Verùm similia intelligunt paucissimi. Quo fit, vt paucissimos etiam rectè gubernantes deprehendas. Quod non aliunde venit, nisi quòd legendis non occupantur historijs. Et si horum legit aliquis, fructum historiarum non percipit: varietate tantum casuum, qui ea continentur, delectatur: & non considerat, quo pacto domi, forisque, in omnibus deliberationibus, & consilijs, eos sibi proponendo, ipsi essent adiumento. Non est historia fallendi temporis causa, sed lucrandi euoluēda gratia: vt vna die perfectè quis discat, quod experiundo toto suæ vitæ tempore vix apprehendat. Nam etiamsi trecentos complere posset annos, aut malè, aut tardè id quod sequitur, assequeretur. Est historia imago vitæ relicta, ex moribus & ingenijs hominum, recordatio ingeniorum omnium, certa & infallibilis experientia actionum humanarum: cōsultrix fidelis & prudens in omni deliberatione, magistra in tranquillitate, in bello Dux, in mari nauclerus, portus & perfugium hominum, cuiuscunque conditionis. O quàm pulchrè hæc dicuntur, & tamen paucissimi similia amplectuntur. Sit igitur Consiliarius insignis historicus. Atque hoc potissimum volo, vt in eo Princeps spectet: & experientia ipsa Duce, eo modo assequatur. Sciscitetur inprimis res in historijs passim contentas, & inter alia diligenter ab eo perquirat, quoties Regna Hispanica (libet enim eiusdem nationis exemplis perstare) aliquas subierunt mutationes: aut item Gallicum & Anglicum Regnum, à quibus porro fuêre possessa: & quo iure, quaué iustitia, quā diu, & cur conuersionem sint passa, qui ex quaq; familia in ijs re-

Historiæ laus

gnauc-

gnauerunt:& in his,quis illuſtrior,& qui nominis minoris habebatur: eorũ quot bella quiſq; geſsit:quibus cum,& quo tempore:qua de cauſa,vnde ortus inimicitiarum : & quæ ratio aut neceſsitas pacis rurſus fuerit ineundæ. A mille quingentis annis, quot prælia confecit Hiſpania, & quot Gallia; & quanta hæc aut illa, ſecunda vel aduerſa fortuna: quibus deniq; conſilijs & artibus, his vel illis ceſsit victoria : & cur nunc ab his, nunc ab illis infeliciter eſt dimicatum. Ab hinc bis mille annis, quantæ communiones ſunt excitatæ in Hiſpanijs, Gallijs, & Romæ: & quæ ſuſcitandarum extitit cauſa: quid porro boni vel mali inde eſt ſubſecutum, & quomodo hæc omnia tandem fuerint tranquillata. Qui quidem ad has, earumque interrogationum ſimiles rectè reſponderit; hunc tu hiſtoricum habeto optimum, qui pro re, & occaſione in publicis deliberationibus ſuæ lectionis fructum egregium ſortietur. Quintum adiumentum, quo aptus demonſtretur: quò ad quidem animum, conſiliarius eſt, vt benè & perfectè ſciat finem & materiam, & quomodo,quando, quatenuſq; ſe extendunt ipſæ virtutes: nam in eo potiſsimùm peccatur: & ſi conſiliarius ipſe nititur multitudinis opinione,iſta toto cælo,quod aiunt,ſemper errabit. Etenim earum rerum ignoratione, (vt plerunq; fit) plurimi,ne dicam propemodum cuncti, hominem compoſitum meticuloſum, aſtutum proditorem, rudem & ineptum, bonum abiectum, manſuetum deſidem, & ſubtiliorum rerum non capacem, hominem via Regia & ſimpliciter ambulantem appellant: iracundum porrò candidũ, ſuperbum magnificum, furioſum fortem, prodigum liberalem, auarum prouidum, ſanctum ſuperſtitioſum, doctum curioſum,& omnibus denique tàm vitijs quàm virtutibus contrarijs nominibus dandis, conſcientia hominum aut ſaltem prudentiorum abutuntur. Quod maximum ſanè eſt vitium: & ſi fortè illud conſiliario inerit, (vt ineſſe oportebit, ſi autem neſciuerit aut noluerit virtutum proprietates noſſe) manifeſtus ipſius Principis, & totius Principatus eſt interitus. Caput namque eſt conſilij, in omnibus ijs, quæ in deliberationem veniunt, diſpicere, ſi eſt,vel ſecus,contra honeſtatem, omnibus circumſtantijs conſideratis & expenſis. Mandandis muneribus publicis hoc idem ſciendum eſt, ne nigrum pro albo accipiatur. Iam & præmijs diſtribuendis, ſi hoc eodem illo deſtituatur adiumento, perpetuò hallucinabitur,& impinget. Ac vt tandem faciam finem, hoc tale in conſiliario lumen, volo,vt experientia ipſa duce,hac ratione princeps deprehendat. Primum quidem ex ipſius verbis,cùm eum ad hunc modum aut perquiret

similem : quot videlicet egeat homo rebus,ad culmē gloriæ in hac vita consequendum : quot & quibus rationibus vtendum illi est, fauore populi sibi conciliando : quibus interdum artibus, vt fides vulgò ei habeatur : quid denique moueat populum ad honorem alicui deferendum : quot vijs & rationibus in fortitudinem peccatur : quot & quales res requirit iustitia : & multa alia generis eiusdem, quibus iudicium expiscabitur consiliarij haud sanè difficulter. Verùm & ab actionibus ipsius coniecturam capiet, quos habuerit institutores sciscitando, quæ coluerit Gymnasia : quibus cum vixerit & viuat : quos libros legat : quid inde fructus in lucem proferat, & quibus rebus occupetur. Sextum est argumentū, quod idoneum arguat consiliarium. Vt sit Politicus. Hoc autem est, vt sit experiens in tractatione artium tam belli quàm pacis, & rerum,quæ eò spectant, aliarum. Etenim cùm munus,& seu quoddam principis vinculum, duabus maximè contineatur rebus : Gubernatione, & Defensione populorum : & tam quidem vnum, quā alterum ad bellum pacemque referatur. Quanquam gubernatio magis sit pacis; armorum verò defensio illis non intellectis, vix factu est credibile, boni aliquid consiliario posse præstare. Quocirca expediet consiliarium nosse Rempub. hoc est,cœtum & congregationē hominū vniuersam,vita communi sociatam,compositā (vt ita loquar) ex corpore & anima.Corporis nomine habitationes continentur. Quo loco cęlum potissimum spectatur, si est calidum, frigidum,aut temperatum : situs si est in continenti,si est mari proximus, si aliquod flumen,aut stagnum habet, si est decliuis, aut verò sublimis, si siccus aut lutosus, si fertilis aut sterilis, si in vicinia, aut ab hostibus remotus, quibus deniq; ventis vt plerunque fit expositus. Nam harum rerum respectu & ratione habita, extruenda vel secus sunt ædificia, & plateæ siue arctiores siue ampliores erigendæ : videndumque,num vni apertæ vento, & reclusæ ab alio: num altæ vel humiles habitationes : & omnia quidem ad vsum vtilitatemque publicam sunt dirigenda, dando ijs magis conuenientem formam, quæ videbitur expedire, siue illa rotunda, siue triangularis fuerit, siue etiam quadrata, aut multorum punctuum, prout ipsę res,eorumq; circumstantiæ, magis requirent. Quarum rerum, quoniam non exacta est intelligentia, ideo multa ædificia casu fieri cernimus, & loca infirma aut malè dispartita, aut inepta reperiri quàm plurima, quæ indies tandem minus redduntur populata. At vidi ego ipse in multis publicis ædificijs impendisse viginti aut triginta aureorum numorum millia non neminem.

Quam

Quam circumacto anno apparuit pecuniam pessimè fuisse collatam, propter non obseruatas superiùs dictas circumstantias. Quæ procul dubiò non essent, si consiliarij eius partis Reipub. quam appello corpus, maiorem vsum & experientiam, sibi adiumento compararent. Anima verò est gubernatio, quæ primùm in sua forma spectatur; si videlicet in vnius administratione est posita, quem Regem appellamus. Ego interim voco Principem, qualis est in Hispania, Lusitania, & Regno Castellæ: aut si est nobilium tantùm gubernatio, quemadmodũ est Venetijs, & antiquitus Spartæ spectabatur: aut si est populi, vt nostris temporibus sunt Heluetiorum vrbes confœderatæ: vel si Regis & nobilium est administratio, quale est Regnũ Daniæ, & aliquando fuit Roma in suis Regibus vsq; ad Tarquinium: aut si Regis & populi, quale fuit olim diu Regnũ Persarũ: aut si deniq; Nobiliũ & plebeiorũ, qualis fuit Romę exactis Regibus, status; aut Athenis & apud Lacedęmonios, vel nostra ętate apud Senẽses, & Florentinos, & quędã Respub. alię, quę in hunc diem manẽt in Italia: aut si est gubernatio penes Regẽ, Nobiles, & plebeios, quale est imperiũ Germanicũ, Regnũ Polonię, & Regnum Arragoniæ, in Hispanijs. Est & illud consiliarium necesse scire, quomodo acquiritur, crescit, augetur, & perditur principatus: quibus periculis est obnoxius: quomodo ijs posſit, & debeat occurri, ne capiat detrimentum: quomodo & quibus est vinciendus legibus: qualibus eget magistratibus, vt rectè & scienter gubernetur. Consiliarius autem qui hæc ignorat, factu est incredibile; vt disquirat & inueniat remedia omnibus & singulis rebus, difficultatibusq; Principatus. Nesciet deniq; opportuna suo principi consilia suggerere: quo pacto, cum hoc amico & socio illo viuendum illi est, quo pacto occurrendum hosti: & quomodo ab vno aliquid capiat commodi, effugiat ab altero damni, & alia his similia infinita. In altera parte politicæ expediet bellica, & militaria cuncta habere eum explorata. Vt nimirum intelligat, quibus præsidijs instructum esse oporteat militem: quibus Centurionem, quibus Ducem, quibus armis debent indui: quomodo colligendæ sunt copiæ, quomodo ductandæ, quomodo metanda castra, quomodo confligendũ, quomodo canendum receptui, aut verò hostis fugiens persequendus. Et in his omnibus, à recta via & tramite, quo pacto etiam aliquando aberratur. Nam alio modo nescio, quid daturus consilij sit ipse consiliarius: & hunc necessariò magnum politicum esse oportet. Quo nomine, num idoneus sit, ipsa Duce experientia, hoc modo Princeps in eo

perſpiciet: interrogabit ipſum,nunc de hac,nunc verò de illa re ad gubernationem pertinente: num præſtet, in ſtertili an fertili ſolo ædificare: quibus porrò ventis in habitatione eſt obſiſtendum: quot modis amittitur Principatus: quot vijs negotium inficitur gubernandi: quomodo populi oriuntur ſeditiones, & quot modis vicisſim opprimuntur: in quo conſiſtunt principis vires,ſi in diuitijs, vel virtute militum: quot modis cum colore & prætextu aliquo contra eum arma capias, qui adeò nullam magnam cauſam hoſtilitatis præbuiſſet: quid poſtremò, præſtetné expectare aduentantem domi, an in hoſtico aggredi hoſtem: quot res expediat conſiderâſſe prius,quàm ad arma,& bellum apertum veniatur: quot demũ exorto bello, quot antè & confecto prçlio, ſiue vincas ſiue uincare. Ex his, & alijs, ad interrogata conſiliarij reſponſionibus,quàm bonus politicus ſit, & haberi poſsit, coniectura demum capietur. Septimum verò adiumentum,quod eum aptum, quóàd animum declaret,illud habeto: ſi nimirum multorum populorum viderit mores, & vrbes,maximè principis ſui, atque eius hoſtium, aut etiam ſociorum, aut qui omninò principi ſunt viciniores. Et quidẽ curioſa & prudens debebit eſſe iſta peregrinatio, non ignaua aut iners, qualis ocioſorum & vagabundorum eſſe conſueuit: qui non ſecus,ac in nũdinis, paſcentes tantùm oculos, diuagantur. Peregrinatio,quæ propriè ad conſiliarium ſpectat, eiuſmodi eſt; vt omnia, quæ ad bellum pacemué pertinent, exactè exploret: ordinarios & extraordinarios prouentus ſciat: amorem & erga principem, ſubiectorũ reuerentiam,omnia deniq; tam bona quàm mala, munitiones fortes, hominũ mores & ingenia,& id genus alia penitus habeat explorata. Eo quippè prudentia comparatur, & homo locupletatus & conſideratus domum ſuam redit,multumque conquirit ſuppellectilis pro conſilio dando, & principis ſui augendo imperio, omni loco, tęmpore & occaſione. Secus verò qui facit, tempus inutiliter terit, facultates dilapidat, corpus affligit, & vitam ſuam mille exponit periculis, ſine ſpe profectus alicuius. Naratũ mihi eſt aliquando de Principe Neapoleos quodã,homine alioqui conſiderato, quid cuidã nepoti reſponderit ſuo, qui poteſtatem ſibi ab eo fieri,excurrere,& exteros videre poſſet,poſtulauerat. Primum quidem,vt Romam proficiſceretur,dixit; demum tandem rediret: atque ſi ita videretur, denuo iter ingrederetur. Paruit, & fecit ita adoleſcens: & cùm princeps ipſius tarditatem animaduertiſſet, cuius gratia exiguos profectus feciſſe videbatur, ad eum modum illum eſt allocutus: Fili mi,tu vidiſti, inquit, prata, planiciem,

ciem,montes,colles,valles,agros confutos,vaſtos,& inanes,ſyluas, pinnas, fontes,riuulos, arbores, pagos, villas, vrbes,quadrupedes, viros,& mulieres.Non eſt amplius,quod in mundo ſpectes: proinde,quieſce, & domi tuæ te contineto. Egregiè verò hic tantus & dixit & ſenſit vir:hoc eiuſcemodi caſu, & nobis,quaſi quandam peregrinandi regulam præſcripſit: & tacito quodam modo abuſum communem reprehendit. Conſiliarius interim poſteaquàm vt par eſt peregrinatus fuerit, accuratè & ſcienter extra regna, hæc & illa perluſtrando, & omnia cum ſuo comparando,hunc referet fructũ, quòd omnia mala & bona, quæ domi ſunt ſuæ, faciliùs aſſequetur: & vſum atq; intelligentiã meliorum tandem ſibi comparabit: fugiet verò contraria: & moris corrigendi auctor erit deprauati,& introducendi probatioris. Iam neq; expers erit humanè & ſcienter excipiendorum hoſpitum, amicorum & inimicorum, aut qui neutrarum ſunt partium: melius intelliget conditiones: & quemadmodum negotia poſcent, ſciet ſe accommodare verbis,ſcripto, & factis,ad ea,quæ tam illorum,quàm ipſius temporis, & principis neceſsitas poſtulabit. Non deniq; opportunitates & difficultates temporum & regionum ipſum effugient, falſis narrationibus non ducet concilium, aut ſaltem alieno decerpendo pilo, non admodum ſe exornabit. Tale lumen ſiue præſidium animi,experientia Duce,princeps in conſiliario ſic inueſtigabit. Nempè quęret ex eo, quot milliaribus in longitudinem conſtat Gallia, quot verò in latitudinem, quot in circuitu: quas munitiones habet firmiores: à qua parte eſt facilior aditu: quot flumina habet, quæ vado tranſiri nequeant: qua virtute excellunt magis Galli, & quo vitio magis laborant: quibus rebus maximè tenentur & capiuntur: quod inter Gallicam & Hiſpanicã nobilitatẽ eſt diſcrimẽ,quę differentia inter noſtrã & illorum ædificandi rationem: quis horũ regum magis imperat abſolutè: qua via ſuo Regi reſiſtit populus, & non pro libito,agere ſemp ipſum permittit: quot rebus noſter à ſuo vaſallus differt: quomodo ſuum exercitum colligit: quomodo inſtruit & exercitat: quomodo in expeditione prouidet bellica, ne coloni opprimantur. Iam verò,quod de vno populo,hoc de reliquis omnibus,hunc eundem interrogatum volo conſiliarium: & hoc quod de Gallijs & Hiſpanijs poſui exemplum, pro ſe quiſque principum transferet ad exempla alia, ſuo principatui magis accomodata. Sicuti faciet & in reliquis omnib⁹,quę toto hoc opere cõtinentur. Sufficiat tantùm dixiſſe,hanc eſſe certã & veram regulam, profectus peregrinãtium cognoſcendi. Quamquam vel in familiari con-

ri conuictu & confabulatione,multa deprehendas similia,demptis etiam interrogationibus, vt videlicet,si statim aliena vituperat, sua verò laudat. Animi enim id est argumentum impotentiæ,& talem aut inertem, aut dissolutum, aut fatuum esse oportet. Nam in talem hominem, non rerum cadit distinctio, non delectus, sine quo nulla est prudentia; qua demum exclusa, nihil restat quod probari posse videatur. Octauum animi adiumentum est consiliarij, vt exactè vires, & potentiam sui Principis sciat, & tam hostium quàm sociorum illius aut etiam vicinorum. Nam vt medicus in humano corpore, temperamentum & virtutem, quanta sit, naturalem, primum est quod considerat; hoc eodem modo quantæ sint, & quo se extendant principis sui vires, eiusque hostium & sociorum, scire consiliarium expedit; alioquin consilio dando vehementer à scopo aberrabit. Harum rerum ignoratione consiliariorum multi, principibus suis fiunt belli contra eos mouendi auctores, quibus cum colere pacem multò magis præstitisset. Et idem rursus euenit, ineunda cum alijs societate, cùm in perpetuis tenebris sine vlla luce & claritate versantur. Bonus autem consiliarius vtramq; partem expiscatur: tam principis ipsius, quàm eius hostium & sociorum. Quibus prouentibus gaudeat, vnde eos promat:quo deniq; modo & tempore,quantûq; cõscribi possũt milites: quàm diu alere,quomodo armati & exercitati sunt, & quæ capita sortiuntur: qui socij eorum sint, quibus nitantur clientelis, quàm debilibus, aut firmis; quibus rebus in regione sua abundant, & quibus destituuntur; vt hoc modo colligi & expendi vires posſint, & potentia Principis vniuscuiusque. Hoc verò adiumentum sic perspiciet Princeps in suo consiliario: de his nimirum rebus, de quibus iam dixi,diligentiùs eum examinando. Est hæc omninò generalis & infallibilis regula. Etenim, quicunque tandem mortalium, in dictis & factis suis, hostes sui principis aspernatur; sua verò extollit,& suspicit ipsum; hic nequidem consiliarij nomine dignus est iudicandus. Quòd si in scientia labitur, quàm sit idoneus,vel hoc ipso reddit testatum,cùm consiliarium prudentiſsimum esse, & ea quæ præ manibus sunt,nosse & intelligere necesse sit: si hypocrisia facit, est assentator, & nihil ab eo expectandum boni: suis namq; tantùm seruit cupiditatibus, & ad principis loquitur placitum,non ad cõmodum, aut verò dignitatem. Nonum præsidium, quod aptum ostendat consiliarium,habetur. Vt non solùm amet,sed etiam procuret commoda publica: sui autem commodi & splendoris obliuiscatur. Ita quidem,vt vbicunque iuuare posſit Rempub. in eo animi

nimi

nimi sui intendat vires, & omnem operam atque industriam ponat. Quanquam interim in fama, bonisque & fortunis priuatis, damni aliquid ei esset subeundum. Et hoc videlicet adiumentum est præcipuum, quod commendat Plato in Consiliario, siue in quolibet altero Reipub: rectore, & gubernatore. Est enim illud certum, quod verus amor semper est sollicitus & diligens; sollicitudo autē nunquam quiescit; omnia rimatur, omnia peruestigat, nullius rei obliuiscitur, & omnibus semper prouidet, quæ necessaria arbitratur. Quocirca amor, primum & præcipuum Consiliarij est adiumentum, inter alia vniuersa. Qui, si verus fuerit, procurabit bonū publicum quàm priuatum magis, quippè omnem suam spem, omne emolumentum, omnem honorem, in publicis ponit commodis & ornamentis. Quibus, si quid ornamenti afferatur, necesse erit & priuatas res tandem perire: & ideo & ipsum se, & bona sua, desiderant potius pati aliquid, quàm rem publicam venire in discrimen. Interim autem dum his rebus occupatur, parua crescunt, parta conseruantur, & viuitur sine aliquo incommodo aut difficultate, & secus contraria experimur. Quæ ipsa patent ex omnibus mundi historijs: & nullum imperium in hunc vsq; diem auxit magnoperè vires, aut in auctis se conseruauit, quàm hominibus hoc nono de quo tractamus adiumento, pręditis & exornatis. Ex aduersus illa ipsa die, qua ab hominibus contrariarum partium & artium gubernari sunt cæpta, continuò vsq; ad extremam perrexerūt semper ruinam. Quo loco exempla duo reperio. Quibus citandis, vt contrarium agere videar, quàm sæpius professus & pollicitus sum, breuitati; tamen cùm rara & doctrinæ sint plena, merebor fortaſsè excusationem, præsertim cùm magnorum Principum exemplis citandis magni errores rarò committantur. Callicratides bello Peloponesiaco, Lacedæmoniorum Dux, cùm classem suam, si tantum Arginusis discesisset, seruare potuisset, facere id noluit, affirmans; quod Lacedęmonij amissa classe aliam parare possent, se discedentem ignominia liberare non possent. Vnde cùm postea initum esset prælium, fusus est turpiter, & ipsa clasis demersa, & Lacedęmonij memorabilem cladem perpesi. Cui omnia ex opposito, Q. egit Fabius, Dux Romanus, & patiēter iniurias sui proprij exercitus suorumq; æmulorum perferendo, qui eum appellabant tardum, & habebāt desperatum; ita posteà Hannibalē fatigauit, & redegit in nihilum; vt fuerit haud dubiè auctor & conseruator patriæ libertatis, interitus verò causa Carthaginensis. Vnde Magnus ille Poëta de ipso canit Ennius: Vnus nobis homo restituit rem & reliqua.

Callicratides ne ſemel quidem referre pedem voluit, ne vllam vel minimam iacturam exiſtimationis ſuæ pateretur. Fabius ſe recepit, & dedit fugam ſæpius, nihil reſpectans hac in parte exiſtimationem. Quo ipſo magnoperè iuuit Rempub. Callicratides voluit potius cum periculo conſerere manus, quàm famam ſuam adducere in diſcrimen. Fabius potius cùm infamia fugere habuit (loquor iuxta opiniones inſcientium) quàm committere rem prælio cum omnium exitio. Callicratides ſubiit aleam pugnæ, victus eſt, nocuitque per id patriæ, imò & honori atque famæ ſuæ, nomen in mortē temerarij relinquendo. Fabius ſemper prælium vitauit, & ideo patriam conſeruauit.

Quo pòſt modum tantùm laudis meruit, vt Maximi etiam appellationem ſortiretur. Quapropter, quod in magnis rebus & deliberationibus volo ſeruatum; hoc idem in minoribus, aut verò in mediocribus. Conſiliarij autem diſcant, quæ & qualia Principi ſuo conſilia ſuggerere in omnibus publicis negotijs debeant. Et Principes viciſsim obſeruēt diligenter, num hoc adiumentum nonum eorum habeant Conſiliarij. Quod quidem cognoſcent hac ipſa ratione. Fingant ſe petere ab ipſis conſilium, in rebus, quæ bono publico prorſus fuerint contrariæ, cauſati quòd quanquam re ipſa eſſent eiuſcemodi, nihilominus tamen expedire principi, vt interim perfruantur. Verbi gratia: violare leges veteres, maxima ciuium priuilegia, imponere grauia tributa populis, & his ſimilia. Et mox ex ipſius conſiliarij reſponſionibus, quo animo ſit in Remp. facilè cognoſcetur. Alias interim vias & rationes, quibus hæc eadem ex dictis factiſq; Conſiliarij perueſtigare liceat, prudens prætereo: partim, quòd intellectu difficiles non fuerint: partim quòd forſitan, ſed & certiſsimè, alios pungerent. Atq; ideo, qui habet aures audiendi, audiat. Regula illa certa, & ſine vlla eſt exceptione: quòd omnis auarus & hypocrita, eſt boni publici hoſtis; & adeò etiam illi ipſi, qui omnia dicunt eſſe Regis, & quòd Regi fas ſit pro libito omnia gerere, & tributa imponere quotquot ſibi placuerint: & adhuc quòd Rex nunquam poteſt à recta via aberrare. Adiumentum decimum eſt, quod idoneum facit conſiliarium; vt totū & integrum corpus curet ipſius Principatus, ne curanda parte vna, relinquat alteram. Quod eſſet inſtar medici illius, qui remedium afferendo vni membro, cauſa deſtructionis eſt aliorum. Proinde integer conſiliarius ita ſit compoſitus, vt prorſus ſe ſpoliet omnibus commodis amicitiæ, agnationibus, perſonarum acceptatione, factionibus, & alijs quibuſcunq; reſpectibus: & veſtiat ſe firma &

prudenti

prudenti bonitate, quæ nec ſcit, neque poteſt, neque vult, niſi virtuti & iuſtitiæ patrocinari. Hanc accipit pro ſuo ſanguine, pro ſua agnatione, pro ſua amicitia & neceſsitudine: hanc vnam reuereatur, & aliud præterea nihil. Ad eum modum oportebit ipſum cunctorum conſiliarium, audire omnes: & propendere animo & voluntate in vniuerſos, ſine aliquo vel minimo alicuius diſcrimine: niſi quantum ratio ſeu virtus pro ſe vniuſcuiuſq; plus vel minus poſtulabit. Eſt bonus & virtute aliquis præſtans, & quàmlibet etiam non ſit, petit iuſtam rem: & ſit quo velit tandem genere, aut ortu, inter Garamantas & Indos natus; hic verò talis eſt eiuſdem nationis, eiuſdem prouinciæ, eiuſdem ciuitatis, eiuſdem factionis, eiuſdem agnationis, eiuſdem familiæ & ſanguinis, cum ipſo conſiliario: & vt tali oportet fauere ipſi conſiliario, cum omni charitate, viribus & diligentia. Eſt alter malus homo, vel etiamſi malus non ſit; petit tamen iniquam rem, & fortaſsis, eſt propinquus amicus, aut cognatus ipſius conſiliarij; hic verò nec eſt nationis, neque eſt prouinciæ, neq; amicorum, neq; cognationis ipſius conſiliarij: atque ideo non ſolùm non debet conſiliarius patrocinari ipſi; ſed adeò etiam eum reprehendere, atq; mulctare. Nam aliud eſt agere publicam, & aliud priuatam perſonam. Non ſunt, niſi duæ in mundo regiones. Bonorum quidem vna: Malorum altera. Omnes boni, licèt Indi, Mauri, gentiles, Chriſtiani, aut alterius ſint ſectæ; certè eiuſdem ſunt vrbis, eiuſdem familiæ, eiuſdem ſanguinis, & agnationis. Et cuncti rurſus mali in contrarium numerum ſunt & erunt referendi. Sed interim tamẽ vt obſeruetur, æqua lance ponderata prius re, amicus, agnatus, vicinus, eiuſdemq; vrbis, aut nationis, ne exterior ſit inferior. Hoc enim volunt diuinæ & humanæ leges, vt potiorem iſtorum habeamus rationem, quàm illorum, qui fortè à nobis ſunt remotiores: verùm præualente interim externo, quàm omnes propinqui & affines, primo loco habeatur. Itaq; inter multa alia, hoc etiam, de quo loquor ipſum, magnum eſt conſiliarij adiumentum. Quod experientia duce ſic Princeps cognoſcet. Primùm quidem, ſi petit aut comparat amicis ſuis peculia, aut ſocijs, aut cognatis, aut familiaribus, & id genus alijs, etiam ſi minus id meruerint, diligenter perquiret: aut ſi eorum cauſa illorum beneficiorum digniores, quo minus illa impetrâſſent, impediuit. Nam qui hæc facit, peccat in hoc decimum conſiliarij adiumentum. Idem ex ipſius animo & beneuolentia, qua in hunc, qua in alium propendet magis, exactè etiam cognoſcetur. Aut ſi aucupando fauore procerum, odium ſibi conflat nobilium: vel ſi rurſus his

ſibi adiungendis populo eſt iniurius & infeſtus. Multi ordinem & ſtatum complectuntur Eccleſiaſticum, & cum iniuria aliorum adiuuando ipſum, ſæpè in Regno cauſa ſunt ſeditionum. Tales aliquando periculo non carent conſiliarij, & deſtruũt non rarò principatum. Quo magis conſiliarius nulla ratione, qui (quod vulgò dicunt) caput eſt partium, admittendus eſt: aut qui gerit apertas cum aliquo regno, ſeu prouincia, aut vrbe, inimicitias, eius principis, cuius agere debet conſiliarium. Omnes namque homines ſumus, & talem conſcientiam habemus; vt cùm fieri poſsit, & gubernaculis rerum potiamur; non videamur prætermiſſuri, cùm aliqua æquitatis ſpecie perturbationibus animi noſtri indulgere, & armis publicis priuatam proſequi vltionem, & denique quod oppreſsi, non contra conſiliarium eorum aduerſarium, ſed contra ipſum principem, concipiunt odium; quaſi ipſe contrariarum partium caput, & promotione, eorum hoſtibus, concedendo in eos potentiam, & auctoritate ſe conſtituerit. Hinc multos principes interfectos fuiſſe proditoriè legimus, ipſius conſiliarij, aut alterius miniſtri odio, cui nimirum princeps ille tribuebat. Vndecimum præſidium, quod, quöad animum idoneum faciat conſiliariũ, eſt: vt bonus & iuſtus ſit. Nam talis cupit pro ſe quemq; quod merita ipſius exigunt ſemper referre, bonos videlicet præmia, & malos ſupplicia, & in vtroq; videt, ne peccet aliquo extremo; neuè benè meritis ea conferat præmia, quæ ſunt ſuperflua, aut rurſus exilia & modica, virtutiq; eorum minus reſpondentia. Et deniq; ne pœnas irroget eas, quę crudeles aut admodum indulgentes videantur. Hic iſte talis homo eſt iuſtus, eſt amator belli & pacis, iuxta loci & temporis opportunitatem, & homo iuſtus & fidelis, quod concilij ipſius eſt fundamentum. Talem ergo videmus vbique amari, cuiuſcunq; tandem conditionis, ſexus, ætatis, gentis & nationis fuerit; & is communiter ab omnibus optimus iudicatur, vt reuera (vt plerunq; fit) eſt perfectus & abſolutus. Huic ſecurè bona, fortunas, coniuges, liberos, vitam, honoremq; noſtrum concredimus; & vna omnium virtus eſt iuſtitia, ſine qua parum reliquæ valent; ipſa verò ſola ſe ipſam ſuſtentat. Itaq; prouidebit Princeps diligenter, vt ipſius conſiliarius re & veritate ſit iuſtus & bonus. Quod ipſum ſic in eo deprehendet. Oratio iuſti habet in ſe pondus & grauitatem, contermina eſt virtuti, & loquitur veritatem: talis præſens & abſens eſt: idem in ore quod in pectore habet: in ſuis negotijs apertus eſt: mala animi, manſuetudine & charitate reprehendit: laudat, extollit bona: totus amor, totus dilectio eſt: & nec ſpe,

neque metu ſententia dimouetur ; quo minus,id quod ſentit,eloquatur: non petit, neq; quęrit aliquid amplius,quàm ipſius poſtulant opera:proſequitur beneuolentia & patrocinio bonos, admonet verò & dehortatur ab inſtituto malos;& in omni deniq; re atq; actione colit & tuetur æquitatem.Talis non eſt nec dici poteſt loquax: nihil extra propoſitum loquitur:non eſt mendax: non loquitur contra conſcientiam : non aliud præſens, aliud abſens profitetur : hypocrita non eſt, nec duplici corde, nec ſuſurro. Nam prę ter,quòd non niſi in homines vilis & anguſti animi cadit ſuſurratio, eſt certum infidelitatis argumentū, cùm ſuſurro in hanc vſq; diem nunquam fidelis ſit repertus. Idem non aliorum mores aut vitia abſentium reprehendit, cùm id corâm facere poſsit; nec vnquam quod ipſe non vidiſſet,aut manibus non palpâſſet certò teſtificatur. At breuiter nunquam talis aget aſſentatorem ; ac nec audire quidem aſſentatores poterit, aut maledicos,aut ſuſurrones. Opera iuſti facilia ſunt cognitu: in pace & tranquillitate viuit : ſuo contentus eſt, laborioſo genere vitæ ſibi ſuiſq; peculij aliquid parare ſtudet: domum habet benè moratam : familiares modeſtos: viuit in luce hominum : æs diſſoluit alienum:rixas & litium refugit controuerſias. Non poteſt verò vlla ratione eſſe iuſtus, qui contentiones quærit, iurgia, pugnas, & partium inter ſe diſsidia : non poteſt eſſe iuſtus, qui ſuo non eſt contentus ; ſed quærit vias & occaſiones per fas & nefas tam bonis quàm malis artibus diteſcendi; & vt tam ipſe quàm ſui potentia augeantur. Non poteſt eſſe iuſtus, qui die noctéq; non inuigilat ; vt potiùs virtute ipſa duce & adminiſtra honoretur, & locupletetur. Non poteſt eſſe iuſtus,qui cùm propter virtutem honoratus eſſe poſsit, negligit teſtimonium & mercedem virtutis. Nam hoc modo,& ſibi & ſuis eſt iniurius; languidam reddit virtutem, & nocet admodum Reipub. Hoc nimirum congruit legi Diuinæ,& præceptis omnium Philoſophorum, ne admittatur illa turpis impoſtura, hominum quorundam ſtultorū, qui ſub ſpecie cuiuſdam humilitatis, id de quo ego admoneo, vocant ambitionem. Etenim propriè illorum dicitur ambitio, qui vt inepti, & nulla virtute ſint freti, vnico tantùm fauore, aut patronorum, aut malis artibus innixi, fidenter petunt præ dignioribus ſe conditionem meliorem. Qui autem ſua virtute, ſcientia, ſudore, vult honorari, & opibus augeri; hic eſt iuſtus,eſt magnanimus,eſt generoſus : & ſi fortè non petit debitum virtutis ſuæ teſtimonium; tum ęſt iniuſtus,eſt vilis, & puſillanimus. Ad propoſitum autem vt redeam, erit aliquis, qui malè moratam ſuam habuerit

domum, pueros & familiares diſſolutos & proteruos, qui viuit ſudoribus alienis, qui debita contrahit, qui delectatur litibus & tumultibus, qui interfector crudelis, & ingratus exiſtit; hic quidem iuſtus dici vel haberi nullo pacto poteſt.

Duodecimum adiumentum conſiliarij eſt, vt ſit largus & liberalis. Namq; populus largitione maximè delectatur, & hanc vnam amat & veneratur: auarum contrà auerſantur vniuerſi. Qui vt cupiditatibus ſatisfaciat ſuis, omnia habet venalia: nihil ſine aliqua commodi ſpe loquitur: & à quo aliquid aliquando ſperet, admittit ad ſe neminem; & ita ſuas apertas tenet cuilibet proditioni, modò fiant, ſe tantùm ſaluo. Qui dum in concilio eſt, alienorum bonorum, iurenè an iniuſtitia, non curat expilandorum, præſtat ſe auctorem; vt tantùm partem aliquam eorum ipſe etiam ſortiatur. Vnde grauiſsima & periculoſiſsima quæq; in Principatu oriuntur. Decoctor verò & prodigus, ſenſim abſumit ſemetipſum; & poſteà decem millibus errorum eſt obnoxius: & inde ſplendor & exiſtimatio eius imminuuntur, & hoc in maiores adhuc labyrintos. Expedit igitur, vt conſiliarius ſit largus & liberalis, & vt media via inter hæc duo inſiſtat extrema. Quod quidem conſiliarij adiumentum, ſic princeps aſſequetur liberalis. Pauperum, virginum, & viduarum iuuat connubia: egentioribus ſubuenit: captos redimit: honeſtorum ſuorum amicorum æs alienum diſſoluit, & viris ingenio & intelligentia rerũ pręſtãtibus omni ratione auxiliatur. Quod ipſum magnum argumentum in Rempub. ipſius erit voluntatis. Prodigus porrò in immoderatis & plurimis epulis cognoſcitur præbendis & ſubminiſtrandis, in ſuperbo & luxurioſo veſtitu, in haſtiludijs & choreis, in venationibus, in hiſtrionibus alendis, & adoleſcentibus ſine aliqua neceſsitate, & in rebus alijs generis eiuſdem, in quibus nec modus neque obſeruatur tempus, neq; ipſum diſcrimen. Auarus verò vel eo agnoſcitur ipſo, quòd ſordidè viuit, & tàm in veſtitu quàm domi ſuæ, plena ſunt omnia mendacitatis. Qui deniq; magis ipſum ſe, quàm principẽ reſpicit ſuum; & omnia omnium actionum ſuarum refert ad priuatum emolumentum. Iam verò & petax perpetuò eſt; & nihil ferè aliud agit, quàm ſupplices libellos perpetuò porrigit, & vrget ſua & ſuorum. In quo magnũ committit errorem; cùm is, qui conſiliarium agit Principis, obliuiſci quaſi deberet ſui; dirigere autẽ omnia ad commoda ſui principis, & nominis immortalitatem. E contrario autem, vt concilium ſuum bonum, candidum, & prouidum, princeps retineat, viciſsim in eo omnem curam & ſolicitudinem ſuam ponat; vt conſiliarios

quàm maximè honoratos, & opibus dignitateque efficiat auctos, cùm credibile sit, omnes & singulos, principe suo iuuando laboraturos, à quo diuitias, amplitudinem, salutem denique suam pendere intuentur. Tredecimum consiliarij adiumentum est, vt beneficus sit: hoc autem est amicus benefaciendi. Quam virtutem Latini dixerunt beneficentiam: & non refertur, neque consistit in prædiorũ aut pecuniæ donatione, sicut ipsa liberalitas; sed in adiuuanda Repub. & vtilitate communi, & eiusdem membrorum admonendo, laudando, vituperando, reprehendendo, consolando, vires & robur adaugendo, prouidendo, fauore, & auctoritate prosequendo, nõ modò eos qui id postulent, sed qui adeò etiam videantur meruisse, etiamsi nihil petant omninò. Itaque homo beneficus, videns vias regias, fontes, flumina, pontes, & alias res publicas aut extruendas, aut meliores faciendas, ponit in eo omnem suam operã apud Principem, & omnes suos ministros vt efficiantur alia: quę sunt malefacta, vt diruãtur aut reficiantur & efficiãtur. Hic porrigit manũ lapsis, erectos facit ire, euntes currere, currentes gradum sistere in lætitia & animi tranquillitate. Hic in aula principis inanimat semper aliquid agentes præclarè, facit eos cognosci, in principis deducit notitiam, & aliquid pro ipsis impetrat stipendij, aut mercedis, denique omnes omni adiuuat ratione, qui laborioso genere vitæ ad decus & gloriam solent contendere. Et rursus eos deijcit, qui malis artibus, ad opes, dignitatesque connituntur. Idem ille malis iudicibus obstat, & operam bonis legibus promulgandis nauat: quas easdem vult strictißimè obseruari. Postremò, qui habet illam virtutem est patronus iusticiæ: est defensor populi, est magister nobilitatis & nauclerus consilij, est pater patriæ, est honos Principis, & quasi alter in terra Deus. Nam damnum facere pro se quisq; faciliùs potest. Tali verò eminere virtute, instar est diuinitatis. Quocirca, vt dicendi finem faciam, consiliarius hanc virtutem debet maximè profiteri, & re ipsa exercere. Quę quomodo cognosci à principe in ipso debeat, ex ijs, quæ de beneficentia sunt allata, non admodum difficilis res est intellectu. Quatuordecimum est adiumentum, quod aptum ostendat consiliarium, est illud, vt mansuetus & affabilis sit; nam hic aditum magnis æquè & paruis, pauperibus & diuitibus ad se præstant: omnes læta excipit fronte, audit omnium postulata attentè, respondet beneuolè, promißis stat cum grauitate, negat sine morositate, reprehendit absque iniuria, expedit absque superbia: ita nimirum, qui aliquid præmij aut beneficij à principe sortiuntur, rem verbis

amplifi-

amplificant, & millies magis, quàm per se est ipsa, laudibus in cælũ efferunt. Qui verò id quod petiuit, non obtinuit, saltem in ipsius consiliarij mansuetudine acquiescit, & aliqua ex parte læto eius aspectu, suauibus responsionibus, eius candido pectore est contentus. Quæ ipsę res ad eum modum sunt comparatæ, vt generosi animi magis aliquando ijs, quàm vel ipsis opibus & diuitijs capiantur. Sic legimus & audimus quotidie multos inductos fuisse, vt bona, & facultates, vitam deniq; perderẽt ipsam, indignatione quadam potiùs, quàm vel iniurijs infinitis. Expedit igitur, vt consiliarius valuas suas apertas fieri cunctis patiatur, & non moueatur auditionibus: nemini etiam desperationis præbeat causam, si id, quod aliquis ab eo petit, pręstare nõ potest, excuset id cum quadam affabilitate, quæ ipsi vel inprimis debet esse commendata. Hoc adiumentum sic princeps cognoscet in suo consiliario. Affabilis homo, est iucundus, statim colligit se, & non est præproperans, circumspectè incedit, eleganter vestitur. Amicus est familiarium conuentuũ, & collocutionum, partium non tenetur studio, cum omnibus omnium generum tractat hominibus, facit dicto factouè iniuriam nemini, prius rumpet caput alicui, quàm vt aliquid iniurium ei loquatur. Est amicus acutè & quadam cum venustate dictorum, amat honestam libertatem, abhorret verò ab omni genere hypocrisiæ, & simulationis. Homo interim præceps & iracundus, nulla ratione potest esse affabilis. Morosum & Melancolicum se ostendit: omnia illi molesta sunt: non admittit ad se petentes facilè: audit & loquitur paucissima, & malo tandem fine terminat cuncta: patientissimum etiam quemque fatigat & offendit, & omnia ab eo pessum eunt negotia: inimicitiarum inter suum principem & subiectos, est ceu quædam seges, & materia perpetua. In quem eundẽ errorem seu vicium incurrit arrogans & superbus, qui omnes ad consiliarij munus prorsus inutiles habentur. Quintumdecimum & vltimum, quod idoneum testatum faciat consiliarium, est adiumentum, vt sit fortis, & ista quidem non est corporis ipsius fortitudo, propter quam nonnulli heröes appellantur, quasi plus quàm ipsi homines. Nam hæc corporalis etiam inter baiulos, vel corpulones reperitur; qui vitam suam pro quatuor regalibus argenteis venalem non inuiti exponunt. Sed nimirum illa, de qua mihi institutus est sermo, non nisi in studiosissimis est veritatis fortitudo, & qui manibus pedibusq; semper illam tuentur, nec vllum vel minimum hac in parte respectum retinẽt personarum. Qua defendenda pro nihilo ducunt ea, quæ alii maximoperè admirantur; videlicet,

delicet, habere familiaritatem cum principe, aut ſecus lætari: vel non eius patrocinio & paupertatem aut diuitias conſequi: habere dominatum vel ſubiectionem: laborem aut requiem: vitam vel mortem, & tam cum proſpera, quàm cum aduerſa fortuna collu-ctari, vnaque & altera æquè eſſe contentum. Nulla autem in aulis domibusque principum peſtis eſt capitalior, quàm quòd rariſsimus cultus, & ſtudium in hominibus eſt veritatis. Quam vt aliquando in apertum proferri neceſſe ſit, adornatur nihilominus blandiciis & lenocinio verborum; ſic vt difficillimè dignoſci queat ab ea, quæ omnium odioſiſsima nocentiſsimaque eſt falſitate. Verè & acutè quidam dixit Philoſophus: Vnam tantùm rem principibus cognitam eſſe, vt videlicet, benè equo inſideant, reliqua non admodum eſſe perſpecta. Etenim cùm neſciat aſſentari equus, ſine vllo reſpectu perſonarum æquè excutit regem, ac quemlibet alium inferiorem. Quo ipſo innuebat aſſentatorem, & quam parum principes delectarentur veritate. Quocirca conſiliarius fortis, non ſolùm vera ipſe principi loquetur, ſed amouebit etiam eos qui ipſius iudicium aſſentatione, atque mendacio adulterant. In quocunq; tandem ſtatu fortunæ, & tam bonorum oppidorum & regionum, quàm etiam coniugum & liberorum amiſsione, ipſius etiam famæ, & aliarum rerum iactura, eſt fortis & penè immobilis, non turbatur: eſt ſui ipſius & rationis dominus, & propterea poteſt ſtatim præcurrere & prouidere rebus, quæ ad ſui principis ſpectant dignitatem. Audire, loqui, reſpondere, præcipere, animare, erigere, tam principem ipſum, quàm & eius populũ poteſt ſine retardatione. Iam & illud perſpicuum eſt, quòd talis non à ratione, non à fide, non à ſui principis amouebitur amore, auro, amicitia, prece, vel precio, nec vlla vi, aut aliqua re, quæ in hac naturæ noſtræ reperitur mortalitate. Quod quidem adiumentum ſic cognoſcet princeps in conſiliario. Vir fortis cultor eſt & amator veritatis: hoſtis verò aſſentationis, non optimè omnium illi conſtat cum iocoſis, non variatur conditione, odio magno habet ſuſurrones, non ridet, liberè loquitur, non eſt ſuperſtitioſus, dicta ipſius habent pondus: peræquè principi ac cuipiam alteri ſuam aperit ſententiam, nec ſcit vel tantillum diſsimulare. Interim ab amicis hypocritarum & aſſentatorum, & qui occultant veritatem, caueant ſibi principes, caueant à conſiliario qui ſe dedit pecuniæ, non modo ſuæ libertatis, ſed & alienæ is aget venditorem: caueant à conſiliario qui bonorum coniugum, aut liberorum interitum ad lachrymas vſq; proſequitur. Lamentatur, qui ſe ipſum conficit, &

magnitudine doloris agitur aliquando in furorem. Nam eiuſmodi nō eſt fortis,ſed potiùs effœminatus & prorſus ineptus, qui conſilio adhibeatur. Atq; hic quidem finiunt adiumenta quindecim, quæ bonum & idoneum teſtatum faciunt conſiliarium, ſi animum eius intueamur. Qua ipſa in re diligens fiat inquiſitio, vt omninò aptus appareat is,qui aggregari concilio debeat, & interim qui adiumenta omnia quindecim habuerit aptiſsimus cenſeatur. Qui verò plus vel minus, eodem modo plus vel minus aptus omninò erit habendus. Illud autem certò certius futurum eſt, in quem ſuprà dicta adiumenta concurrent vniuerſa, illum omninò rerum intelligentia aſſequendarum fore capaciſsimum, & rurſus ab omnibus intelligendum; is haud dubio etiam ſequetur bonum, & fugiet malum, & in omnibus tam conſilijs quàm actionibus ſuis, retinebit firmitatem. Nam eundem oportebit eſſe prudentem, bonum & fortem: bonus autem non fallit, & prudens non fallitur, fortis verò peruincit omnes difficultates. Idem ille amatur à populo, propter liberalitatem, beneficentiam, affabilitatem & conceptam de eo bonam exiſtimationem. Hic habet in omnibus quæ dicit, & fidem facit: nam illis quidem nos noſtraq; credimus omnia, quos ea quæ tractant probè intelligere intuemur, & quos moderatè & iuſtè imperare non ignoramus. Hic orbis totius iudicio omni præ cæteris honore eſt digniſsimus. Nam res planè diuina & admirabilis eſt ingenium, quòd tot diuerſarum artium & ſcientiarum ſit capax. Hic harum in vita rerum contemptor eſt, & nihili ducit ea, quæ alij tantopere admirantur, & in eo felicitatem ſuam omnem reponunt. Sic vt talis, quiſcunque tandem fuerit, verè ſit nobilis & honoratus, ſit illuſtriſsimus, ſit excellentiſsimus, & ſit adeò ſereniſsimus, vt cum quibuſcunque tandem orbis terræ principibus poſsit conferri.

DE ADIVMENTIS IN Conſiliario, ratione corporis.

HOmo quisq; pro ſe, qualis quantusq; ſit, & quantum adeò valeat (ac quæcunq; tandem alia res) duobus maximè experientia & coniectura peruestigatur. Illa quidem maior certiorque eſt, atque adeò etiam magis neceſſaria; quamobrem & principem occupare debet locum. Coniectura ducis inſtar

instar & argumenti est, quæ vt vel nonnunquam fallat, sæpius tamen elucet ipsa,& confirmatur veritate,quo etiam contemnenda, & abijcienda est minus: quanquam non vt peræquè certa, secundarium locum obtineat, & ipsa experientiam proximè comitetur. Iuxta autem hanc institutionem, vt quo pacto idoneus eligendus sit consiliarius planum fiat. Primum quidem cognitum esse volo ab experientia, quæ in dictis factisq; consistit vniuscuiusque: quæ quoniam ab animo proficiscuntur duo, & sine eo nec possunt, nec debent deprehendi; propterea hæc ipsius animi appellaui adiumenta, quæ quindecim his præsidijs vt apparet continentur. Sequitur iam porrò coniectura, quæ per quædam externa idoneum consiliarium reddit testatum, quæ est pars altera nostri de consiliario instituti sermonis, in quo ipso multum esse me, aut oratione non expedit diuagari. Quantum videlicet ipsius adiumenta valeant corporis, & vnde, & quomodo oriantur, & alias, quæ vltro citroque moueri possunt disceptationes, silentio prætereo: sufficietque scire, quod,quomodo prata, si sunt vel secus fertilia, equum bonum vel malum cognoscas: sic esse & notas quasdam hominibus ingenitas, & in ipsorum apparere corporibus,quæ plus vel minus idoneos, si vel adeò animum ipsum spectes, testificantur consiliarios. Qua de re verbis non vtemur pluribus,sed ad ipsas notas, seu adiumenta corporis in consiliario demonstranda veniemus.

Primum adiumentum corporis, quod idoneum monstrat esse consiliarium,est, vt non minus quàm triginta annos habeat,& non excedat sexaginta: nam intra triginta annos intellectus non vsque quaque est tranquillus: experientia verò est modica, arrogantia nimia, ardor grauis, cogitationes elatæ, infirmitas naturæ multiplex, neq; eam,quam par est retinere licet grauitatẽ,cui nec populus satis fidit, neq; sine murmuratione eã prosequi permittit. Cum autem ætatis annum sexagesimum fuerit præteruectus,amittit memoriam, vacillat intellectus ipsius, experientiam in obstinationem vertit, vigorẽ animi perdit, & elabi patitur sibi occasiones opportunas, corpora denique necessariò eneruantur senum, itinera non amplius facere possunt, & quasi quædam perpetua aulæ redduntur impedimenta. Quanquam interim non inficior omnes regulas, suas habere exceptiones, & infra trigesimum, atq; etiam post sexagesimum ætatis annum, idoneos nonnullos huic muneri reperiri, paucos tamen illos, & tempore admodum rariore. Et ego de eo, quod magis certum & obseruatum est loquor; quo magis intra triginta & sexaginta ætatis annos, consiliarios eligi iudico oportere,

vtpote qui (si fortè aliud quid non intercesserit) totis triginta annis suam nauare operam poterunt Reipub. qui sicuti inter viride & sterile sunt medij; ita & animum magis habent temperatum, & sunt magis graues: pollent vsu & experientia rerum, valent memoria, præstant viuacitate, natura ipsa eos corroborante, recto gaudent iudicio, non laborant peræquè perturbationibus animi, nituntur ratione & consilio, imbecillitas non admodum est eis nocens, tuentur semper cum dignitate grauitatem, ire & redire non incommodè queunt, obseruat eos populus, & fidem ipsis habet quam meritò debet. Ac postremò non alterius ætatis suos eliget princeps consiliarios, vt ij qui infra hanc ætatem sunt, dent literis in gymnasijs operam, peregrinentur, exterorum mores, & vrbes videant, linguas discant, sequantur militiam & aulas, & omnia illa assequi conentur, quæ ego in hoc secundo capitulo comprehendi. Qui verò ætatis suæ sexagesimum superuenerint annum, domum redeant, quieti se dent, suas exonerent conscientias, & discant tempestiuè mori. Quibus princeps, quod aliquando olim Romani suis emeritis dabant, largiatur, vt videlicet honores, dignitates, & excellentiora priuilegia, & annuos reditus, pro vniuscuiusq; meritis atq; virtute. Secundum adiumentum, quod quöad corpus idoneum monstret cõsiliarium, quam vulgò appellant complexio est; nam certa quædam temperamenta habentur, quæ natura aptos quosdam & illustres faciunt: & ex aduersus ineptos & obscuros alios, qui vt etiam diu noctuque in eo quod illis ingenitum est, emendando perpetuò elaborent, vix proficiunt aliquid aliquando. Illi verò priores exigua arte & diligentia nixi, quod volunt assequuntur: & in horas redduntur aptiores. Ac proinde bonum consiliarium sanguineum aut colericum, neque alterius complexionis arbitror esse oportere. Nam vt plerumque fit, istius & non alterius commixtionis, sunt ingeniosi: & habent præterea memoriæ satis, deque rebus rectè & scienter verba faciunt: clarum habent iudicium, sunt iusti & benigni, affabiles, candidi, magnifici, benefici, & magnanimi, natura fortes, corpore agiles, & vel minimum valetudinarij. Modus tales non est difficilis cognoscendi, præsertim cum principi non desint medici, quorum vel hac in parte consilio vtatur. Videat autem inprimis, ne consilio suo phlegmaticum aut melancholicum adhibeat. Nam ad omne genus gubernationis eiusmodi ipsa natura sunt inepti, præsertim si munere consiliariorum perfungantur. Etenim melancholicus, vt est natura siccus & frigidus, terrestris est, hoc est eiusdem quæ & terra complexionis:

xionis: itaque humi ſemper repit, & vix à terra eleuatur: eſt moroſus, triſtis, ſordidus, vanus, expers, & quaſi hoſtis illuſtrium cogitationum, malitioſus, & ceu quodam veneno vas plenum, eſt ſuperſtitioſus; ſic vt huius complexionis homines, religionem ſuis ſomnijs, & ocioſis quæſtionibus corruperint. Hic idem aliqua ex parte eſt & ſuſpitioſus: & quo magis ſe neſcit, eo minus habet intellectus: ipſa eſt inuidia, ſtatim excandeſcit, & manus temerè cõſerit, perpetuoque iurgatur, ac denique infinitis contumelijs, & iaciendis in alios maledictis eſt iniurius quàmplurimis. Quid multa? melancholici Saturno ſunt ſubiecti. Mira autem eſt res, quantopere philoſophi omnes ſaturninos auerſentur; ſic vt certũ habeatur, Apolonium Thianeum Epheſi melancholicũ quendam inueniſſe, qui ſua ſola præſentia vrbem totam corruperat, vnde poſtea peſtilentiæ lues grauiſsima eſt ſequuta. Phlegmaticus porrò eſt turpis, tardus, ſimplex, ignarus, neque vlla in eo reperitur virtus, ſed omnes ſunt minores quàm vel mediocres. Tertium adiumentum, quod conſiliarij oſtendat virtutem quöad corpus, ipſa corporis eſt habitudo, quę omnium optima, ſi mediocris fuerit ſemper habetur; nam hac in parte extrema omninò ſunt vitioſa, & adimunt, quæ eius eſt anima, conſiliario autoritatem. Proceræ namq; admodum ſtaturæ aliquem omnes aſtrologi non bene eſſe compactum teſtificantur; & ſic demum raro eſſe affirmant ſapientem: præſertim ſi fuerit debilis, & colli paulò altioris, quo etiam minus verentur parum idoneum, & prouidum ipſum appellare. Vnde cõmuni eorum ſermone tritum, natum eſt prouerbium: Subtilem & longum plerumque eſſe ſtupidum. In paruo verò non peræquè tot vitia gubernationi infeſta, quàm in longo licuit obſeruâſſe, eo duntaxat excepto, quòd parui ſoleant eſſe iracundi, arrogantes, & vulgus eos ridet, neque vnquam magnopere æſtimat & admiratur. Quæ quidem natura ingenita nullo pacto excuſari queunt, adeò vt principi neceſſarium fuerit, quöad eius fieri maximè poteſt curare, ne in conſiliario contraria bonæ reperiatur habitudo; etenim riſu publico poſtea facilè exagitatur. Cum autem nimis pingues quaſi dolium, aut ſubtilis vt congrus inſolatus, qui in quadrageſima comeditur ſpectantur, vt alia incommoda, quæ ex humore, aut pingui, aut tenui eis obueniunt, prætercam: qui quidem humor planè ad gubernationem reddit eos ineptiſsimos: quorum vitandorum cauſa, corpore & ſtatura mediocri expediet conſiliarios elegiſſe. Quartum adiumentum, quod idoneum quöad quidem corpus, monſtret conſiliarium, naturalis ingenita eſt proportio, in

qua vnum alteri membrum respondet,vt nec demi neq; addi posse aliquid videatur. Etenim, vbi in aliquo horum peccatum deprehendas; magnum argumentum est & animi ipsius vitiosi, & offenduntur haud dubie spectatores. Proportio verò in omnibus corporis partibus, est quidam ordo non magis mirabilis, quàm & delectabilis : cùm videlicet neque minus neq; maius est caput, quàm reliquum corpus requirat. Quod idem & de alijs membris statuemus: ne vna manus sit longior,contractior altera,humerus hic eleuatus, ille depressus, & alia generis eiusdem. Integritas quoque partium est pernecessaria. Luscum, gibbosum, aut sine pede, manu, brachiouè nasci aliquem, monstrosum est: & aut superfluitas, aut defectus materiæ est causa. Et talis omnium ferè physicorum est opinio, præsertim Galeni & Hippocratis, cunctos ad eum modum generatos (nisi fortè successu temporis aliunde id euenerit) habere infinita, quibus tam in intellectu, quàm in vita & moribus impediuntur. Et dicunt Aristotelem crebris illud vsurpâsse sermonibus : Libera me Deus à natura signato. Quibus de causis omnibus, inprimis autem ne homines eos refugiant & auersentur, in ea prorsus sum sententia. Eos qui horum vitiorum aliquo laborauerint, in reliquorum consiliariorum numerũ non esse assciscendos. Quintum & postremum quöad corpus eius, qui consiliarium agere debet, est adiumentum, vt pulchra & venusta sit facie, propterea quòd ijs, qui hoc naturæ habent beneficium, honor præ aliis defertur, & summopere diliguntur: & nescio quomodo præ cæteris multum in vulgus habent authoritatis. Ideò consiliarius mediocre & rotundum, neque cacuminis instar habere debet caput, faciem quidem longiorem quàm rotundam potiùs, non paruam neq; minus etiam carnosam : frontem eleuatam, aut mediocrem, non paruam aut tristem : oculos porrò mediocres, viuos & tranquillos, non omnium maximos, neq; etiam admodum paruos, aut turbidos,non sine grauitate: nares longiores & delicatas,non breues, neque crassas, neque depressas: labia mediocriter crassa, non minus subtilia, neque etiam crassa, neque pendentia: & sit deniq; venustus ad insinuandum se, hominum beneuolentiæ accommodatus. Atque hîc quidem finem adiumentorum faciam, quæ consiliarium corporis ipsius ratione aptum declarant. Interim autem meam hanc diligentiã, quòd minuta etiam ista de adiumentis consiliarij adeò tractauerim, reprehensuros esse quosdam non dubitabo. Verùm ego istis haud ita dubitanter vicissim respondebo, eum qui aliquid bene tractare & discutere cupiat,per omnia sermone & co-

ne & cogitatione nulla penitus prętermiſſa re diuagari oportere,& magis aliquando iſta, quæ minuta, videntur eſſe obſeruanda; cùm ſine illis, nec poſsint neque debeant vlla ratione ſtare maiora. Videmus, cùm ad domus alicuius venitur emptionem, quanta vtamur diligentia, non ſolùm fundamenta & parietes, ſed ipſa etiam ſtabula,& illa loca,quæ honeſtè dici non poſſunt,ſolertiſsimè ſcrutamur, & perueſtigamus. Quantò verò magis acutè in eum introſpicere par fuerit, qui regna & prouincias gubernabit, empturi equum pro decem,quinquaginta, centum,vel ducentis aureis,quid non faciamus? iubam, buccam, oſſa, oculos, aures, pedes, crura, pilos, formam, & id genus alia, acutè rimamur vniuerſa, iubemus vt currat, vt gradum ſiſtat, vt redeat,vt in gyrum vertatur,& vt lentò inambulet, quomodo denique vel bibit, vel comedit, inquirimus diligenter. Princeps ipſe,vt dentes equi videat,vel ſuas in eius buccam manus ingerit aliquando. At nobis quid minutam in eo cognoſcendo videatur,quem noſtris præficiamus facultatibus, cui honorem vitamq; noſtram concredamus, & qui curam gerere debeat totius noſtri principatus.

DE ELECTIONE Conſiliarij.

DVæ tantùm ſunt res (quod ſecundi capituli principio ſuperius eſt dictum) quæ in conſiliario potiſſimum ſpectantur deligendo. Vna eſt,verè dignum & tanto muneri eſſe idoneum, quæ ipſa in præcedentibus capitibus duobus ſatis ſuperque eſt explicata,rita & prudens:de qua nunc loquar,electio eſt altera, quæ non niſi penes ipſum conſiſtit principem, vt nimirum intelligat, quo, quando, quomodo, quis egeat,& ſibi ſuiſque conſulat, conſiliario. Neque enim mihi eſt dubium, conſiliarij electionem tanti ponderis & momenti eſſe rem, pro ſe quenque principem cogitare oportere, vt ex vna quidem parte,honos,& commoda ipſius conſiſtant in eo omnia: ex altera vituperium & interitus tam eius, quàm populi conſequatur. At vt breuiter multa complectar, alijs quæ in hanc ſententiam dici poſſunt pluribus præteritis, vulgo videmus primum & præcipuum iudicium de principibus & eorum virtutibus à conſiliarijs proficiſci, qui ſi idonei & ſapientes fuerint, haud dubiè & princeps ipſe habetur ſapientiſsimus. Hic

verò vt

verò vt quales idonei ſint, intelligentia aſſequatur,eoſdemque ſibi fideles & ſynceros reddat; id potiſsimum ſpectet, ne hac vna in re erret aliquando vehementius, in qua ſemel lapſus,facilè in reliquis etiam ſemper impingat. Etenim vt riuulis fontis infectis tota aqua corrumpitur; ſic conſilio deprauato regis, reliqua etiam in adminiſtratione publica defœdantur.Hinc audimus, cùm vna omnium voce ſolet laudare populus principem,tum nimirum eam inde laudem potiſsimùm exorditur, quòd præſtantes conſiliarios habet: & in his demùm,ſi quis adeò antecellit, tum ait: Hic aut ille,tali prę-ſtat virtute, & hoc aut illo nomine populo ſatisfacit. Iam verò mox viciſsim murmurat, & peſsimè contentus eſt, ſi defuerint; maximè autem, ſi bellum gerendum eſt,ſtatim acclamant: Deſunt nobis boni conſiliarij: hic & ille rex, tales habet ad tractationem pacis viros,& alias pactiones aut conditiones ineundas. Vniuerſus deniq; populus ſibi metuit,& vociferatur: Nos,inquit,decipiemur, & in diſcrimen rerum noſtrarum veniemus; quia nobis deeſt bonum conſilium. Non eſt igitur dubitandũ nos à recti cõſilij viribus & authoritate & omnia dependere. Quod rectè aliquando regius Propheta intellexit, cùm in bello,quod ei cum filio Abſolon interceſſerat, non alio nomine Deum Opt. Max. precabatur, quàm vt conſiliarium eius primarium excœcaſſet: nam magis ſibi ab Achitoffel, quod erat nomen conſiliarij, metuebat conſilio, quàm ab armis, bellandique vſu, & artibus omnium reliquorum. Habeat princeps conſiliarios bonos, hi vt aliquando errent, non erit cui is facilè fidem faciat.Si autem ſecus fuerit,& res vel aliquando ſuccedant benè, tribuitur caſui; & errore aut negligentia aduerſariorum,præter omnem expectationem dicitur eueniſſe. Certiſsimum igitur eſt, à concilio & conſiliarijs bonis,non ſolùm proſperum rerũ ſucceſſum,& ipſum honorem ac famã principis proficiſci,& tam quidem apud ſuos, quàm & apud exteros ipſum magni fieri, & retinere vbique autoritatem; vt videlicet ament eum ſui, & reuereantur exteri;& vna omnium voce paſsim & vbiq; prædicetur.Quare primum & præcipuum eligendo conſiliario id princeps habeat; vt meminerit & ſæpius ſeu conſideret ea, quæ hoc capitulo continentur. Secunda ſit admonitio, vt princeps etiam atque etiam cogitet tali conſiliario magis egere ſe, quàm ipſo, quem comedit, pane: & hoc ideo maximè,vt audire poſsit & admittere apud ſe veritatem. Etenim vix eſt credibile,nudam veritatem,ad aures principis, propter adulatorum multitudinem, quibus vndiquaq; ſemper circumſeptus eſt, peruenire. Audienda quippe ab vno quoq;

ſine diſcri-

sine discrimine, veritate, admittendæ autoritatis suæ periculo non caret; vt ad extremum tandem nihili & contemptui habeatur: neque expedit omninò, vt velint eius veritatis enunciandæ concedere omnibus facultatem. Sed suos principem habere consiliarios necesse est ijs præsidijs, de quibus in alijs capitibus diximus, instructos & locupletatos; qui & veritatem intelligere sciant, & suo loco & tempore velint eam proferre: & istorum quidem id propriè incumbet muneri; vt in omnibus, & per omnia obseruent & loquantur veritatem. Atque hæc vnica erit via illius audiendæ, & assentatoriæ cognoscendæ, & penitus explodendæ falsitatis, qua vix crediderim, meliorem aliam posse reperiri rationem. Tertia admonitio est, vt princeps, qui in multas habet partes dispartitum imperium, eligat ex omnibus & diuersis partibus, aut prouincijs sibi subiectis, consiliarios, non tantùm ex vna aut item altera. Cuius rei ergò facilius declarandæ, exemplo, & quidem domestico, regis catholici Hispaniarum vtemur. Inter alia plura ille dominatur Arragoniæ, Castiliæ, Siciliæ, Neapoleos, regnis, Mediolano, & inferiorum prouinciarum, Burgundicæ familiæ posſidet principatum. Debet igitur habere consiliarios, non solùm Arragonenses, aut ex Castellæ regno oriundos; sed etiam Siculos, Neapolitanos, Mediolanenses, & Burgundos. Et quæ hoc loco de Hispaniarum rege diximus, hoc de omnibus principibus dictum esto generatim. Expedit quippè rebus, vt hac vnica insistant via, si populos suos rectè gerere, & reddere sibi non infestos volunt: nam alioqui pessum eunt vniuersa, ægerrimeque à publicis gubernaculis gentes & nationes amoueri se patiuntur, & quasi in furorem aguntur, cùm suæ gentis vel agnationis vident in consilio neminem: existimant namque non sine causa id fieri, & aut à principe haberi despicatui se, aut seruorum instar, aut deniq; indignos quibus se concredat, arbitrantur. Ac primum quidem ingenerat odium: alterum quærit & concupiscit libertatem, vnde in principem coniurationes oriuntur, & externorum arma euocantur: postremum inflammat & obdurat corda subiectorum, ad quamùis proditionem in suum naturalem principem prosequendam. Iam & illud perspicuum est, quòd illarum regionum, in quibus nati & educati sumus, omnes omnium mores, ingenia, desideria, virtutes, vitiaque hominum, ac denique ipsas familias, ac earum merita, maculas, commoditates & difficultates, vtilia deniq; & damnosa cuncta, rectiùs cognoscimus, quàm externarum. Quo etiam magis, si ex omnibus, quæ illi subiacent prouincijs, rex elegerit consiliarios, natos, inquam, & in ijs

educatos, poterit rebus commodius prouidere. Et quidem natura ipſa duce ita eſt comparatum, vt noſtros magis amemus ſemper, quàm externos & alienigenas: multa namq; nos conſociant & obligant noſtris, ſanguis, ſocietas, amicitia, obſequia, merita, vicinitates. Ac quo maximè tenentur boni, ſub ijsdem legibus eſſe natum atque educatum plurimum intereſt: earum enim rerum nulla cum externis nobis eſt communitas. conſequensergo eſt in & extra conſilium, citius & melius, & maiori cum diligentia, domeſticorum negotia tractari, quàm externorum; qui quando conſequi aliquid nituntur, oportet eos ſudare guttas ſanguinis, ſummo labore,& (vt ita dicam) brachiorum contentione parant omnia;aut verò quod boni mercatores facere ſolent, numeratis pecunijs emunt quæ concupiſcunt. O quàm autem infelix eſt illa prouincia, quæ in principis ſui conſilio, ne vnum quidem ſuæ nationis conſiliarium intuetur.Iam verò & princeps ipſe,qui ex vna tantùm gente eligit ſibi conſiliarios, vt mihi quidem videtur maximè animi laborat impotentia, & partium ſectarumque ſe oſtendit amatorem. Etenim cùm nationi vni tribuuntur omnia, aut ſaltem maxima,neceſſariò illa tandẽ inſoleſcit: quod cùm aliæ indignius ferant,inflãmãtur tãdẽ inuidia,& in ipſos principes iaciunt maledicta,& deniq; perditos eos cupiunt, & varias concitant in eos ſeditiones, vnde poſtea ad bella & tumultus deuenitur. Iam & quælibet ſua vitia & virtutes habet prouincia, habet bonos & malos, doctos & indoctos, fidos & infidos: quam ad rem non multis mihi opus eſt verbis: qui poteſt me intelligat, ego quidem ſatis me ipſum intelligo. Princeps pro ſe quiſq; publica iuris ipſius ratione perſona eſt: nolit ergo contra rationem partium oſtendere ſe fautorem: eſt omnium ciuitatum ſuarum & regionum ciuis, nolit eſſe alienigena & externus: eſt pater omnium, non expedit vt vitrici loco habeatur. At breuiter, cùm conſilium principis omnes ipſius debeat regere prouincias, ex omnibus ijs conſiliarios operæpretium ad illud erit quæſiuiſſe. Quarta eſt admonitio, vt princeps eligendo conſiliario,non modò eorum numero,quos in aula ſua habet,aut aliquando eos vidit, vel de ijs audiuit, & vt vel ipſa re idonei reperiantur, ſit contentus; ſed vt adeò etiam omni via & ratione, quöad eius fieri maximè poteſt, de ijs perquirat, ſuiſque præfectis, vel prouinciarum mandet rectoribus; vt omni adhibita ſolicitudine & cura diligenter perueſtigent, qui ad hoc conſiliarij munus, plus vel minus apti videantur. Quorum trium aut quatuor nomina mitti debent: & ille ad ſe proficiſcentibus viatico non deſit, ſi vt cognoſcãtur in

tur in aulam euocarentur. Vix autem percenſeri tot ac tanta commoda poſſunt, quæ ex hac vna admonitione,ſi rectè obſeruaretur, proficiſcerentur. Interim ſufficiat ſciuiſſe, inter complures aptos, quàm inter paucos facilius inueniri excellentiſsimum, & populos gaudere,magisque amare principem,cùm paterna cura illum affici omniũ,& æquè procurare commoda & ornamenta omniũ deprehendunt. Iam & homines nobiles magis inuigilabunt artibus, gubernationis addiſcendis, & vt benè ſcienterq; inter alios viuant,citra omnem infamiam ſeu reprehenſionem leuitatis. Hinc miſſa facient vitia, perſequentur virtutes, fugient ſcandala, & alia quæque turpiora; vt tantum nomen ſibi concilient,& in eum numerum referri poſsint aliquando. Hæc eadem poſtremò in ſuis prouincijs via cognoſcet princeps ſuos exactius,quales, & quanti ſint, & quid pro ſe quisque ipſorum mereatur. Atque ita pro re & occaſione, pro diuerſis periculis, negotijs, & muneribus publicis, quo loco quid promere poterit & debebit, non eum præteribit. In numero quidem ipſorum,qui apti eſſe cenſebuntur, vnus tandem aut alter reſtabit: verùm non reſtet princeps ipſe conſolari ſua affabilitate cunctos, laudando illorum mores,atq; adeò vitæ ipſius inſtitutum, in quo & perſeuerare, & curſum gloriæ continuare velint,ſpe præmiorum propoſita eos hortetur,& tandem aut in aula ſeruabit ſibi aliquos, aut publicis præficiet muneribus,aut domũ reuerti patietur. Et hac nimirum ratione pro vniuscuiusq; meritis & autoritate dicetur rectè omnes tractauiſſe,& reddet haud dubiè contentos,& ipſi conſilio optimè prouidebit.Quinta eſt admonitio,vt in eligẽdo conſiliario princeps celeritate nõ vtatur nimia rationi & diligentię inimica;ſed ſenſim & pedetentim ad eos,qui nominati fuerint muneri conſiliarij pręficiendos,progrediatur:& interim detur facultas omnibus omniũ vitiorum,tam ſcripto quàm voce proferendorum candidati,eiuſq; rei commodius exequendę gratia,immunes accuſatores ſunto; ſed tamen ita,vt via obſepiatur falſitati: quod fiet, ſi talionis, quæ dicitur lex omni ſeueritate animaduerſionis ſuũ effectum ſortietur, incurrentq; indignationem principes, qui tales fuerint. Iam & illud grauibus pœnis cauendum eſt, ne quis ea, quæ de ipſo principi referri debebunt, tam per ſe quàm per alium, vllo modo impediat. Hinc enim tam vitia, quàm virtutes candidatorum magis erunt exploratæ,& portæ calumnijs obſtruentur, & qui idonei fuerint,concilio ſubminiſtrabuntur: qui verò minus idonei erunt,ſaltem non audebunt eſſe petaces,ne cum infamia repellantur. Hoc idem aliquando in eligendis magiſtratibus obſeruaba-

tur Romæ, pœnis & præmijs in vtramque partem propositis, quæ executioni strictissimè mandabantur. Quæ, quöad durauit consuetudo, floruit semper Roma: vt desita est obseruari, eò tandem quò videmus res deuenit. Sexta admonitio est, vt attentè & alacriter tàm accusationes, quàm commendationes omnes candidati princeps audiat; sed interim tamen facile fidem habeat nemini, si infames accusationes erunt, cogitet & veras & falsas esse posse, & quàm multi malitiosi, inuidi, ignari, animo impotentes, reperiantur. Neque verò dicat: hoc mihi dux aut episcopus ille, sacerdos, doctor, pater sanctus, aut denique hic vel ille narrauit: nam vel inter ipsas cruces, quod dicitur, diabolus est medius vel nonnunquam: hoc autem est, quòd omnes homines sumus, & fallere atque falli possumus. Qua de causa princeps non facilè alicui credat, antequam recto iudicio & inquisitioni sui tribunalis id commiserit, atque eodem etiam modo, si vel in fauorem candidati, multa sortiatur testimonia, ne ijs quidem habeat perfacile fidem: non enim sufficit dixisse talis cardinalis, talis marchio, talis miles, talis religiosus, bonus & sanctus, hoc vel illud mihi confirmauit. Equidem nos omnes homines esse memini, qui aut alios circumscribimus, aut circumscribimur metipsi. Atque vnum illud tandem est certissimum, qui de his rebus testimonia dant, nunc rectè, nunc sinistrè multa referre quamplurimos; & interdum partim cupiditate moueri aliqua, partim inuidentia, partim commodorum spe, partim etiam vanitate. Quæ vt omnia non subito dignoscantur, est quod latent sub quodam seu integumento studij erga principem, & desiderio ipsius dignitatis; & sunt tanquam bolus quidam medicorum inaurati, in quo exterius non apparet, quæ intus recondita est amaritudo. Credere interim facilè, quòd experientia magistra, num ita se vel secus habeat possis scire, nunquam fuit sapientis. Velim igitur principem cum S. Thoma loqui, & non nisi ea credere, quæ aut oculis cernere, aut manibus potuerit ipse palpare. Septima admonitio est, vt nullo modo, non præcedente examine, consiliarius eligatur, quòd si dignus vel secus fuerit, possit constare. Memini probè, quid superioribus diebus eligendo pistore regis Hispaniarum dulciario acciderit, res haud dubiè eò deducta est; vt is potissimum eligeretur, qui quibusdam confectis ex sacharo, sciebat sibi melius conciliare fautores. Iam & illud in mentem venit, quod aliquando Cardinalem Ludouicum Borbonium, cùm ex regno Galliarum ab eo postulans discedendi facultatem alloquerer, cùm ad arma vtrinq; spectarent res, anno à Christo nato suprà mille quin-

gentos primo & quinquagesimo,cuidam,qui canes venaticos volebat ipsi donare memini dixisse : Fac, inquit, vt venandi periculum primùm ijs faciam: tum si mihi vsui secusuè fuerint,facilius iudicabo. Hoc quidem, vt rude hoc loco adduci argumentumvideatur, certissimum tamen est, nec pistores dulciarios sine examine, neque canes sine venandi exercitatione, posse spectari. Examen autem erit illud, vt princeps semel atque iterum, sedulò inquam & accuratè perquirat, an candidatus habeat adiumenta illa, quæ ego in secundo & tertio capitulo annotaui, & vt eo modo, quo ego monui cuncta peruestiget: nam qui illis adiumentis carebit, prorsus erit inutilis; qui cuncta habebit, erit haud dubiè perfectissimus; & qui plus vel minus, eodem modo plus vel minus idoneus erit existimatus. Vt igitur hæc omnia adiumenta metiatur princeps, vnam vlnam quindecim palmarũ, hoc est quindecim adiumentorum animum concernentium, & quinque palmarum alteram,hoc est quinq; adiumentorum,quæ corpus spectant, adhibebit. Qui omnes, aut saltem habebit plures, is postpositis alijs,ad consiliarij munus rectissimè eligetur; ita quidem,vt si vnus habuerit decem,alter verò octo aut nouem,ille qui habet decem cunctis præponatur, nec vllum sit in hominibus discrimen, siue ille diues, siue pauper fuerit, siue paruus, siue magnus, siue ignotus, siue familiaris. Nam si potens dux, aut nobilis prædiues, aut intimus aliquis familiaris, simul & semel ambiret consiliarij munus, cum eo qui nec principatu, neque diuitijs, neque gratia ipsius principis comparandus ijs esset, superior duntaxat illis de quibus diximus adiumentis euaderet, citra vllam dubitationem præ cæteris eligendus, reliqui omnes essent repudiandi. Et quidem hoc intelligitur, de ijs, qui elucent clara aliqua & illustri virtute. Munera quippè publica debentur virtuti potissimum, & non aut beneuolentiæ gratia, aut præstitorum obsequiorum causa,aut etiam diuitiarum ergò sunt distribuenda. Interim certum etiam illud definitumque esse, & fauorem, & diuitias, & obsequia tum haud dubiè valere, cùm in vtramque partem virtutis, paria sunt adiumenta. Exempli gratia: si competitores duo æqua lance ponderandi essent, tum princeps suæ in aliquem tribuere posset aliquid voluntati,& obsequiorum ipsius recordari, concedere etiam nonnihil potentiæ,& non obliuisci pręstantium in Rempub. meritorum, aut suæ regali maiestati præstitorum. Etenim certissima hæc est regula, muneranon nisi ex his causis tribus, vnius causæ concedi gratia, videlicet, aut propter merita, aut propter fauorem, aut

propter potentiam. Primus modus, vt ita dicam est ipsius virtutis, postremus abusus, intermedius vt etiam abusus sit, postremò tamen non potest comparari. Vt vt autem habet se res, illa quidem boni principis & tyranni est nota, quod princeps virtuti tribuit, quæ tribuenda sunt omnia, honores & magistratus: tyrannus propter fauorem & potentiam largitur vniuersa, qui quidem in tertiam generationem vix suum tuebitur principatum. Prætereo multas alias & graues rationes, quæ hoc loco commodè adduci possent & deberent: eo tantum finem facio, identidemque moneo, examen vt diligentissimum adhibeatur, & is præ cæteris eligatur, qui præscriptis regulis, secundi & tertij capituli accedet quàm proximè semper, & denique vt illud examen ipsum ab illo principe, & non à quopiam fiat alio vllo modo aliquando. Octaua admonitio est, vt posteaquam examen factum & subsecutum ea ratione, quam proximo præscripsimus capite fuerit, sine vlla vel minima priorum præceptionum, aut in hanc vel in illam partem interpretatione, tum demùm duobus tribusuè diebus pòst, vocet ad se princeps eundem consiliarium, & præsentibus audientibusq; aulæ suæ cunctis, portis apertis, breuibus verbis ei demonstret; quomodo sit electus virtutis & meritorum suorum causa consiliarius, pro ea spe & opinione, quam omnes de ipso conceperunt. Videret igitur, vt virtute, integritate, & morum vitæque constantia in omnibus eam opinionem tueatur: demum principatum suum & omnia ipsius commoda & ornamenta diligenter ei commendabit; eo etiam adiuncto, vt pro re & occasione, cum ea qua par est modestia, liberè eum hortetur & dehortetur, & suggerat cuncta, quæ ad ipsum pertinere maximè iudicabit. Ac nimirum dicet, vt nulla nō animaduersionis grauitate, in eum vsurum se esse, si quid cōtra officiū fecerit: sic rursus & libenter opibus & honoribus eum aucturum, si de se semel expectationē excitatam virtute & industria sartam tectamq; cōseruauerit. Hæc tali & tam necessaria admonitione in effectū deducenda, princeps sibi deuinctos reddit populos, ad virtutem & gloriam accenduntur boni, terror & desperatio inijcitur malis: consiliarius postremò ipse non solùm similis esse sui; sed adeò etiam ipsam expectationem de se semel excitatam indies vincere, quàm maximè poterit semper contendet. Nona & extrema est admonitio; vt his omnibus, quæ antea dicta sunt ritè peractis, solenne à consiliario iusiurandum princeps exigat ipse, in quo Deo Opt. Max. bonum & fidelem consiliarium se eius futurum esse, & commoda dignitatemq; principatus diligen-

tissime

tiſsimè curaturum, & quod deniq; nec vitæ, neque ſanguinis, neque bonorum, aut vtilitatis alicuius ſpe, vel ratione à iuſtitia & æquitate, ſe dimoueri patietur. Exacto ad eum modum iuramento, non eſt quod adhibeat ipſum alijs negotijs. Dici autem vix poteſt, quantum inde proueniet commodorum. Etenim, ſi tum forte officio & iuramento ſuo conſiliarius non ſatisfecerit, princeps in ipſum iuſtam habiturus cauſam indignationis, tanquam in eum, qui fidei & conſcientiæ ſuæ obliuiſceretur. Ipſe verò conſiliarius magis reddetur circumſpectus, ne officio & functione ſua abutatur: iis etiam, qui contra ius & æquitatem ab eo precibus obtinere volent, ſanguinis & neceſsitudinis colore alicuius, facilius, & cũ maiori æquitate ſe excuſabit. Populus deniq; rebus iniuſtis poſtulandis, erit moderatior, & aſſueſcet honeſta à conſiliariis regiis poſtulare; & ſi quid in contrarium fecerint, fidentius eos deferret & accuſabit.

OPERIS CONCLVSIO.

HOC illud eſt totum, quod in hoc primo octo librorum dixiſſe libro occurrebat, in quem materia de concilio & conſiliario principis debet inferri. Iam verò ſatis ſuperque quid ſit concilium, eſt declaratum. Et quomodo pro ſe quemque principem (ſi aliâs benè gubernare cupit) concilia differentia ſeptem, in omnibus & per omnia, in munere & adminiſtratione tota, in miniſtris, in mandatis, & authoritate, expediat ordinare. Eſt denique illud etiam oſtenſum, quid ſit & dicatur conſiliarius, qui, vt adeò aptus & idoneus habeatur, adiumenta viginti eum habere oportere, quindecim ratione animi, corporis duntaxat quinque. Iam & principi notas & admonitiones nouem, quomodo & quando eligere conſiliarium debeat ſuggeſsi. Hoc quidem eſt totum, quod apud animum propoſueram meum, & quod vel initiò iſtius libri me facturum eſſe promiſeram. Quam ipſam ad rem diuinæ & humanæ induxerunt me leges, quibus, vt quo & quando maximè poteſt, vnus alterum iuuet, obligamur; præſertim in rebus, quæ ad publicam maximè ſpectant ſalutem & vtilitatem. Quales concilium & conſiliarij ipſius ſunt principis. Quod ſi in me eſſet formare, quale fieri expediret concilium, ſicuti quidem ſcripto eſt comprehenſum, prius boni concilij proponerem exemplum, quàm illud ſtilo adumbrarem: ſed quando vnum non

datur

datur, præstemus saltem illud, quod nostræ est potestatis. Illis incumbet reliquorũ perficiendorum cura, qui ad voluntatem afferre pariter poterunt facultatẽ, quo profectò & maioris quietis suæ causa, & tàm honoris, quàm vtilitatis gratia debent præstare. Ego interim, quöad vixero, duo illa diuinitus precabor: Vnum, vt principum aperiat oculos, vt quid eorum conciliis & consiliariis desit videant: aut vt tandem aliquando seriò secum, quomodo his tot ac tantis malis occurri poßit recognoscant: dimidium certè itineris confectum iudicarem, si vel saltem an bonum vel malum eis est consilium cogitarent: Nulla quippè infirmitas, quàm ea, quæ non cognoscitur, maior habetur. Alterum est, vt ij, qui sunt consiliorum apud principes directores, omnibus perturbationibus animi semotis, salutaribus monitis, viam demùm patefaciant, & Reipu. suiq; principis, quàm suæ priuatæ seruiant potiùs dignitati: neque falsis perturbationibus, album pro nigro, & nigrum pro albo ei obtrudant. Etenim illi sunt, qui perditum volunt & faciunt principem. Illi, inquam, bonis & virtute præstantibus crura succidunt, ne vlterius altiusúe progrediantur: Illi oculis principis tenebras offundunt densißimas. De malis quidem, non de bonis, hoc loco loquor. De bonis satis persuasum mihi fuerit, quòd hoc eiusmodi opusculum semper probabunt; non quòd meum sit, qui minus quàm mediocris sum, sed quòd proculdubiò re ipsa est salutare. At quid iam porrò non clamabunt mali? Affirmabit quidem iste, vt princeps in tam subtili consiliarij electione tantopere laboret, non expedire. Cui ego respondeo, non esse hunc laborem, sed laboris potiùs alleuamentum: Nam eò minus bello & pace habiturus est occupationum. Mox dicet ille, principem esse liberum, & eius arbitratu distribuendas functiones. Iam & huic vicißim hoc responsum dabo: Libertatem principis, expertem rationis nõ esse libertatem: Nam tum demùm abusus est, & nescio quid eiusmodi instar ipsius seruitutis. Et ille verè est Rex, qui rectè facit; & liber, qui moderatè vtitur libertate: Nam aliter, qui tyrannus non habeatur, concedere autem id principi, vt pro libito distribuat magistratus, est exagitare ipsum risu publico, & tyranni loco habere. Erit præterea non nemo, qui viros nobiles, præmiis & dignitatibus, ratione antiquitatis, & splendoris familiæ, præstantiumq; in Rempub. meritorum afficiendos iudicabit: & hoc quidem ego etiam sentio: verùm non vnum & idem est, aliquem aliquo præmio vel honore æstimare dignum, & pati esse consiliarium: Nam non desunt quidem viæ præmiis afficiendi multos, consiliarij licèt

non

nõ euaſerint quã plurimos. Quid verò eſt,quòd & eos poſtremò vi deas,qui,quales volumus, cõſiliarios in orbe terrarum reperiri nuſquã,non dubitabũt affirmare. Quibus ego ſic reſpondeo,quòd etiam multos,& idoneos,& ſpectatos in omnibus partibus reperiri. Sed vnum illud deeſſe,vt virtutis cauſa,non beneuolentiæ,aut potentię gratia, princeps eos eligat, & vt maximè deſiderarentur, præſtare illos velit pro eo ac debet. Ex lapidibus homines excitabit. Cùm eſt princeps poëta, omnes verſus pangimus: cùm eſt muſicus, omnes cantamus & choreas ducimus: cùm eſt bellator, tractamus arma: cùm eſt aſſentatorum amicus, omnes lepidis delectamur: cùm ſtudet aſtrologiæ, circa ſphæras verſamur, & id genus alia inſtrumẽta. Si verò talium conſiliariorum quales depinxi eſt fautor, caput mihi amputari patiar, ſi intra quadriennium, præcipui quique procerũ ad hæc munera idonei non reperientur. Seriò hæc tantùm aggrediatur princeps, & ſemel reipſa quod conſului pręſtet, tum demùm opinione celerius, & aulam, & totum principatũ ſuum immutatum experietur; mutatum dico, imò etiam quodammodo nouum effectum. Omne hoc tempus, quod datur otio, aleæ, blaſphemiæ, adulterijs, & alijs mille vitijs, dabitur virtuti & honeſtati, & ijs artibus, quę ſunt erũtq; maximè Reipub. neceſſarię; aula poſtremò virtutis & ſapientię reddetur officina. Alijs autẽ interim quęſtiunculis, nec libet quidem reſpondere, cùm ſint pleniſsimę vanitatis. Redeo ergo ad ipſos principes, & illis hoc confirmo: ſi hoc, quo præſcripſi, ſuos conſiliarios eligent modo, quöad viuent, ſortituros eos quietem & voluptatem maximam; & non ſolùm defenſuros, verùm etiam aucturos eſſe principatum. Pacis denique & belli tempore erunt ſemper domini, amabuntur à ſuis ſubiectis, timebuntur ab aduerſarijs, & ab omnibus euadẽt laudati atq; celebrati. Poſteris etiam ſuis, firmum & diuturnum relinquent imperium, & magnorum bonorumq; principum nomen vel ab ipſa morte omni ęuo ſortientur.

CHRIS. VARSEVICII,

DE LEGATO ET LEGATIONE, LIBER.

ILLVSTRISS° DOMINO, D. STANISLAO MINSCIO, PALATINO LANCICIEN: CAPITANEO LIVEN: &c. &c.

Domino ſuo obſeruandiſſimo: S.P.

MItto tibi librum de legato & legatione meum, cuius tu quidem lineamenta (quod aiunt) omnia, non verbis, ſed rebus expreſſiſti ipſis, inq; ipſo docuiſti te virtutis quàm ætatis curſum eſſe celeriorem. Quo nomine, vt debeo, gratulor vel plurimum tibi, & hæc quantulacunq; ingenij mei monimenta, dico conſecroq; lubens, non tam ex aliorum eruta libris, quàm ex vſu prompta obſeruationeq; communi. Quo etiam magis vtilitatem vel aliquam alicui, tibi certè vni, qui quæ & quomodo geſſeris ipſe in ijs, tecum recognoſces, legenti voluptatem ſpero allaturã. Cui quidem pro tam præclare nauata Reipublicæ opera, nulla ferè digna à nobis gratia referri facilè poteſt, nec vlla non debet. Multa ego multarum video ornamenta gentium; ſed illud vnum vel maximum, legatorum & legationum, cùm publica totius regni dignitate: alia enim aliorum in noſtro corpore membrorum; ſoli illi legati in imperio ſimilitudinem referunt oculorum. Quibus cùm non in aliquo alio theatro, ſed in oculis orbis terræ, et ſacrario religionis Romæ, in omni genere laudis, de principatu certauiſti, & illud nimirum in tot tantisq; aliis conſecutus es, vt beatus Hiacynctus, à Clemente octauo, Pont: Opt: Max: diuorum in numerum referretur, ſumma cum tua Poloniciq; nominis laude, & Eccleſiæ Dei, religionisq; Catholicæ ſplendore & maieſtate. Etenim nihil quàm ſanctitas & Pont: Max: vera illa & legittima ab Apoſtolorũ principe profecta ſucceſſio, & quæ ſemper et vbiq; & ab omnibus vno ore & pectore culta eſt religio, demùm verò miracula in ea edita, Chriſti Opt: Max: Eccleſiam firmam & inſignem magis reddiderint. Cui rei & orthodoxæ doctrinæ notarum claritati, quoniam ex hoc noſtro Aquilone, tu quoq; vel aliquid intuliſti lucis, lætatus profectò hoc nomine magnopere ſum, omniaq; opum & honoris inſignia & ornamenta dignitatis deberi tibi agnoſco, gratulorq; ex animo, cùm dubium fuerit nemini, quantum in ſplendidis ſcienterq; obitis legationibus regnis et prouincijs poſitũ ſit ſemperq; fuerit: et quanta nõ adumbrata, ſed expreſſa veſtigia Romæ reliqueris virtutis, pietatis, prudentiæ, &

humanitatis tuæ singularis, digna tali tantoq; viro mihi fuisse vt videatur legatio, & vir ipse legatione memoranda. Quo ipso ornatus reuerteris summa ad nos gloria, & à duobus Pontificibus Max: Innocentio et Clemente, vtrisq; octaui nomen sortientibus, ea refers munera, qualia maiorum tuorum præstantium ossa, & inprimis matris tuæ optimæ & spectatissimæ fœminæ pietas, & reliqua ornamenta requirunt. Quibus omnibus, vtinam quàm diutiß: perfruare. Hanc ego quidem non solùm verã, sed vnam dixero nobilitatem atq; gloriam, quæ & maiorum imaginibus clara, & luculentiß: hæreditatibus aucta, & obitis honorificis legationibus insignita, & omni deniq; ornamẽtorum genere est illustrata; sic vt tu tuiq; similes legationibus quærendi, et non tã ambientibus, quàm refugientibus illæ dandæ, nec tam pompa, quàm rebus instructi legati ad exteros dimittendi potius videantur. Bene vale, decus & ornamentum patriæ. Varsauiæ Calendis Decemb. 1595.

D. Vestræ Illustriß:

Addictiß: seruitor.

C. Varseuicius.

CHRIS: VARSEVICII,

DE LEGATO ET Legatione Liber.

MVLTAS EGO MAGNASQ. RES, SED vel has potiſsimùm duas, deſiderari animaduerto, gentibus nationibusq́ue gubernandis, vnam quidem legum maximè verò municipalium ſcientiam, populorũ alteram quibus aliquis præfuerit, morũ & ingeniorum cognitionem exactiſsimã, vt demùm neceſſaria illa tam noſtris aliò dimittendis, quàm exteris ad nos legatis admittẽdis perſpicax ſequatur prudentia, qua belli pacisq́ue negotia tractantur & continentur. Ac legum quidem ſtatutorumq; ratio, literis & codicibus comprehenſa, longè fuerit facilior, quàm vt de ea multa verba fieri debere videantur. Secus eſt ingeniis moribusq́ue hominum cognoſcendis. Nihil enim natura hominis eſt reconditius, nec quicquam aliud abſtruſos magis habet receſſus. Qua tamen ipſa in re, & ſeu quadam ancipiti deliberatione, fide, conſilio, & authoritate bonorum multum ſubleuãtur reges, & certis quibusdam obſeruationibus, veluti radijs illuſtrantur ſolis; vt aut rarò, aut nunquam, aut ſaltem modicè aberrent à ſcopo, ſi prꝗſertim conſiliarij fuerint, ij, qui odij & gratiæ, metus & cupiditatis expertes ſint, & aut negligentiæ habuerint nihil, aut temeritatis. Quod haud ſcio an rectius vlli quàm quos vocamus muti, videntur mihi cõſiliarij aſſecuti. Etenim perturbationibus animi cœcis, & ipſe oportet rex cœcutiat, & (vt plerumq; fit) in diuerſas partes diſtrahatur. Quo ipſo paucorum cauſa, odio futurus eſt infinitis, & in eo cui præerit regno, veluti in corpore ſano, multos morbos pariet inſanabiles; qui neſcio ſi non augebuntur quotidiè, cum magna infamia & exitio Reipublicæ. Semel enim ortæ rarò manſueſcunt ægritudines, & facilius reprehenduntur quàm corriguntur errores. Vna autem omnium legationum & legatorum, ſiue admittendorum, ſiue dimittendorum ratio, magis nodoſam habet viam publicæ expediundæ dignitatis. Cùm enim legatus dici is ſoleat, qui alicuius poteſtatis, aut perſonam ſuſtinet magiſtratus: aut verò ille, qui able-

gantis nutu, mittitur aliquid tractaturus: multum profectò in eo positum fuerit; vt vbi, quaúe ratione, & tempore, legatos ad te venientes excipias: & quæ eis responsa des, non ignores: & quos rursus, ac quales, quo, & quomodo dimittas, & quando. Sunt namq; & debent esse legatorum corpora sancta: & legati, tam eius in quo nati sunt, populi, quàm ipsiusmet, à quo mittuntur magistratus simulachra. Qui variis licèt vocabulis, nunc Oratores, nũc Interpretes, nunc Nuntij appellentur: vnam tamen, & eandem propemodum omnes, explicandarum & denunciandarum rerum sortiuntur facultatem; tantùm quod legandi & ablegandi verbum, hoc priuata, illud negotia respiciat publica, principum aut magistratuum aliquorum. Multum proinde in humanitate regum & principum externis legatis excipiundis, situm esse, semperq; fuisse, nemo dubitauerit. Nec tamen continuò, aut peræquè omnia. Male quippè se habet, cùm externis apud nos legatis, cuncta licuerint: nostris verò, apud eos, nec adeò vel tantillum: & cùm nostri apud aliquos aliqua de causa punientur, illorum verò, eo nomine apud nos ne appellabuntur quidem. Quod feras & barbaras gentes, aliquando fecisse legimus, & audimus: & si denique aliorum legatos, nos facilè admiserimus audiendos; ancipiti contentione nostri tenebuntur diu suspensi, & minus quàm par fuerit videbuntur honorati, vt taceam, adhibitis etiam custodibus, in hospitio teneri legatos alicubi: quod speciem, nescio cuius præsefert seruitutis. Quod tamen minimè mirum videri debet, præsertim si belli, aut tumultuum acciderit tempore, aut legati illi in aliena Repub. nimium fuerint curiosi: inertes enim domi, & curiosi foris ægrè feruntur. Quanquam enim christianæ Reipub. ciues omnes simus, & ad salutem dignitatemque publicam nostras actiones referre debeamus; tutius tamen semper in illam peccabitur partẽ, vt passim & vbiq; præsertim verò in alieno solo, moderatè & scienter versemur, quàm dissoluti ineptiq; habeamur: Alienũ enim homines solum cõpescit & salum. Quantum verò ad principem qui admittendarũ & dimittendarum legationum, habiturus est potestatem, pertinebit, vel inprimis curet, vt eũ honorem habeat externis, quẽ cupiet apud exteros haberi suis, citra tamen omnẽ vel minimam reprehensionem leuitatis. Nam & in hac quidem ipsa re delectus esto atque discrimen, & vt vitia & vitiosa imitanda non fuerint: saltem quo modo alibi tractabuntur nostri, aliorum quoque legatos similem humanitatem, eiusque vicissitudinem par fuerit experiri: secus si fuerit factum, quidam non iudicio, aut magnanimitati, sed nunc metui, nunc desperatis rebus, nunc im-

becilli-

becillibus viribus,nunc intellectus nostri adscribent id infirmitati. Omnia enim ferè in deteriorem, quàm in meliorem partem, vulgus hominum interpretatur: cuius, vt minoris faciendum sit iudicium,approbatio non est negligenda. Ac princeps quidē dispiciat omnia per se primùm ipse necessaria,demùm non nisi prudentissimorū & fidelissimorum consilio,& authoritate nitatur.Nam si non suo sed alieno cōsilio semper vtetur,hoc sicuti nihil meliùs,ita neq; periculosiùs est aliquādo,propterea quòd multa sunt,quæ percipiendis consiliariorū sententijs nobis imponunt,summa probabilitate dicendi. Nunquā enim aliquem reipsa sapientē ære,corrūpas verò non neminē persuasione.Curā mittendorum & excipiendorū legatorū,senatui olim Romę datam fuisse,grauissimus author testis est Polybius:quod & ipsiusLiuij tota testatur historia.Nec obstat,quod alicubi dixerit Tacitus:Magnam agitatam in senatu controuersiam fuisse,si electione, aut sortitione sumi legati debuissent.Certum enim fuerit, nec in T. Liuio copiosissimo rerum Romanarum scriptore, neque adeò in ipso Tacito,alio aliquo loco, & vel in aliquibus alijs id authoribus deprehendi. Ex aduersus autem, maiores natu viros nobilissimos esse missos,decretos, lectos, aptos præ cæteris rei gerendæ, proditum est memoriæ. Quemadmodum & illud alterum, satis superque ex eodem constiterit Liuio, quo loco, quo tempore, quo modo excepti, aut verò dimissi fuerint legati externi; & legationes,nempè in Comitio,& Græcostasio,vbi sedere solitos legatos externos, & Varro, & alij literis consignârunt. Excipere quidem hostium legatos, intra vrbis mœnia non erat in more positum, & consuetudine Romanorum: ac nec adeò ipsos legatos gentium & nationum exterarum, tametsi illa de re varient iureconsulti inter se, nec non & alij rerum vel annalium scriptores. De tempore illud liquet, quòd non nisi mense Februario, modo & more penè,qui & nostris est, audiebātur legationes,initis statim magistratibus,& rebus omnibus,pro vsu communi,dignitateq; cōstitutis.In quibus quidem alijs,quoniā nō peręquè tantum, quantū in electione ipsorum legatorum est sitū, accedemus vel ad illam alteram paulatim partem,& pro nostra tenuitate opportuna his rebus, & obeundis legationibus adiumenta disquiremus.Factu est incredibile, nisi prius multa sciantur, legantur, & videantur, omnes omnium rerum cùm dimittuntur, posse legatos admoneri. Quorum, quàm rarum & difficile sit munus, vel inde est cognoscere, quòd Cyrus, inter primos legatum sibi educandum, instruendumque proposuerit. Magna namque & magnifica aggressurum, inde à teneris (quod aiunt) vnguiculis diligentissimè expedit erudiri; neq;

diri;neque tamen & immenſa illa fuerint,aut prorſus factu incredibilia,quæ in legato requiruntur. Etenim,quod quidam omniũ linguarum, nec ſcio, ſi non & ſcientiarum, peritum eſſe legatum exiſtimant oportere, næ haud intelligunt, quid hac in parte ſibi velle videantur: immenſæ enim cupiditates ſunt noſtræ, ætates verò anguſtiſsimis terminis circumſcriptæ. Illius quidem gentis, aut etiam principis linguam legato eſſe ſciendam, non dubitanter dixerim, apud quem legatione defungetur. Hoc amouet incõmoda legato grauia & magna,affert verò ſumma & plurima contraria: nemo enim communicandis alicui ſecretis, adhibet plures, cùm præſtare id poſsit ipſe, aut per pauciores. Barbarus denique videtur ſemper is, qui eum, apud quem verba facit, ſermonis ſui non habuerit intelligentem, & omnes ſurdi, M. Tullio teſte, ſumus, cùm eas linguas, quas non intelligimus, quaſi occultum aliquid, arrigendo aures, taciti veſtigamus. Hiſtoriarum certè, quàm linguarum plurium cognitionem, multò magis dixerim legato neceſſariam, quanquam & illarum non omninò poſthabendam. Eſt enim hiſtoria dux actionum, conſiliorum inuentrix, comes itineris, pronuba inſtituti ſalutaris; quam quò magis variam, & exactius aliquis legerit, & legendo rebus & temporibus præſentibus adaptauerit; eò & plures legationes obijſſe, & in portum quem quærit, facilius inuehere videbitur didiciſſe. Sed ad eius hiſtoriæ cognitionem, diuinarum humanarumque rerum, accedat oportet ſcientia. Parum namque vtilis librorum eſt lectio,niſi humano ingenio vires, aut cælitus infundantur, aut longo vſu acuantur. Quam ad rem Deo Opt. Max. inprimis duce & authore, & perilluſtri natura legatus opus habet, ac demùm ſtudio & exercitatione aſsidua & peculiari. Eſt enim per ſe quiſque nedum videtur tardior, celeri illo animi motu, & ſagacitate deſtitutus. Sed idem ille ſe cognouerit, frenaueritque ſemper, non minus alacri animo, quàm etiam ſtudioſo. Sicut enim cultri, ita & acuta ingenia vt facilè findunt, ſic & hebeſcunt. Iam & naturæ ornamenta, idem legatus habeat, & aliquando fortunarum: feſtiuum enim eſt, quod de ſecretario naturæ,& ingenij magiſtro fertur Ariſtotele, quòd cũ aliquando,quamobrem illa quæ pulchra ſunt,in amorem ſui homines raperent interrogaretur, cœci eſſe hãc interrogationẽ reſponderit: Pulchra enim omnia ſuapte ad ſe nos alliciunt, & magna per ſe tacita licèt,cõmendatio pulchræ eſt faciei.Duplex tamen vulgò, virilis & muliebris habetur pulchritudo: quarum altera in venuſtate: altera quæ legatorum eſt propria, in oris & totius corporis po-

ris ponitur dignitate : gibbosi (vt mox plura ijs de rebus infrà dicemus) claudi item, & vel aliquibus membris distorti, aut mutilati legati, magis cōmouent risum, quàm aliquam tàm sibi, quàm principi suo, vel minimam conciliauerint authoritatem; nisi fortè aliqua re aut arte sint excellentissimi. Quod etiam ipsum apud incultas, & barbaras gentes parum valuerit vel nonnunquam : barbari enim ad irridendos, morati verò homines ad honorificè tractandos exteros, sunt promptiores. Sic olim à regina Amazonum, Macedo contemptui est habitus Alexander, quòd non perinde pulcher, quàm rerum gestarum fama celeber ei videbatur. Sic Agesilaus Magnus, ab Ægyptiis, minori fuit in veneratione, quòd staturæ esset breuioris : sic alij alijs quidem minus; sed fuerunt tamen omnes despicatui semper, qui aut naturæ, aut fortunarum adiumenta, non habuissent. Quot enim, & quanti legati, in medio seu quodam cursu, sæpè subsistunt, nec aliorum erga se humanitati,& officijs respondent, nec nisi ære alieno obruti, ab aula proficiscuntur : partim ob profusionem aliquando nimiam : partim ob æris & facultatum inopiam. Quid? quàm multi, petenda identidem pecunia,principibus suis molesti sunt,& tandem iuuandi necessariò veniunt; quod non fieret, si aut opibus per se semel instructi prius essent, aut obeundis legationibus, idoneos iudicatos, quàm ineptos alios, rerum gerendarum instrumentis, principes ipsi potius augerēt.Melius enim ad negotia apti pauperes licèt,subleuantur ære, quàm ceu quædam mutæ personæ opulenti, sed inertes in rerum versantur tractatione. Quo magis viderint reges, quibus faciem suam dandam potissimùm arbitrentur : si enim musico inepto, quantò minus legato vtendum est inconsiderato. Virum certè ignobilem, rudem & egentem, principis personam decore præstare minus posse, nemo dubitauerit. Verùm nec in diuitijs adeò etiam posita sunt, aut erunt omnia. Ac multò minus in pompa, & ostentatione diuitiarum : sapienter namque sensisse, & pulchrè mihi videtur dixisse, qui non tam pompa, quàm rebus instructum legatum aiebat dimitti oportere : neque tam eum, qui ipsum se vltrò & curiosè ingereret, quàm qui refugeret quodammodo legationem obeundam. Etenim turpius nihil ambitur, nihil inuidiosius suscipitur, nihil difficilius peragitur, nihil variè & multipliciter magis interpretatur, quàm legatio. Vnus vel minimus commissus aliquando error turpat legationis omnia : & propter pauca legati vitia, sæpè euanuerunt plurima & maxima, quæ erāt vel inprimis dilaudanda.Est enim legatus persona publi-

ca, & vel nonnunquam noua, propoſita omnibus ad ſpectandum, paucisſimis peculiariter commendata ad prędicandum. Qui tantò quidem maiorem etiam ſæpius ſortitur inuidiam, quantò quod ſibi viſum fuerit agere, datur tandem ſibi à principe plus poteſtatis. Nam non vſque eò raro, res temporaque, ne quid certi legato præſcribatur, requirunt; ſed facultas conceditur, quod è re, & dignitate principis magis fuerit, liberè quandoque, de omnibus legato ſtatuendi. Sæpè enim occurrunt, de quibus nihil in mandato præſtitui poteſt, & rurſus multa præcisè, & diligenter legatis committantur neceſſe eſt, in quibus præſens rerum tractatio, ſubijcit conſilia certiora. In his autem omnibus, perſpicaci maximè opus eſt prudentia, longo rerum vſu, & tractatione comparata: non enim ſemel & iterum, ſed vix etiam infinitis modis,& vicibus, ſuffecerit aliquid tractauiſſe:nec tam proſperis ſuccesſibus partis,quàm naufragijs factis, res rerumque euentus meminiſſe: premunt enim grauia, læta verò & leuia exoleſcunt. Quo etiam pauciores idoneos, his & tantis legationibus reperias: nihil enim facilius fungi volenti, & nihil difficilius videtur experienti legationem;niſi quod continuò imploraueris, numen affulgeat diuinitatis. Itaq; eos potisſimùm ad hæc, ſimiliaque munera obeunda,deligant ſibi principes, in quibus catholicæ religionis, & boni publici, maximè ſpectetur ſtudium: cùm pietatis concepta de aliquibus opinio, venerabiles faciat, etiam expertes aliquando pietatis. Quanquam ego non modò cum Deo, ſed nec cum hominibus quidem, fallaciter aliquid agere, author alicui fuero: multi enim ſimulantes pietatem, vel ipſam reddiderunt ſuſpectam in alijs probitatem; & Deus ipſe Opt. Max. cùm diu multumq; tulerit, eò tandem ſeueriùs caſtigat falſitatem.Religionis porrò Catholicæ ſincerum vbicunque ſtudium, ſequatur neceſſariò in legato fides, ſequatur prudentia, ſequatur temperantia, & ipſa denique, quæ murus adamantini eſt inſtar, nunquam ſatis laudata ſequatur fortitudo: reliqua enim in legato omnia, videntur eſſe ceu cuiuſdam vrbanitatis. Hæ certè quas enumeraui virtutes, ſoliditatis ſunt ſingularis: nam ſicuti ad pulchritudinem corpus, ad fortitudinem veluti ad robur, ad temperantiam perinde ac ad ſanitatem, ad prudentiam quaſi ad ſubtilitatem ſenſuum,legatus eſt conformandus: fide in eo nihil eſt pręclarius, & commendatius memoriæ hominum ſempiternæ. Etenim vt illud taceam, quod habita veteri prouerbio fides, obligat ipſam fidem, & erit qui proditionis crimine fœdius aliquid dicat, vel ſentiat, & cuius vitium virtuti oppoſitum, à virtute magis declinauerit?

clinauerit? Ferunt Borbonium illum, qui ad Romam occubuit, vel tam præclarè de Hiſpanis meritum,cùm in Hiſpaniam appuliſſet, ne hoſpitio quidem exceptum à quodam fuiſſe, quòd domo ſua indignus diceretur, neſcio ob quam ſuſpicionem peruerſæ in principem ſuum fidei, aut commutationem voluntatis. Quo tamen loco, nunquam ego proditorem appellauero eum, qui quòd à virtute diſcedere noluiſſet,proditionis inſimulatur alicuius. Eſt enim conſtans & perpetuum quid,quod iuſtitia appellatur,& quod peruerſis, & deprauatis hominum moribus, & conſuetudinibus, nec poteſt,nec debet vnquam mutari. Ac vt plurimum ijs,quorum beneficijs affecti ſumus debeamus; multò tamē plus nobis ipſis, & honeſtati debemus,quæ moribus licet,temporibusq; præſentibus, nō quadrauerit ratio aut oratio,nec & ego eum legatum oratione finxero, qui certo aliquo loco, & tempore, ſeu perſona definitur; ſed qui rectæ rationis normæ iuſtitiæque,quàm maximè fuerit proximus & accommodatus. Quare, quid præter fidem in legato præterea requiratur, & quàm neceſſaria ipſi fortitudo prudentiaque fuerit, videamus. Summa quidē certè habeat oportet omnia. Etenim, vt à fortitudine ordiar,cùm timidus aliquando habitus ſit Cicero,& Pompeius ei dixerit: Tranſi, inquit, M. Tulli in caſtra Cæſaris, & me timebis: prudenter videtur feciſſe, cùm ſeipſum noſſet, quòd ad Antonium legationem fuerit deprecatus. Vt ex aduerſus, malè audiuit Demoſthenes, quòd in legatione, neſcio ad quem, publico nomine deſtinatus, & vſque in aliquam viæ partem progreſſus, dum ſubinde impotentiam animi, & iracundiam illius, ad quem mittebatur, ſecum ipſe cogitaſſet, miſſam fecit legationem; quo nomine non apud ſuos peræquè omnes, vt dixi, fuit laudatus: declinanda enim ſunt maturè,quorum nos aliquando deberet pœnitere. Quo loco recentius adhuc, & facetum proferam exemplum, cuiuſdam principis Italici legati, qui ad Sigiſmundum Auguſtum Poloniæ regem, pro nuptijs eum inuitaturus Grodnam profectus, cùm in quandam paulò longiorem ſyluam apud Kniſchinum incidiſſet, & num multum eius ſupereſſet fortè quæſiuiſſet, reſponſo quod dimidio adhuc maior pars eius reſtabat accepto, per familiarem ſuum, ad regem principis literis miſsis, neſcio quid cauſatus, & ipſe quidem mox reuertit. Itaq; prudentia, fortitudoque pariter legato eſt neceſſaria; vt ſuſcepta demùm legatione diſpiciat, quatenus progredi poſsit & debeat, & quibus in rebus, ac quomodo fortitudine vti, & quando. Nonnunquam enim cauta conſilia, quàm elata ſequi præſtiterit: & parere potiùs ne-

cefsitati, quàm indulgere appetitui,aut peruersę voluntati. Ac breuiter, multa ac penè infinita sunt, quæ præceptionibus circumscribi non possunt,& in quibus ad nouas res noua consilia adaptantur. Pulchrè ergo quidam, non tantùm inquit verborum nuncij crediti sunt legati; sed iudices rerum adeò etiam appellati, & oculi ac aures imperiorum; quos ego non tantùm in magnis magnum, sed in omni denique re, volo gerere animum, nec de sua concedere dignitate, vel tantillum. Nam memorabile semper fuerit, quod alicubi refert Tacitus,quòd cùm quidam Germanorum legati,Romam venientes, in sedibus senatorum sedere externos legatos animaduertissent, & quibus id honoris datum percuntati fuissent, & fide in populum Romanum magnis, responsum accepissent, deos hominesque testari, nullos hac in parte germanis præferendos,inter patres consederunt. Est enim dignum, digniorem locum se cõcedere legatorũ nemini; sed & in ea ipsa re, vt infrà dicemus, eatenus progrediendum, quatenus suaserit ratio, aut summi alicuius principis interposita autoritas, & persuasio. Nam superbum agere legatum, Deo hominibusque est odiosum, cum quodam non obscuro contemptu,& irrisione totius gentis atque nationis. Hinc illis Lusitanorum legatis, in Hispaniensem aulam venientibus, & hospitiorum causa nescio quem præmittentibus, palatij præfectus ridiculum dederat responsum, cùm quot essent interrogasset, & ille mille quidem omnes, sed quingentos prorsus, Deo, alios alijs hominibus similes respondisset: Benè habet, inquit, isti quos tu Deo dicis esse similes in templa, reliqui eant in hospitia. Quo non obscurè animi perstrinxit eorum leuitatem:omnis enim iactatio,& verborũ vanitas est molesta; sed illa vestium,supellectilis,aut equorum,aut his similiũ rerum molestissima.Fugiendis tamen his in sermone & collocutione ineptijs,suę nunquã obliuiscatur legatus grauitatis,amicũ omnibus,familiarem prętet se nemini:licèt nec multos,neq; nullos amãdos esse censeant alij:in priuatis rebus humanitatẽ,in publicis retineat dignitatem.Frequens cõmessatio,parit nobis non rarò despicatũ:& indignum est,cùm sobrius non audeas loqui,inter pocula velle garrire: iuuenes deniq; plura,senes verba facere cõsuescunt meliora.Proinde vel hac in parte debet esse legatus cautus, & in publicis cõuiuijs,in sermone parcus,& quodammodo etiã taciturnus. Sicuti enim occultata virtus parũ à stulticia differt; sic ad opinionẽ sapiẽtię silentium loco seruatum,stultis suffragatur: vascula inania maximè tinniunt,& quo minus mentis,eo aliquibus plus est loquacitatis: denique quo citro vtroque, serendis temerè sermoni-

ſermonibus,lingua nihil eſt nocẽtius, eò is qui illam arte frenauerit,magis in ſapientibus numeratur. Sępè vel ampliſsimus campus, reſtat iterato cuiuis dicendi; non peræquè autem ſemper ea, quæ protuleris,reticendi: nam verba & aues ſemel emiſſæ,poſtliminio non reuertuntur: & ſuſpicandum eſt ſemper, ea, quæ vni vel alteri dixerimus,breui conſcios fore etiam quàmplurimos. Mors ergo & vita in manibus linguæ eſt, dixit ille non inſipiens. Multi poſtremò multa dicunt,vt plura eliciant ipſi non à nemine, & aut in publico liberiùs loquentes, quò plures ſermonis habeant teſtes, acutè alios obſeruant; aut quem aliquis verbis vlciſci vellet occultato, altero verò paulatim ad libertatem obloquendi, ſeu in arenam educto, incautum circumſcribunt. Non ſint tamen talibus aut faciles ad credendum Reges, aut ad caſtigandos proni ſermones; leuitatem enim loquendi irridendam, inſaniæ commiſerendum, dolori ex iniuria accepto indulgendum aliquid, ſemper eſt iudicatum: & Imperatorum extat ſanctio in hæc verba trium. Si quis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto, nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum noſtrorum fuerit; eum pœnæ nolumus ſubiugari, neq; durum aliquid, neq; aſperum volumus ſuſtinere; quoniam ſi id ex leuitate proceſſerit, contemnendum eſt; ſi ex inſania, miſeratione dignum; ſi ab iniuria, remittendum. Vnde integris omnibus, hoc ad noſtram ſcientiam referatur; vt ex perſonis hominum dicta penſemus, & vtrum prætermitti an exequi debeant, cenſeamus. Atq; hæc quidem verba ſunt ſanctionis. De conuitijs autem in abſentem principem iactatis, vel contumeliis abſenti dictis, tantum ſtatuendum eſt, quantum ſtatui volebat in eum Ariſtoteles, qui abſentem pulſauiſſet: etenim verborum ſuperbiam, qui facilè excandeſcunt, plerumque vlciſcuntur, prudentes irrident, leues ſequuntur. Vnde & Veneti regis Galliarum Fœcialem bellum Reipub. denunciantem, iniuſtitiamq; & alia ijs exprobrantẽ, religioſè dimiſerunt. Et Parthorum olim legatos Romæ, quod Armeniam peterent, quam ereptam tenebant, irritos quidem dimiſſos, ſed legimus tamen muneratos: non enim is, qui mandata tulerit incuſandus;ſed qui dederit,magis eſt redarguendus; vterque tamen hanc mandatorum libertatem non vſq; eò amplectatur;vt vel alijs ſit ea moleſtus.Etenim etiã illam animi ſenſuum proferendi,prudentiam habere legatus debet commendatiſsimam,nec à cõſiderata ratione differendi, vel in priuata collocutione auelli cũ principe ſe, & in altum diſpu-

 tationum

tationum trahi, temerè patiatur: & poſtquam ad exteros venerit, potiùs laudatorem ſe eorum præſtet, quàm temerarium cenſorem vel æſtimatorem: omnes enim nobis ipſis plus quàm par eſt placemus & alios irridemus, vt vel maximè nobis præſtantiores eſſe, tacitè agnoſcamus, & quod plerumque fit, verbis præ nobis extenuemus. Iam & ipſum, quem ſemel adierit principem, obſeruet, & reuereatur legatus perpetuò: nec illius titulis, aut iuribus, tam dicto quàm facto detrahat vel tantillum: quòd ſi vel aliquid ſibi ab eo diſplicuerit, non queratur vel euulget eueſtigio, memor dicti illius Romani ſapientis: Potentiorum iniurias non ſolùm patienter, ſed hilari etiam fronte ſemper eſſe perferendas. Sæpè accidit, vt potens iniuriã iniuria cumulet: & ſi patienter feratur, non omnium optimè facti compunctus conſcientia, eam beneficio oblitterandam potiùs arbitretur, & vnum aliud beneficium tandem ſequatur: raró enim gratis datur aliquid, quominus is, qui ſemel gratis dederit, ad dandum non denuò inuitetur. Quanquam nullius rei minus quàm beneficiorum, ab externo principe venandorum, inſit legato cupiditas, imò euitari omnis debet ſuſpicio cupiditatis; vt nimirũ principis, à quo miſſus eſt ſarta tectaq; cõſeruetur dignitas; quæ vt medico ſalus, imperatori victoria, legato ſit propoſita: merces enim ratione mercatorũ, & principes domeſticorũ nonnũquã ęſtimantur. Quę quoniam magna & principum, & legatorum pars nõ intelligit, aut ſaltem intelligere nõ cupit; propterea principes, huc & illuc illis mittendis, ſibi nõ peræquè ſemper ſatisfaciunt, & eorum culpa aut in odiũ aliorum contemptumuè incurrunt, aut ad aperta bella, bellorumq; incendia cũ vicinis veniunt, aut aliquid eiuſmodi committunt, quod ex ipſorum non eſt re, neq; dignitate. Cordati enim & prudẽtes legati, omnis honeſtatis & pacis, publicæq; tranquillitatis, non diſsidiorũ vel bellorum pręſtare ſe debent authores. Sed nec interim etiam, vel maxima propoſita commodi, aut quietis ſpe, indignum ſe ſuoq; domino cõmittant aliquid, neq; in principem comitatumq; ſuum, impunè perbacchari alios patiantur. Maior namq; quàm vel vitæ ipſius ratio habenda eſt dignitatis: & qui fert temerè vnam, facilè alterã inuitat in ſe contumeliam: vnde poſtea exoritur deſpicatus: quo etiam ſolers, & prouidus magis, ſui ſuorumq; legatus ſit indagator, non eos, quæ in buccã veniunt garrire, non diſſolutè viuere, non aſſuefaciat huc & illuc diſcurrere, non ſubitò noua ſibi latibula quęrere extra domũ ludendi, bibendi aut dormiendi, non deniq; temerè euagari per vrbem & compita ſemper, nõ ſuſpecta infamiaq; inuiſere loca, vt rixarũ & cædium occaſiones,

casiones suis perimãt, facilè patiatur; nam vt nescio cui seruituti id simile fuerit; præstat quidem certè comitatui suo, ad bene beateq; viuendum exemplo, & authoritate præire, & demere semper aliquid, quàm adiungere potiùs libertatis. Id autem potissimùm fiat in principio, ac ceu quodam vestibulo, & ingressu rerum & legationum: prima namque in oculos incurrunt maximè, & ab exordio de progressu rerum, vt plerumq; fit iudicatur, nec ea quæ de nobis in animis hominum semel inhæserit opinio, facilè eradicatur. Meminerimus quàm & nos etiam curiosi domi nostræ sumus, cùm legatum, aut externum aliquem dominum, ad nos contigerit aduenisse, die noctuque, vt ita dicam, res ipsius rimamur, statum & conditiones omnes scrutamur, familiares intuemur; hoc idem, ne apud alios nobis quoque eueniat, videamus, demusque sedulò operam, ne fortè aliquis, tam à nobis ipsis, quàm à domesticis nostris, priusquàm necesse sit, res & mandata nobis data expiscetur: nihil enim est turpiùs, quàm fumum priusquàm flammam (dixit ille) in legatione alicuius apparere, quod non aliunde quàm à legati, aut eius familiarium proficiscitur vanitate; cùm aut suos suorumque res, immoderatis plerumque efferunt laudibus, aut minas miscent precibus, aut aliorum vires, & reliqua, verbis vt fit, extenuant, non sine stomacho & indignatione tam ipsorum principum, quàm eius etiam senatorum. Omnes enim vbique contemni nos non libenter patimur; sed hanc impotentiam externorum in loquendo animi, domi nostræ potissimùm auersamur. Quanquã nec illud quidem expedierit, fictis aut etiam nimiis laudationibus principum venari gratiam; & aliud (quod aiunt) stantem, aliud sedentem loqui, & nunc hoc hodiè, nunc illud postridiè, cum non obscura quadam suspicione vanitatis. Quod(vt plerumque fit)accidit, cum aut lippis tonsoribusque nota, longa oratione tractamus, aut quod antea extenuauimus, ornamus & amplificamus dicendo: nihil enim magis virum decuerit, quàm nunquam sui, suæque obliuisci firmitatis. Memorant Carolum Quintum; at qualem & quantum cæsarem? post initam cum Francisco Galliarum rege, ad Cameracum pacificationem, cuidam legato summis encomijs in os eum laudanti, in orationis fine dixisse: Vtinam, inquit, & nunc laudasses, & biennio antè in Anglia vituperasses me parciùs, ægrè vtroque nunc caruissem. Modus in laudando iuxtà ac vituperando fuerit optimus; & cum viuis, tum verò præsentibus efferendis, conuenit esse moderatum: dies enim ante occasum, & homo ante diem mutatur supremum. Dare præterea alicui nimium in os

laudis

laudis, habet ſpeciem neſcio quam aſſentationis;neque tam virtuti tribuere, quàm in aures principum influere velle iudicamur. Vnde ille Carolus Burgundiæ Dux, crebris vſurpabat ſermonibus, neque laudari acriter, neque vituperari viuos principes oportere, quod vnum periculo, alterum ſuſpicione non caret adulatoriæ artis valdè inertis. Iam & illud legatus meminiſſe debet,ſi vel illo ſtatim momento, rebus ſui principis nomine poſtulandis, minimè potiatur; nō deſpondendum eſſe animum, & ſi vel repulſam ferat, ad minas & expoſtulationes non veniendum: non ſemper ſunt bonæ, quæ citò dantur reſponſiones, nec multùm à repulſa, proficiunt contentiones. Quare, ſi vel meliorem cauſam habuerimus; declinanda ſemper eſt inuidia; impotenter cauſa tuenda; cùm non raro accidat, vt contrariæ parti, vel aliquid de noſtro iure concedendo, rurſus in noſtram pertrahamus eam ſententiam, quod nimirum opinionem prudentiæ, attulerit nobis ſingularem. Vt enim equi ſeſſoribus, ſic principum plurimi, durioribus reſiſtunt oratoribus, moratis & moderatis multa concedunt. Quod cum ſemper & vbiq; valuerit; tùm potiſsimùm tractandis rebus cũ ijsdem regibus,quos nō ſecus quàm Cetos marinos,in littus deducas paulatim,repellas vehementiùs impellendo:volunt enim,quod dixit ille, hæc idola coli, & vix faciunt aliquid moniti, tantùm abeſt vt coacti. Quare ſi impugnanda regis, aut alicuius magiſtratus fuerit ſententia, excuſabit ſe legatus primùm, demùm verò in verbis, geſtu, & oratione, omnem neceſſariam adhibebit modeſtiam, & ſuam propenſiſsimam erga principem teſtabitur voluntatem: & denique, ſi duriora fuerint poſtulata, non à ſe ſed principe à ſuo id oſtendet proficiſci: vt enim ſol,ſi hominis vertici immineat, aut prorſus tollit vmbram, aut reddit quàm minimam; ſic maximi alicuius principis conditio aut gloria,minuit inuidiam. Minor deniq; ſupremi, quàm minoris liuor eſt magiſtratus, nec tantus abſentis regis, quàm præſentis ipſius oratoris:qui quo etiam ſibi aliquando negata dolenter tulerit minus; eo illius qui negauerat, experietur viciſsim erga ſe commutationem celerius voluntatis: ægrè enim omnes iniuſtitiam nobis obijci ab aliquo patimur; alius verò alio facilius amplectitur æquitatem. Ferunt eundem illum Carolum Quintum,Romanorum Imperatorem (libenter enim in magnis, magnorum principum perſtamus exemplis) Ioanni Dantiſco Epiſcopo Varmienſi,Sigiſmundi Primi Regis Poloniæ legato,petenda pro Regina Bona eius coniuge,ab Iſabellæ Arragoniæ ipſius matris morte, Barenſi hæreditate, duriorem ſe initiò præſtitiſſe. Quod cũ

Dantiſcus

Dantiſcus paulò tuliſſet immoderatius, & vim ſuum principem pati cœnatus alicubi exclamaſſet, hæſit in illa aula opinione ſua diutius, nec vel aliquid aliquãdiu viſus eſt impetraſſe: demum verò modeſtior in ſermone factus, vel è medio quod apparauerat cõuiuio, ad cæſarem venire repentè eſt iuſſus, qui in venationes iturus, & per multos dies ab aula dicebatur abfuturus; ſed tum nimirum vel maximè Dantiſcus, licèt vino incaluerat, moderationis & eloquentiæ laudem, apud cæſarem promeruit ſingularem, & quod diu non poterat, illa die impetrauit; neque enim peræquè vrgendis principibus, quàm eorum obſeruandis nutubus compotes reddimur noſtræ voluntatis. Quo faciliùs intelligas, quanti momenti in prudentia legati ſit poſitum, & quàm verè ille quondam rerum dominam ſapientiam appellârit. Etenim ſapiens legatus, quæ impetrari vel ſecus poſſunt animo cernit, & in poſterum rei quoque tentandæ vires non incidit, nec ſpe concordiæ alios excludit. Multa enim & grauia feruntur, quæ omni prorſus adempta ſpe, ægrè poſſent tollerari. Quo etiam magis, cum obtentu aliqua res videbitur difficilis, imperfecta potiùs relinquatur, quàm vt prorſus abijciatur. Dies poſterior magiſtra eſt prioris, & ſemel amiſſa de negotijs publicis conferendi fide, aut etiam poteſtate, non tam aliquis efficitur citò eiusdem compos facultatis. At verò, cuius rei gratia legatus petitum eſt miſſus, ſi fortè obtinuerit, ad imponendum vniuerſæ rei & tractationi finem, nihil moræ interponat; ſed quæ promiſſa ei fuerint conſignet literis, & quöad eius melius fieri poterit, acta conuenta efficiat firmiora: neque ijs rebus vllo pacto indormiat, cùm nox interpoſita, ſiue auditio vna, & vel nonnunquam falſa, perrumpat omnia, & deſideriorum viri, vt regalis ille Propheta alicubi eos appellauit, hac tempeſtate reperiantur quamplurimi, apud quos opinionum & variarum cogitationum perpetua quædam regnat viciſsitudo. Semel autem de controuerſa & deciſa re, rurſus controuerſia orta, non ſecus ſe habet, ac corporis aliqua ægritudo, quæ ſi ſemel curata recrudeſcit, plus in curatione habet difficultatis. Nocuit ergo, quod dicitur differre paratis, & manus afferre immaturis. Atque hæc quidem omnia vſu & tractatione conſtant rerum, & quadam veluti menſura, quæ non magis medico, quàm politico obſeruatu eſt neceſſaria: illi ne ægrotantem perimat, huic ne quæ immortalis eſſe debet, euertat Rempub. Præſtat tamen conficiendis negotijs, matura quadam celeritate, quàm ſupina vti tarditate: præpropera enim celeritas inimica eſt conſilio; ſed procraſtinatio om-

nium & consiliorum & actionum perturbatrix. Sed age progrediamur: nam eidem illi legato curæ sit, vt scribendis tam ad populares, quàm ad externos literis, ab ijs vel diuersorum argumentorum epistolas sæpius vicissim sortiatur: quas cum amicis quidem communicabit liberiùs; sed neq; suspectos in amicitia expertes earum faciet, demptis præsertim ijs, quæ minus communicanda videbuntur. Qua de re eos ad quos scribit, & à quibus sibi scribi volet, tempestiuè admonebit, & id vel maximè propterea, quòd nulla res prudentiæ opinionẽ magis nobis conciliauerit, quàm rerũ vel exactissima cognitio, tam quę ante fuerant, quàm quæ & nunc passim geruntur. Vnde etiam quidã solos reges, eorumq; consiliarios atq; legatos, curiosos esse ex instituto debere testabatur, cæteros non itẽ, quibus non peręquè incumberet cura publicorum cõmodorum, siue dignitatis: suo enim quisq; debet se metiri pede, & cõtentus esse sua tantũmodo functione. Iam verò, non solùm ostendendis literis, sed crebris etiam, & officiosis visitationibus, tempestiuisq; conuiuiis, tam aliorum legatorũ, quàm quorumcunq; aulę procerum conciliatur legato beneuolentia, & quasi imponitur necessitas quædam, alijs quoque, quod tamen ille minimè spectare debet, eiusdem voluntatis & humanitatis erga legatum declarandæ. Pulchrè enim Romanus ille nescio quis: Aliena, inquit, pocula siccas, nemo tua, aut redde vices, aut desine velle vocari. Et fit profectò magna magnis inter se viris disserendi, siue facultas, siue cupiditas vbicunque, sed vbi incaluerint ad mensam maxima. Etenim multa multi, vel vltrò ipsi confitentur in mensa, quæ vix aliquando confiterentur in tortura. Quid, quod non ad nostrorum tantùm principum, ad quorum redundauerit id gloriam, sed ad aliorum proculdubiò gratiam, hac ratione struitur nobis via, maximè compendiaria; adeò vt quorundam principum legatos, tractandis hoc modo eorum consiliarijs, & aulæ familiaribus, primum gratiæ locum, apud exteros reges & principes tenuisse audiamus & legamus: non enim homines tantùm, sed & simiam aliquando suam in honore haberi non illibenter videre se, nescio quis ille dixerat Imperator. Qua ipsa de causa, principum in gratiam se, vt legati magis insinuent; non tantùm aulæ proceres, sed adeò etiam regios domesticos quosque mensæ suæ adhibebunt: cum illis familiariter, vt fit, confabulabuntur: cum illis nunc hos, nunc illos miscebunt sermones: illis hinc & inde sibi allatas ostendent literas: cum his principis tam sui, quàm ipsorum perhonorificam facient mentionem: cum his statis temporibus, cùm aut strenæ, aut

similia

ſimilia dantur munuſcula, hilarè verſabuntur, & dona dilargientur. Omnia enim ferè quæ aut fiunt, aut dicuntur in aula, principem non effugiunt, & pari rurſus modo rationeque penſantur: nam fama eſt malum, quo non aliud velocius vllum, dixit verè Pöeta: & qua principũ noſtrorum ad aures, ſiue bona, ſiue mala illa fuerint, quæ de nobis circumferuntur peruolant derepentè, vnde aut dolent, aut lætantur. Itaque & habitare commodè, & multò quàm ſi priuatus eſſet ſe gerere ſplendidiùs, legati expedierit dignitati, & hac in parte nullis parcere ſumptibus; ſi fortè odio, aut incuria eorum, quibus hoſpitiorum diſtribuendorum munus incumbit, id non aſſequatur: ſplendore enim & magnificentia capitur multitudo; & ſiue vt nos contemnat, ſiue ſuſpiciat facillimè incitatur. Deniq; qui commodè habitando & alios ad ſe inuitando, munerãdoq; gratificatur pluribus, vix eſt credibile; vt ei vel ab vno non referatur gratia, & principes ad ornandum & remunerandum non commoueantur: fidelis enim ſeruus fit benigno domino, & hic beatus fido & taciturno. Abſit tamen ſemper inanis profuſio à legato, & legati domo: & quæ debet eſſe officina pudoris & continentiæ, non ſit libidinis & diurnæ nocturnæque comeſſationis: debemus enim vti, & non abuti noſtris regijſque opibus & muneribus, cumque domi, tum foris eſſe continentes, & cum id probare cunctis, tum noſtris vel inprimis regibus, qui diſſolutis & profuſis haud ita libenter beneficia largiuntur: dolium enim perforatum, & hominem ſui oblitum vix impleueris. Quanquam hac in parte ſemper animi præualuerit magnitudo, pudetque ijs noſtra denegare bona, qui pro nobis præſtiterint vel pertulerint grauiora: refugiunt enim omnes, quem nulla remuneratio ſequitur famulatum. Ac memorabile inprimis fuerit, quod de Ferdinando Conſaluo proditum eſt memoriæ: qui cùm Ferdinando Hiſpaniarum Regi Catholico, regno Neapolitano ſub Gallis recuperando, per multos annos egregiam nauâſſet operam; tandem quarundam rerum inſimulatus cöegit ipſum regem, ex Hiſpanijs Neapolim nauigare; & adminiſtrati illius regni, ac tam perceptorum, quàm expenſorum rationem ab eo poſtulare: tum ille modico ſibi eam ad rem ſumpto tempore, parua quadam ſcheda poſtridiè oſtenſa, omnia expenſa ea contineri fidenter confirmauit, facileque obtinuit, vt & rei benè geſtæ, & pecuniæ non malè locatæ memoria nihil ab eo magis exigeretur: vt enim magno conſtet, videtur conſtare modico publica quies, & regni poſſeſio reſtituta: hoc eodem modo, & ſummi alicuius legati excuſabitur interdum profuſio, ſi conſtiterit omnibus eius profuſionis ratio, vtpote ad ſcienda quæque re-

gum regnorumq; secretiora, ad indaganda, & aliquando corrumpendos eorum consiliarios & consilia, ad fomites bellorum impediendos, ad oppressos subleuandos, ad rebelles propter exemplum pecunia emptos, & ad supplicium rapiendos, & id genus alia. Et si deniq; à legato & eius principe, ad vnam illam Christi Opt. Max. gloriam, & publicam pacem & tranquillitatem, tanquam ad certum scopum fuerit perpetuò collineatum, multa quippè etiam suspecta & odiosa, plana feceris, atque grata, vno illo prætenso, & præ oculis semper habito fine & studio, diuinæ gloriæ & Reipub. vtilitatis. Neq; tamen vel his etiam rebus, & actionibus omnibus lubricæ & præcipitis cuiusdam ambitionis & curiositatis, legatus notari se temerè patiatur. Relinquenda Deo Opt. Max. sunt quàm plurima, & tempori ipsi, quod ratio sanare non potest, aliquando committendum. Et deniq; nec ijs qui nunc huic, nunc alteri parti operam venditant suam, multum adhibendum fidei, & concedendum authoritati, qui vna manu porrigunt panem, & altera ingerunt scorpionem: cũ qui non fuerit fidus suis, qui fiat longinquis & alienigenis. Postremò vsu etiam venit, vt sciscitandis veris, infinita mendacia domum referamus nostris, & pudeat pœniteatque nos sumptuum factorum, laborumque obitorum, vt interim liuorem inuidiamq; taceam, qua curiosi isti flagrant, & periculum, quod ardeliones, qui vno ore flãt & sorbent, manet: & pręterea quòd deniq; semel amissa fides, talibus nulla cõstiterit, ad omnẽ perpetuitatem: certissimum enim est, passim & vbiq; leues haberi malignos, percunctatores garrulos, curiosos, mẽdaces, & omnes deniq; acres impetus in perfidiam plerumque commutari, qui non tam citò emunt, quàm subitò diuendunt, nec tam facilè metunt, quàm disseminant falsitatem; quo nomine multi, in bene constituta Repub. puniti sunt & fuerunt: quod vt principum legati impunè aliquando tulerint, tantò quidem subierunt inuidiæ magis, quantò ad vanitatem ipsorum maior accesserat authoritas, & auxerat vulgò odium impunitas, perpetua quædam illecebra delinquendi. Sit postremò legatus, quöad eius fieri maximè potest, vt suprà etiam diximus, sanctimoniæ & castitatis speculum: non inuentor & artifex libidinis, aut inhonestæ alicuius voluptatis. Etenim quò Deo Opt. Max. addictus & deuotus aliquis magis fuerit, eò etiam reuerentur omnes eum libentius: & quò sibi plura licere legatus arbitratur, eò vt sit diuturnior, moderatius vtatur illa eadem libertate. Fama vulgatum est, barbarorum quendam legatum, ob nefaria crimina, ostensa ex ipsius lege necessitate moriẽdi, Lusitanos exussisse. Nec scio si iniuria: Nam legatorum licèt corpora habeantur sacrosancta;

sancta;

ſancta; legatio tamen ipſa innocentia debet eſſe tecta, & non ſtupris, ac maleficio publico cooperta. Quo loco magnus quidã campus mihi oboritur de iure legationum differendi: antiquiſsimum enim habetur prouerbium: Legatus neque cæditur, neque violatur. Et de caduceatoribus Euſtachius meminit: Diuinum eos genus exiſtimatos, aut certè inter Deos & homines medium, nec niſi à Læſtrigonibus, Cyclopibus, alijſque qui fas non nôrunt, de ijs aliter cogitatum: eoſdem etiam Iouis atque hominum nuncios ipſe poëtarum deus nominat Homerus, & Xenophon de Pædia Cyri, honorandos ait oratores, itemque Cato: Nemo, inquit, homo nocet caduceatori. Secus tamen ſe habet de mentitis legationibus: qui aut legati ſunt ad neminem, aut legationem ſuo tempore non proferunt: aut deniq; ſi legati fuerint, non tamen ad eum ad quem ſe miſſos teſtantur, quos tamen crebrius impunitos dimiſſos, quã ſeueritate aliqua animaduerſionis legimus violatos. Nam pulchrè alicubi de Affricano Valerius, voluiſſe eum potiùs, vt Romani Imperatoris decepta fides, quàm fruſtra implorata iudicaretur. Iam & illud in quæſtionem venit: an tuti legati etiam cum ijs ſint, ad quos non mittatur? Sed facilè ea diſſoluitur quæſtio. Cum legati ad hoſtes miſsi, hoſtilia molientes, ſi paria patiuntur, non habent quod iuſtè doleant, non ſecus quàm milites, qui quod non pro ſe, ſed pro principe ſuo ſe dimicare profiterentur, & propterea ſibi vellent parſum. Vnde Liuius de Macedonum legatis verba faciens, in hanc loquitur ſententiam: Felici, inquit, primùm euasêre mendacio, mox verò cogniti capti ſunt, Romamque deducti. Etenim legati ex ipſo nomine, ad alios non ſunt, niſi ad quos legantur, nec iura legationis obtinent, niſi quibus debent ob conſilia cõmunicanda. Sed hoc quidem de ſtricto, quod aiunt, iure multi eſſe autumant: ſecus expedierit rebus & dignitati regũ & principũ maximorum. Nam & Alexander Magnus legatis Carthaginenſium pepercerat, qui ad Tyrios in eum animandos erant profecti. Quo nomine Carolus Q. Cæſar rurſus à Gallis reprehenſus, quòd eorum legatos ad Turcam euntes iuſsiſſet interficiendos. Sed hęc quidem differunt: non enim Chriſtianorum cum Mahometanis communio, nec illorum qui quærebant ſua, cum his qui diuinam tuentur gloriam, vlla eſt ſimilitudo. Sed ad propoſitum reuertamur. Sunt enim legati homines pacis, & principis aut Reipub. perſonam gerentes, Rempub. pacificè tractantes, propterea vel apud hoſtes ipſos debent eſſe inuiolabiles: nec ſolùm in amicorum tectis, ſed etiam in inimicorum telis tutò verſari. Nam qui alterius legatos læſerit, non ſperet ſtare ius legationis ſuis. Eſt tamen exemplum Maioris Affricani, qui teſte Appiano rogatus, quid fieri Carthaginenſium

nensium legatis deberet, nihil tale respondit quale Carthaginenses: multi enim spectant, non quid alijs fieri possit, aut debeat, sed quid institutis patriæ moribusq; eorum conueniat. Nam in interdicta legatione supplicum misereri, vel ipso Cicerone de Inuentione teste vulgò omnibus probari, & adeo legatos speculatores & perfidos, impunè dimissos legimus vel nonnunquam. Posthumiusq; Dictator Romanus, legatos quosdam Volscos conuictos speculatores seruauit: quia vt Dyonisius prodidit memoriæ, legationis nomini, quod præseferebant, plus dandum censuerit, quàm certo facinori rependendum. Quibus tamen rebus minimè legatus confisus, vita & moribus seipsum ostendat honorandum: nam magnus quidam, magnique vir consilij, cùm multas & varias legationes obiuisset, domum tandem rediens, quid potissimùm legato inesse oporteret quæsitus, manum primùm ori, demùm membris admouit genitalibus; quo innuere volebat, legatũ vtraq; re debere esse continentem: sed eadem illa tandem etiã exporrecta manu testabatur, oportere esse magnanimum & liberalem. Quæ quidem magnanimitas, non solùm continetur dando, verùm etiam munera aliorum respuendo: nihil enim est inquinatius, quàm eum, quem non modò facto, sed nec violare fas est verbo, muneribus posse corrumpere. Nam qui semel acceperit munera, & largitionibus se patitur violari & corrumpi; is (vt olim in Æschinem quidam dixerat) non iam constans manere potest iudex publicorum commodorum; imò vt & legationem rectè obierit, credi id non oportere, nec fieri posse omninò. Quandoquidem is, qui pecuniam recipit, sui ipsius dominum illum constituit à quo acceperit; vt ex Socrate libro primo de eius dictis factisque refert nobilis ille Græciæ historicus Tucidides, & Demosthenes in aduersarium inuectus: Non concio, inquit Æschines, manu in sinu condita habenda, sed legatio eadem manu in sinu retenta potiùs est obeunda. Proinde & alicubi testatur Valerius, legatos quidem aliquando Romanos accepisse munera, sed detulisse in ærarium, idque prius quàm ad senatum referrent legationem: neq; sanè id iniuria: de publico enim ministerio nihil vnquam priuatis accedat, quàm rectè administrati officij cõmendatio. Quod nescio, si & in Venetorũ Repub. domicilio veteri libertatis, & virtutũ omnium armamentario nõ obseruatur. Pulcherrimũ enim de Xenocrate Atheniensium legato, Philippi illud fuit testimonium, quod solus Athenas muneribus incorruptus redijsset: secus tamen est de esculentis & poculentis muneribus, & parui momenti aliquibus, quæ aut legato principio, aut intermedio tempore, aut etiam mittuntur à principe tandem po-

ſtremo, tantum abeſt vt ambita, quod nec ſperata quidem, quæ licet eſſent etiam opinione maiora, cum quodam veluti contemptu aſpernari, & remittere principi, ſi non eſſet, ſaltem diceretur ruſticitatis. Cuius rei reprehenſionem legatus vt effugiat, pro re & tempore munera accipiet quidem, ſed tum & dona ferentes, tum & principes ipſos, ſi tanti fuerit rurſus alacriter munerabit: ita nimirum in ore verſabitur omnium, & ad ea munera crebrius ſibi offerenda, viciſsitudine humanitatis inuitatum excitabit nō neminem: dat enim aliquis, vt illi detur; & officia præſtat, vt referat viciſsim. Quanquam hæc mercatura videtur potiùs, qua nihil eſt ſordidius: officia enim & beneficia ſi non ſunt, volunt ſaltem videri gratuita. Etenim non hominum eſt amicitia ea, ſed pecudum, qua ſpectatur emolumentum. Age, an & illud legato non magnopere vtile neceſſariumq; fuerit, vt cum ijs, qui in eadem legatione antè fuerunt, ſæpè multumque colloquatur: ingenium eius ad quem mittitur principis, & aulæ procerum mores, regionum ſitus, inſtituta & cōſuetudines noſſe prius diſcat, quàm eò venerit: & omnia vel minutatim ab ijs, qui ibi prius verſati ſunt, peruestiget, quę ad tantum tamq; arduum munus feliciter obeundum pertinebunt. Sicut enim ij, qui difficultates maris ſuperauerint, monent alios fidentius: ſic & ij, qui magnos legationum exantlarunt labores, præſtant conſilia ſaniora: vna enim alteraué dies tractandis negotijs data, ad rerum vſum comparandum, multorum menſium præſtiterit lectioni, prĉſertim ſi tales legati illi fuerint, qui minimè obtuſo ingenio fuiſſe, & cum ſummis in aula viris amicitiam habuiſſe videantur: & qui deniq; nominis ſui memoriā in diſceſſu reliquerint gratam, ſublimiores honorando, inferiores munerādo, & omnes humanitate & officio ſibi deuinciendo, & cunctis deniq; aut per ſe, aut per ſuos valedicendo: hæc namq; officia cōſtant paruo, & magno interdū æſtimantur. Qui idem, vt in aulam alicuius regis venerit, nihil habeat prius aut antiquius, quàm ſine mora velle adire regē, demùm & perpetuò & in omnibus eius veluti quoddam numen obſeruare: honorare item eius conſiliarios, & non contemnere vel inferiores alios: à ſui autem conſultò cauere ſimilibus: hoc autem eſt ab externis legatis alijs, eorūq; miniſtris omnibus, qui huc & illuc curſitant, & minutatim quæq; explorant; non quòd eos honorare par non ſit, ſed quòd ſemper inter æquales perpetua in aula eſt æmulatio, parum fida mutui amoris conciliatrix. Quo etiam neſcio quis vnius legati errorē alijs ornamento, aut ſaltē alleuamento dixit eſſe, propterea quòd non tam ille qui errorem cōmiſerit citò reprehēdatur, quàm alij quodāmodo tacito collaudantur, & adducuntur

cuntur in exemplũ:minus enim habet anxietatis,& turpitudinis error per multos latè fusus, neq; ijs quæ exẽplis defendas tantopere euadis odiosus; postremò plena vt dixi omnia in aula sunt inuidentiæ,vt simulandi & dissimulãdi tecta sint artificio:& vt ij qui talibus vtuntur artibus,paruis sępè periculis expositi,& excellẽtes ceu quidã magistri populi sibi videantur:inter namq; animantia multa,vulpes sunt astutissimæ; & tamen vulpium, quàm aliorum pelles circumferuntur plures. Nunciet interim legatus alijs lætiora quæ inaudierit primus; sed ad significanda aduersa & ærumnosa sit postremus: & si interrogatus de ijs fuerit,nec peruulgata sciuerit, occultet ea fronte & sermone, ne in aliena calamitate exultare videatur. Et obseruandum illud est semper, vt lippis & tonsoribus (quod vetus habet verbum) prius innotescant omnia. Demum à palatio regio, & legatorum domo exeant nuntij rerum, præsertim aduersarum: vbi enim plurimum authoritatis,ibi minimum sit vanitatis. Nitidę porrò & magnificæ legatorum sint mensæ: personent acutè dictis, & excellentium scriptorum legendis monimentis: absit verò intemperans aut procax locutio, & quæ aliorum existimationem rodat,calumniandi libido: vbique enim maledici dissimulanter ferri vix debent;sed in summorum principum legatorumque domibus omnium minimè tollerãtur, ne falsis adstipulari auditionibus, & patrocinari maledicendi videamur libertati. Absint etiam gnathonum parasytorumque greges,cauponantium item mores & clamores, obscœnæque omnes exulent voces, ne quæ vna, maximè regibus eorumque legatis odio esse debet, participes velimus esse leuitatis. Seria iocosis in domibus pręsertim regum,eorũq; legatorũ pręposterè miscentur. Vnde aliquando Romanorũ Imperatorum nescio quis, tribus onerarijs nauibus, plenis histrionibus in pontum missis,tres tantum sapientes pro ijs sibi remitti à præfecto postulauit: modicum enim auri magno ponderi plumbi antefertur:& deniq; tam à legato ipso,quàm ab eius domo,blasphemãdi, garriendi, insaniendi, aut deniq; quę collibuerit agendi semper absit consuetudo. Multa namq; in multis notantur alijs,sed potissimum aut in legatorum comitibus, aut in ipsis demùm legatis. Domi item maiori ex parte legatus se cõtineat & dormiat,neq; in turbam se frequẽter det;in oculis enim hominũ quotidie versari quadam veluti satietate,homines quantumúis magnos,minus fecit verendos: & deniq; voluptatibus,aut nimijs,aut etiã illicitis,nec priuatim neq; publicè indulgeat,& ad illius exemplum se totus componat, qui vitream domum sibi optauerat, in qua quid interdiu, noctuq; ageret perpetuò conspiceretur. Moribus verò & grauitati legati

ti legati familiares item respondeant, neque quod omnibus collibuerit agendi temerè sibi vsurpauerint potestatem. Regna multos non capiunt simul: & sicuti quidem plena sunt in aulis inuidiæ & obtrectationum omnia, qui vel aliquãdo sibi plusculum sumpserit libertatis, in immensum arrogare dicitur voluisse. Non possum nõ meminisse, quid Ioanni Przerembio, Gnesnẽsi Archiepiscopo, summo illis temporibus viro, sed paulò in suos indulgentiori, Sigismundi Regis Poloniæ apud Ferdinandum Cæsarem legato, Viennæ acciderit, cùm eius quidam aurigæ prægrandi currui, octo equis iunctis, ad secanda ligna extra vrbem discessissent, & aut alterius syluæ ignari, aut longius iter veriti, in proximiorem & Viennæ magis vicinam syluam diuertissent, quæ Imperatoris ipsius, non tam vsibus, quàm delitijs seruabatur. Ex hac igitur sylua, cùm prægrandem illum lignis onustum currum Viennam traherent, Ferdinandus, vt eos est conspicatus, ira subitò exarsit, & aurigas cuiusnam essent quæsitum mittere, & ipse demùm interrogare ipsos non dubitauit. Tum quidem aurigas illos barba paucis illis latinis voculis (si Deo placebant) sapientes, Archiepiscopi Gnesnensis, legati nati, & Regni Polonię primatis, ac apud Cæsaream Maiestatem Poloniæ Regis oratoris esse se testati sunt, & adeò latino sermone Cæsari respondere non dubitauerunt: Quo magis, re vt fit in risum versa, & quod vel ipsi etiã aurigæ apud Polonos latinè loquerentur, omnibus inter se iocantibus, iussi tandem impunè sunt proficisci, non sine tamen tacita quadam reprehensione, quòd vel aurigæ tantum sibi sumpsissent in alieno solo libertatis: insolentię enim ferè semper, pudoris & moderationis nunquã aiunt aliquẽ pœnituisse. Etenim licentiosi & insolentes, non modò ipsi; sed etiam eorum causa innocentes multi plectuntur. Itaq; nemo quidem legati familiarium authoritate sui domini, si vel maxima fuerit, spiritu augeatur, & quod liberè, hoc & licere passim & vbique sibi existimet: Sale enim fercula condita, & facta dictaque, modestia distincta, nihil habent vilitatis. Quocirca & legatus ipse non tantùm viuendi, sed & immoderatè expers sit garriendi: quantò enim aliquis continentiùs vixerit, tantò (vt plerumque fit) & à loquendi licentia magis se seiungit, nec vngendi & pungendi (quod vetus habet verbum) vtitur consuetudine verbis alicubi faciundis. Quæ quidem consuetudo, cùm semper & vbiq; fugienda fuerit, tùm vel inprimis in consessu regum & principum maximorum. Multi enim teneram, sed potissimùm principes habent cuticulam, qui aculeatum legati sermonem & facillimè sentiunt, & ægerrimè patiuntur.

Exarſit aliquando inter Crucigeros & Polonos bellum,vel vna Archiepiſcopi Gneſneñ. ad Magiſtrũ Ordinis liberiori voce in tractatione pacis prolata.Et notatus Caroli Q. Cæſaris legatus, Didacus Mendocius eſt Venetijs,qui cùm eò veniſſet, ad hũc modum apud prudentem illum ſenatũ quaſi ex abrupto verba fecit.Audio inquit, inter Cæſarem meum, & inter Galliarum Regem, vos velle ſequi partes, & alere bellorum incenſiones; non eſt quòd eiuſmodi conſilia molitionesuè agitetis. Vidi ego hodiè ante hoc veſtrum proximè palatium, alborum lapillorum acre certamen, quibus oua inuidia ducta, confeſtim ſe immiſcuerunt, & minutiſsima in fruſta cõciſa ſunt,cùm illud,quod lapides facere viderant,præſtare ſe poſſe iudicaſſent. Moleſtiſsimè tulerunt id Veneti, adeoque legatum monere & adhortari, ne ea libertate loquendi apud eos vteretur, & eam Rempub. quæ mille annis ſtetiſſet, factorum ſuorum rationes optimè noſſe non dubitaret. Fortuna quippè rationem & potentes non libenter patiuntur monitorem; ſed vt quidem intemperans alicui viſa illa exponendorũ mandatorum ſit ratio, libertas oris differt à cõtumelijs,&pro re, & tempore aliquando etiã eſt neceſſaria.Zbigneus Cardinalis Polonorum legatus,Sigiſmundo Cæſari,eidemq;Hungariæ Regi Budæ exprobrauit ea,quorũ parum abfuit,quin pœnã capitis periculo exoluiſſet Sed tamẽ & euaſit ſalu⁹, & vel hoc ipſo nomine à dignitate patriæ intrepide tuẽda inprimis eſt dilaudatus.Ac memorabile vel illud quoq; fuerat,quibus verbis Heluetiorũ confœderatorum legati,Cameræ Spirenſis præſidem,& cõſiliarios ſemel dicuntur fuiſſe allocuti. Euocabantur hi ad Tribunal illud,prĕter morem maiorũ frequentius;ſed quantum in illis fuerat,eò proficiſci identidẽ recuſabant.Poſtremò verò tandem cùm literis & citationibus crebris vrgerentur, miſerunt Spiram legatos viros inter ſe primarios, qui in publicum conſeſſum admiſsi, ad eummodum ſuo illo Heluetico idiomate dicuntur peroraſſe. Domini inquit confœderati Heluetij, vos vicinos ſuos ſaluere iubent. Mirantur verò quòd,tam crebris citationibus veſtris, placuerit vobis diu eos vexauiſſe: orant & hortantur, ne amplius eos exagitetis. Sed vſi ſunt vocabulo quodam, quod nec dici quidem honeſtè videbatur potuiſſe. Obſtupuerunt ad illa verba omnes, nec reperiebatur qui facilè reſpondiſſet. Sed re demùm maturius examinata, ne ferox illa & indomita gens, grauius aliquid in eos rurſus tentaret, miſſos fecerunt, nec citationibus illos amplius euocârunt: vt enim modeſtia grata, ſic & libertas loquendi alicubi eſt neceſſaria. Qua tamen ipſa, nec

peræquè ſingulis, nec omni loco atque tempore, nec ſine delectu & freno expedierit vti omninò. Etenim legationes liberæ vocis aliquando feruntur; ſed cõtumelioſæ linguæ ſemper & vbiq; coërcentur. Cuius rei exẽpla paſsim extant quàmplurima, adeò vt Spartanorum, Athenienſium, & Iuliani, & aliorum exemplis doceri poſſet, vel liberæ tantùm vocis legationes punitas extitiſſe. Quod tamẽ probauerit nemo: verùm ſi daretur optio, tutius in vnam, quàm in alteram partem vtriq; peccaretur. Omnes enim reges regere, ſed domi ſuæ adeò etiam aliqui cupiunt imperare. Quo ipſo honorandi ſunt magis, ſi quis viciſsim ab ijs voluerit honorari. Raro item & modeſtè exponendorum mandatorum tempus ab ijs eſt poſtulandum: nolunt namque cogi, ſed rogari principes: & ab eorum nutu & authoritate, non à noſtro arbitratu & cupiditate, nos pendere; ſic demùm vel præter expectationem noſtris aſſentiuntur facilius poſtulatis. Semel verò conceſſum, ſtrictè & accuratè obſeruandum legato eſt tempus, illis ipſis mandatis, quæ habuerit exponendis. Fit enim, vt vna aliqua opportuna occaſione, apud principes, qui ſe ludificari non patiuntur amiſſa, quàm diutiſsimè alteram & tertiam expectemus. Sed & exponendorum mandatorum, cùm obtinebitur tempus, non eo eſt abutendum. Sermones cum principibus ſerere, expedit ſemper parcè: verba ab ijs liberè, aut adeò etiam inconſideratè prolata non carpere; & vel longiſsimas verborũ circuitiones audire patienter, & ſi vel expectationi nõ reſponderint noſtrę, omnia diſsimulare. Etenim de garrulis legatis dici id ſolet, quòd non tam ſortiri, quàm concedere vulgò ſoleant audientiã. Ac reperiuntur profectò vel nonnulli, qui tam ſui, tamq; conditionis obliti ſunt ſuæ; vt ad exponenda mandata hora ſibi impetrata, totam illam conſumant, vel nonnunquam, nunc his nunc illis ſermonibus cum principe, ac ſi priuatus eſſet, ſerendis, & protrahendis; ſic vt ne vnius quidem verbi proferendi principi ipſi reliquerint facultatem: quod cùm principibus, tacuerint licèt, fuerit moleſtiſsimum, tum nec ipſorum legatorum rebus, aut expedierit neceſsitati. Index enim animi ſemper habetur oratio, quo penitiùs cognoſcendo, principis reſponſionibus audiendis, legatum patientem & moderatũ eſſe neceſſe eſt; aliâs nihil horum, quæ in rem ipſius eſſent, intelliget, tantùm ſibi ipſi ſapiet, & denique animum principis illa loquendi, & omnia ſibi arrogandi quadam licentia, facilè abalienabit. Arces enim & poſſeſsiones, quàm rerum intelligentiæ laudem præripi ſibi principes facilius patiuntur. Quo magis eorum vituperanda animi eſt impotentia, qui, tantùm abeſt, vt

quæ principes verba faciunt, patienter audiant, vt vel adeò etiam eorum ſermones (vt dictum eſt) interrumpant, & prolata verba, aut ſententias reprehendant, quaſi ipſi perfectiſsimi omnium magiſtri ſint atq; doctores. Nam ſi hoc vel illo idiomate profertur parum emendatè aliquid à principe, mox in quæſtionem vocant, & adeò etiam ſolitò carpunt liberius; quaſi in vna aut altera tantùm poſitum ſit vocula, & omnium linguarum exactè diſcendarũ principibus neceſsitas incumbat abſoluta, & ſingulis eorum dictis aut factis ponenda ſit tendicula, cùm ipſi nihilo ſciant aut didicerint meliora. Sed ingenioli neſcio cuius oſtentandi ergò, hæc & ſimilia loquuntur. Multi enim non tam ſunt, quàm videri acuti cupiunt, & vel eo facilius ipſi tandem hebeſcunt. Quo quidem nomine quendam legatum, apud Ferdinandum Cæſarem memorant eſſe notatum, quo cum Cæſar, ſemotis arbitris, ſermones miſcens, cùm neſcio quod verbulum contra præceptiones Grammaticas latinè protuliſſet; eueſtigio quòd non latinum eſſet, à legato eſt acclamatum. Tum verò ſubridens Cæſar, oblitum ſe eſſe, quod cũ pædagogo, & nõ cum legato loqueretur, argutè reſpondit. Et rectè quidẽ: quorſum enim fuerat in eũ principem ſumpſiſſe ſibi legatũ tantum adeò libertatis? Eſt legati munus, nõ niſi iuſſum adeſſe: non niſi pro re & occaſione verba facere: non niſi reſponſa ſibi data patienter audire: non niſi acceptis pauca loqui: non niſi de re & materia tempori, loco, & perſonæ ſuæ accommodata, in publico perorare. Turpiter ſe dedit aliquando Phormio, qui non iuſſus neque interrogatus, neque ſuo loco, & coram ſummo bellatore, de militari re diſſerendi ſumpſerat ſibi libertatem: omnium autem fuerat turpiſsimum, legatum cum Cæſare de Grammaticis loqui, aut illum neſcio quem alterum obſcœnum protuliſſe verbũ, cùm Cæſar tale aliquid, quod ipſi admirationem mouerat, fortè dixiſſet. Debet certè legatus homo eſſe prudens, & multò antè, quàm fungatur legatione, in agendis rebus, & cum principibus eſſe verſatus, nec tam loquens quàm eloquens, nec tam dicax quàm perſpicax, cui etiam ipſi in omni vita & actione, verbis & ſermone, habitu deniq; & veſtibus ipſis commendata ſemper ſit modeſtia: non enim peræquè omnia, quæ licuerint, decuerint derepentè: & quæ conuenient priuato, non conuenient fortaſſe legato: & ſecus iuueni, ſecus prouectioris ætatis viro, aut ſeni: ſecus huius, ſecus illius nationis homini: ſecus externo, ſecus indigenitali. Erat quidam rex, qui mirabatur vno eodemque ferè tempore, ſed tamen diſiunctos, & ſeparatim aliquanto miſſos ad ſe fuiſſe legatos duos, Italum Polonicè,

lonicè,& Polonum Italicè. Quanquam enim (quod dici ſolet) monachum habitus non faciat: tamen vel in eo etiam ipſo,certa quędam condecentia maximè nos condecorat. Non enim cuiquam veſtē,ſed ei qua vſus eſt in die veſti,egiſſe non neminem gratias audimus veſperi. Aditurus ergo legatus principem, primo illo audientiæ publicæ tempore, vtatur ipſe veſtibus, quoad eius fieri minus poteſt ſplendidioribus. De reliquo ipſius nihil diſputauero comitatu: illa enim in primo ſeu aditu & veſtibulo exponendæ legationis, diuitiarum & veſtium oſtentatio, habet non obſcuræ quid vanitatis,cùm non deeſſet locus & occaſio illarum oſtendēdarum, vel modico aliquo tempore interiecto,& quidē cum maiori legati ipſius prudentię laude,aut ſaltē leuitatis excuſatione:progrediendum enim potius, quàm regrediendum eſt ſemper,opibus & diuitijs oſtentandis. Et haud ſcio, ſi expedierit illa prima qua legatus audietur die, veſtibus indui nouis, quod primus nouarum veſtium vſus inijciat neſcio quid languoris, & aliquando veſtium illarum crepitus, qui pro crepitu alio fœdiori interpretari ſolet,audiatur. Omnes autem graues perſonas, mouere non conuenit riſum; ſed vnum illum minimè externum legatum, à ſummo aliquo principe ad alium allegatum: & vt denique aurea frena equum,ſic vel maxima veſtium ornamenta, non fecerint meliorem vnquam legatum. Licebit tamen vel nonnunquam etiam veſtibus vti legato ſplendidioribus, præſertim ſi iuuenis aut vir fuerit militaris: habet enim iuuentus neſcio quid delectabilis ſemper viriditatis, & militia plus libertatis. Obſeruetur tamen illud vel potiſsimum vnum, vt quod ad alicuius diei, vel principis honorem fuerit factum, præterlapſo illo modico tempore non fiat amplius,& ad ſuam in veſtibus & ornamentis priſtinam reuertatur legatus frugalitatem. Vt enim voluptatum, ſic & pompæ rarior vſus,habet plus non modo feſtiuitatis, ſed etiam grauitatis: quippè per externa crebrius interna deprehendas, & vt ex verborum ampullis, ſic ex veſtium coloribus & modis, mores & ingenia plurium metiare. Auarus interim, & tam in victu, quàm etiam in veſtitu, ſordidus fuerit legatorum nemo: ſordes enim veſtium reſpuit aula,& non iam modeſtiæ & grauitati, quàm partim id tenacitati, partim verò adſcribit egeſtati. Victus verò & ſplendore epularum, ſi aliorum erga ſe humanitati legatus non reſponderit, arguitur protinus tenacitatis, cùm non obſcuro legationis ſuæ deſpicatu: nihil enim minus, quàm parcitas, & auaritia decuerit oratorem, ſi non aratorem dicendum potiùs; qui ſuis perpetuò innixus moribus,ſanè agreſtibus, nec alieno ſolo, nec

elegantia,inter quos verſatur,hominum, neque humanitate collegarum cōdocefacere ſe patiatur. Locupletes namque & nihili legati, tanquam quidam arietis aurea lana dotati æſtimantur. Neq; tamen hoc vno,licèt fœdo,vitio deuitando, legatus ſpectetur prodigus. Nuſquā ęs alienum cōtractum & non diſſolutū, quàm in legato turpius apparet. Aliqui enim legationes ideò dicūtur ambire, ne debitorum cōpellentur nomine, aut verò perfugiū ſuæ ſortiantur egeſtatis.Age verò,quanta vel in reliquis rebus legato prudētia fuerit opus videamus:ſumma quidē certè.Etenim cùm nihil difficilius videatur,quàm grauitati,facilitatem morum,res longiſsimè à ſe diſtantes adiungere;tamen illa ipſa re legato nihil magis fuerit neceſſariū.Eſt enim legatus homo ad principem aliquem miſſus,referens perſonā alterius, propter amicitiam, & publicam populorum tranquillitatē. Nam illi,qui à principibus ad priuatos, & à priuatis ad principes mittuntur;haud ſcio, ſi in legatorū numerum, iurè & meritò referentur.Duplex quippè eſt legati ſpecies, quemadmodū & duplex materia eiuſdem functionis. Alij legati tractandorum negotiorum ergò mittuntur, ſiue pacis, ſiue belli, ſiue induciarum illa fuerint, ſiue verò ineundæ aliorum ſocietatis. Ablegantur alij propter ſimplicem beneuolentiæ teſtificationem, vt videlicet pateat, quanti æſtimamus ſocios, quanto odio proſequimur noſtros & eorum hoſtes: congratulamur amicorum nuptijs, aut natis liberis, aut partis victorijs; aut verò condolemus morti & infortunio alicui. Et denique alij ſunt legati, qui perpetuò in aula principum manent: & alij extraordinarij, & qui ad modicum excurrunt tempus breui domum reuerſuri. Omnes tamen in vniuerſum legationes,vnum illum eundemque finem habent propoſitum,conciliandi animos principum, & publicæ omnium tuendæ tranquillitatis. Vnde & legati partium fuerit, primùm quidem à ſui principis nutu & voluntate pendere, & nihil non agere, quod ipſius expedire cōmodis & ornamentis inprimis iudicabit. Proximum, & alteri pariter ad quem miſſus fuerit principi, omni officio ſatisfeciſſe. Si enim hominum legatos, cæleſtium legatorum exempla ſequi non indignum fuerit; quis neſcit, quòd officium angelorum primum & præcipuum eſt, exequi diuinam voluntatem : tamen eoſdem illos angelos commiſereri noſtræ humanitati,& condonare multa videmus infirmitati, ſic vt ſæpius pro homine, quæ voluerint, impetrauerint. Vnde etiam ſacris proditum eſt literis: Regnum cælorum vim pati: quæ ſanè non alia fuerit, quàm amoris & beneuolentiæ cuiuſdam ſingularis. Si igitur angelus,non ſolùm illi qui eum mittit, verùm-

tit, verùmetiam & ei, ad quem mittitur,satisfacere desiderat: quid idem non faciat legatus, ab vno ad alterum principem ablegatus, quòd non solùm in maioribus,sed vel in minoribus quibusq; rebus etiam obseruabit. Nam & illud quidem etiã est necessarium; vt semel & iterum, aut ad summum tertiò à principe consiliarijsué eius monitus fuerit, imperata legatus faciat, caput tegat,in loco qui illi ostensus fuerit sedeat, liberè mandata quæ habuerit proferat, & qua meliori poterit vtatur actionis dignitate. Multa enim in oratore sunt admirabilia, sed vna illa dignitas actionis maximè est admiranda, sibillis, murmurationibus & collocutionibus aliorum, si quæ fortè inciderint, turbari se non patiatur: fiunt hæc sæpè casu, fiunt etiã meditato, apud barbaros præsertim,cùm verba legati facturi versus obscuriora ponuntur lumina; vt de sole atq; splendore in obscuriora ingressi titubent & turbentur, & vel aliorum sermocinationibus distracti hæreant, vel alicuius seu metus, imprudentiæué notentur. Ex qua nimirum re, capit non nemo,ridiculam licèt nescio quam, in aula voluptatem. Multi enim luminibus suis putant obstructum, si ab externis legatis ad admirationem publicè fuerit aliquid gestum, vel peroratum. Postea quàm verò principis alicuius legato responsum datũ fuerit eo, ad quem venerit potissimùm venerato,salutatisque perhumaniter omnibus,& prętermissis quibuscunq; confabulationibus, domum se recipiat, & demùm externos alios legatos, & aulæ præcipuos, domi eorum visitet & alloquatur. Quòd si prius visitatus ab aliquo fuerit, videat vt vicissim pari humanitate respondeat,nec se officio in illo seu primo quodã vestibulo,& ingressu rerũ superari patiatur.Omnia enim quę in primordijs rerum fiunt, mentibus hominum facilius inhærent, ægrius tolluntur,& futuri eiusdem legati mores,& omnes quodãmodo testificantur actiones. Attamẽ vel hac etiã ipsa in re, delectus esto atq; discrimen:ne,qui nobis multis gradibus inferiores fuerint visitando, nobismet ipsi principibusq; nostris detrahere aliquid videamur. Demittere nãq; summi principis legato se nimis,valdè fuerit inconcinnũ:& quia parũ consideratè facturos se nonnulli existimant, si venerato ipso rege, alios quoque eius consiliarios ibidem non salutauerint; propterea quid moris consuetudinisuè aulæ illius sit,ad quã venerit, maturè prius exploret,antequàm vel in ea re, quantumùis non magna,hallucinetur. Est in more & consuetudine aliquorum regũ positum; vt adeò etiam subterfugiant,in eorũ præsentia id honoris quidam, publicè ab alijs salutari, propter illam vnam, quæ cum alijs communicari & diuidi non debet supremam

regalem

regalem maiestatem. Infimis enim cum medijs, & medijs cum supremis, semper odiosa & inæqualis est æqualitas, & differunt priuatorum inter se officia, à publicis legationibus regum: principes ipsi à consiliarijs principum: alia denique ratio regij est palatij, alia priuatarum ædium: alius splendor solis, alius lichnorum. Quæ omnia exactißimè debet legatus considerasse: & si in his rebus publicisque muneribus aut inconsideratior, aut paulò fuerit timidior, & quod à principe iubebitur tempestiuè non fecerit; videat ne quod aliquando omiserit, iterum tandem facere tentet, & id quod sequetur non assequatur; ac non modò sibi, sed & suo principi, alijsq; eius legatis post se venientibus præiudicet. Pulchre enim nescio quis de hoc hominum genere aliquando pronunciauit: Accidit inquit ijs, quod plerumque hominibus nimia pertinacia & arrogantia accidere solet, vt eò recurrant, idque cupidißimè petant, quod paulò antè contempserint: & obseruatum deniq; est eiusdem principis aut nationis legatis, id quod semel & iterũ moniti non fecissent, etiã petẽtibus his vel alijs facilè postea denegari. Multa quippe in aula non semper optima; sed legatorum maximè errata in exemplũ rapiuntur. Quod aliquando Caroli Q. Cæsaris legatus apud Turcicum Imperatorem veritus, cùm ad exponenda mandata accitus aliquandiu stetisset, neq; considere iussus fuisset, veste quam habebat substrata, humi ipse sedit, & mandata sui principis nomine intrepidè exposuit. Mox consurgens, cùm illud quod substrauerat fortè reliquisset, quamobrem id faceret interrogatus, Cæsaris legatum, sellam sibi portare non solere falsè respondit: ipsis enim principibus non legatis, si qui par est honos negatus fuerit, derogatur. Quod idem & de Sorantio quodam Veneto in Turcia legato vulgò fertur. Secus tamen est in diuersarum barbarumq; gentium & nationum legationibus: quæ quoniam nihil commune cũ alijs habent, nihil etiam præter maiorum morem illis excipiendis innouetur. Nam perridiculum illud fuerat, quòd quidam antiqui moris & consuetudinis ignarus, Tartarorum legatis ad Regem Poloniæ accedentibus, scamnum curauerat ferri, vt consedissent, cùm illi (vt plerumque fit) venerati Regem, genibus flexis, mandata suorum soleant exponere, nec secus vnquam fecisse memorentur. Quo magis curandum est, vt pro se quisque suo principe dignam humanitatẽ experiatur legatorũ: sed nihil tamen (vt dixi) aut in moribus innouetur antiquis, aut in legato ipso, moris vel aliquid deprehẽdatur inciuilis. Etenim non solũ dicta, aut facta, sed adeò etiã ipsi gestus, vultus, & oculi notantur legatorum: & si his obseruandis nõ

occupantur,

occupantur prudentes,hominum vulgus,qui bellua multorum capitum dicitur, vult cæteris hac in parte plus dispexisse. Quin adeò eo tumore & animi est arrogantia, vt cùm ingredientem legatum caput tardius nudare,aut nudatum mox cooperire animaduerterit,multitudo illa,non amplius caput discooperiat,etiam ipso nudante vicissim Oratore. Scitè igitur quidam dixerat,ad conciliandam vulgò beneuolentiam, non tantùm procerum fauore, aut mediocrium officio, sed infimorum etiam approbatione, interdum nos indigere: procerum vt iuuent, mediorum ne impediant, infimorum ne irrideant, cùm hæc omnia soleant vel nonnunquam vsu venire. Impedimur nanque faciliùs, quàm adiuuamur: irridemur,quàm miserationem sortimur; si veluti quadam velificatione mutata, contrarium non assequamur. Quid? an & legatorum ipsorũ domos violari alicubi non videas? cùm aut sontes, non tam legibus, quàm parietibus suis tegunt,aut publicis magistratuũ edictis aliqua in parte aliquando aduersantur. Ibi quidem,quantũ in multitudinis erga legatum positum sit beneuolentia, facilè est cognoscere. Non enim tam citò ad arma conclamatur, quàm quis furor populi & in legatum offensus sit animus facilè deprehendas; præsertim si veluti impunitate quadam, & vel dissimulato ad tempus facto, multitudinis in legatum armetur audacia. Non enim ius legatorum temerè violandum est: sed & legati, quantum in ijs fuerit, illa ipsa de re cum multitudine experiri subterfugiant certamẽ. Quo loco multa sunt, quæ de iure admissæ, & contemptæ legationis dicerentur,sed haud scio,si omnibus suffecero. Durat quidem officium legati, quàm diu ipse in itinere durat, quàm diu in loco manet, & quàm diu eò non redit vnde est allegatus. Idque eò fit vel potissimum, quòd legati nuncij pacis habentur, & nunquam aut à nemine tanquam homines pacifici iure violantur. Vnde ille poëta de Oratoribus Æneæ verba faciens sic alicubi cecinit:

> Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
> Centum Oratores, augusta ad mœnia Regis
> Ire iubet, ramis vellatos Palladis omnes.

Nam Oliua est arbor Palladis, & signum pacis: & Æneas optimũ quemq; legatorũ ex ordinibus omnibus delegerat; nemini tamen dederat prouinciã belli denunciandi. Quin adeò ex omnibus ordinibus eos ideò secreuerat, quòd vniuersalem pacem requirebat. Non decent enim legatum alia, quàm pacis omnia. Et nusquam, nisi me opinio fallit, legati admitterentur, nec pro hospitibus sed

pro hoſtibus haberentur, ſi aut hoſtilem animum apertè gererent, aut arma tractare, & expedire in eos ad quos veniunt viderentur. Modeſtiſsimi igitur legati, eorumque familiares ſunto: nam ſi teſte Ariſtotele Pontici Fibri ſibi ipſi amputant genitalia, cùm in venatu vel maximè peti ſe ſuſpicantur; legati prudentes ea non abijciant, ob quæ potiſsimùm venirent in diſcrimen? Par tamen eſt incolumes non ſolùm inter amicorum tecta, ſed etiam inter hoſtium tela legatos verſari. Nam principis propriæ ſunt partes, non modò curare, ne à ſe, ſuoq; conſilio legatus lædatur; ſed neque ab alio quouis iniuriam vllam patiatur. Alias vt Colloſsi foris inſignes propiùs ſi acceſſerit luto fuerint pleni; ſic & principes, ſi tantùm equis, comitatu, auro, gēmisq; nitētur, & in animo magni habuerint nihil, minimè videbuntur venerandi. Eſt Iureconſultorũ quorundã opinio, Legatis, qui apud ipſum ſunt læſis, principis ipſius offendi maieſtatem, quod ad legatos, inquit lex, oratores comitesùe attinet, ſi quem eorum quis pulſaſſe, & iniuriam feciſſe arguetur, lege Iulia de vi publica tenetor. Et quidem, quod contra ius gentium peccatum eſt, tradi ſolitum fuiſſe delinquentem, ac domino legatorum violatorem quis ignorat? Qui legatos Apolinatium pulſarunt Apolinatibus, qui Carthaginenſium Carthaginenſibus, conſtat fuiſſe deditos, & ad ſupplicium condemnatos. Quanquam & delinquentis principem conſtituere pœnam, qua iniuriæ legatorum vindicentur, ſi id poſtulauerint certiſsimum eſt: ſic enim Saturninum, quòd legatos Mitridatis grauiſsima iniuria affeciſſet, à legatis in iudicium vocatum Senatus mortis damnauit. Hoc enim eſt ius ſanctiſsimum legatorum, quod qui aliquando contempſerunt, grauia vbique mala experti ſunt, & infinitas calamitates pertulerunt. Vnde alicubi Cicero: Legati, inquit, quòd erant appellati ſuperbius, Corintum patres noſtri totius Græciæ lumen extinctum eſſe voluerunt; vt Hammonitas ob violatos legatos à Dauide perditos, vt Arabes ab Herode cœſos non commemorem: neq; Athenienſes referam, qui malè habito Darij legato, totam Atticam depopulari, & feliciſsimam regionem viderunt deuaſtari. Nam & Ammianus alicubi in hanc loquitur ſententiam: Vigilat, inquit, oculus iuſtitiæ ſempiternus, vltricesque diræ ſunt legatorum. Non ſine cauſa tamen monui, omnes legato deuitandas eſſe occaſiones, vt aut nunquam, ad rariſsimè ad rixas & diſsidia veniatur. Quòd ſi vna aliqua de re à principe aut eius populis requiſitus fuerit, & eam ſibi neceſſariò faciendam eſſe cognouerit, dicat quidem licèt non ſibi factu id eſſe facilè; ſed faciat nihilominus & non cunctanter &

propenſe.

propenſe. Duo enim per id aſſequetur: Vnum primum, quòd hæc natura eſt beneficij; vt niſi citò & alacriter collato, magna habeatur gratia: Alterum, quòd res, quæ à nobis petitur ſine aliorum ope & conſilio conceſſa, maiorem nobis opinionem vulgò parit prudentiæ, & authoritatem: neſcias enim cui interdum plus debeas, an authori beneficij, an verò conſultori. Et pulchrè quidam dixit: Beneficia à nobiſmet ipſis dari; minas verò noſtras, per alios debere nunciari: moleſtis enim homines fugantur, & ſuauibus inèſcantur. Itaq; idem etiam legatus totius aulæ, eiuſq; tam procerũ, quàm familiariũ inueſtigabit mores, ſtatũ, rationes, conditioneſq; vniuerſas: linguam deniq; & alia intelligere diſcet: & tam munera, quàm munerum ipſorum expiſcabitur momenta, & omnem adeò magiſtratuum poteſtatem; vt quantum cuiq; tribuendum, qua re & ratione gratificandũ, quid deniq; ab vnoquoq; expectandũ ſit, intelligat. Et num illa ipſius functio bello an pace, domi an foris, re an opinione magis conſtet. Sæpè enim harum rerum ignoratione quidam, qui ſe progredi putāt regrediuntur, & pedibus (quod aiunt) manibuſq; capiuntur. Ac vt quidem in alto ſine ventorum ſyderumque ratione, ſic abſque exacta aulæ, & eius miniſtrorum ac magiſtratuum cognitione, non peræquè legato omnia facilia ſunt ſuperatu. Eſt enim in rerum agendarum prudentia multò plus poſitum, quàm doctrina: & plus refert vnius linguæ exactam, cuius in aula eſt vſus, quàm plurium cognitionem habuiſſe. Pulchrè aliquādo in aula Hiſpanica Ruiugomes ille, cùm quidam à cognitione linguarũ ei commendaretur, num etiam Caſtellæ regni linguam noſſet, cuius in aula Hiſpanica præcipuus vſus eſſet interrogauit: quam cùm ſcire dicetur: ſatis, reſpondit. Verùm & hæc quidem ipſa, de qua diximus rerum agendarum prudentia, tam rara, & variè varijs explicanda occurrit; vt verendum magnopere ſit, ne aulæ moribus, magiſtratibus, magiſtratuumque functionibus, de quibus paulò antè habitus eſt ſermo reſciſcendis, temerè ſibi imponi legatus patiatur. Quod eo vitabit maximè, ſi vnus ille, à quo id ſcire voluerit, communicauerit eadem pluribus: vel ſi ei etiam dixerint plures & magis veraces: dixiſſe enim aliquem, vnum & idem fidenter pluribus, certiſsimum argumentũ eſt veritatis. Quantum verò ad mores & ingenia hominum cognoſcenda ſpectat; varium ſanè & multiplex ſemper aliorum ea de re eſt iudicium: & ille vir iudicandus optimus, qui minimis vrgetur vitijs: & à rectè & incorruptè iudicantibus pluribus commendatur. Nam non temerè Paulus ille III. Pontifex Max. crebris vſurpabat ſermonibus:

Non cum perfectis hîc nos viuere, sed vnumquemque hominem in quinque diuidendum esse partes; quarum si duas in se bonitatis haberet, tolerandum; si tres, debere æstimari probatissimum, cùm difficile sit hominem exuere totum, & quöad hanc sarcinam portauerimus corporis, omnem molem deponere peccatorum. Nec verò vt gubernator, cui maius aut pulchrius est nauigium, habetur statim melior; sic & vir, cui fortuna est splendidior. Dies succedit diei, & nihil horum conceditur vni, aut perfectum, aut adeò etiam admodum diuturnum. Quo magis, vt illa ipsa indagatio apprimè vtilis & necessaria sit futura, non tàm quidem alienos, quàm nostros mores inquiramus libentius; & illam non dicam summam, sed vnam esse semperque fuisse, cognoscere nosmetipsos, sapientiam perpetuò arbitremur. Hoc si non omnibus, at certè nostris probabitur principibus, quibus colendis, eorumque commodis & ornamentis procurandis, nunquam defatigemur; & oblatos quidem eorum causa, nobis honores in externi principis aula non refugiamus; sed non vsq; etiam auidè & perpetuò consectemur. Qui nimis suspici volunt, ridentur crebrius: & qui vltrò sibi delatos modestè refugiunt honores, ij alijs atque alijs certatim cumulantur. Narratum est mihi, & quidem à fide dignissimis, Legatum quendã Polonicum, magnum illum & Catholicum virum, sed vno aut altero hæretico, præsertim verò Fricio virulento contra Orthodoxo scriptore comitatum, ad Carolum V. Cæsarem allegatum, à Duce Albano Cæsarei Palatij primo Præfecto, secretò postulasse; vt inter ipsum & alios Principis Legatos discrimen sciret, & venienti obuiam longius progredi non dubitaret. Quod tantum abest vt fecisset, vt ne ex penetralibus quidem ædium egredi voluerit: negãtur enim ambitiosè petita: vltrò dantur pro se quoque digna: & nihil minus conuenit, quàm Catholicum virum, diuersi ritus & dogmatis, domesticos apud exteros habuisse. Hinc Granuelanus ille senior, ad Ioannem Comitem Tarnouium, Senatus Polonici tum facilè Principem, dederat literas; quibus vt Oratores non tam quidem pompa, quàm rebus instructos ad eos mitteret hortabatur. Ridicula enim profectò, cùm quorundam aliorum populorum, tum maximè Moscouitarum spectatur arrogantia: qui si aliquando (quod rarò fit) domo efferunt pedem, vel vna illa perpetua rerum suarum iactatione molesti sunt audientibus, & alias gentes atque nationes, præ se ipsi non obscurè aspernantur. Romæ cùm stupenda illa ædificia eis monstrarentur, & num simile aliquid alicubi vidissent interrogarentur; multò se in

Moscouia

Moſcouia habere profitebantur rariora, vt & aliquando quid conſcientia eſſet quæſiti, in principis ſui Gaza eam reperiri reſponderunt. Iam & in Ratiſponenſibus Imperij Comitijs, quas Maximilianus Romanorum Imperator hoc nomine alter celebrauerat poſtremis, ab Alberto Duce Bauariæ pro prandio inuitati, cùm eius hora aduenisset, & Dux præcipuos auctoritatis viros in legatorum hoſpitia miſiſſet; reſponderant ſe non aliter intellexiſſe, quā quòd Dux ipſe prandere apud ipſos debuiſſet. Qui enim liceret, tanti Imperatoris quantus eſſet Moſcus legatis, prandij ergo huc & illuc euagari? Quid verò de eorum moribus & ingenio alibi quoque notato & deriſo loquar? an in Polonia etiam non maximè vituperata eorum eſt barbaries, cùm ante ſe nudare alios prius capita, deſilire equo, cedere ſibi via, & id genus alia imperarent? Vt igitur quondam neſcio quis Imperator eos, qui fumos venditare, & ventoſi eſſe conſueuerant, fumo ex arida materia excitato perimebat; ſic haud ſcio, ſi Stephano Rege Poloniæ auctore, non iuſtas Moſci pœnas dederunt: & cùm à verbis ad arma eſt ventum, ab illa ferocia loquendi, ad vilitatem animi protinus reciderunt. Metus enim Tyrannis, & dicacitas indicium eſt vilitatis. Canes enim qui in menſa mordent, in venatu non reſpondent. Quę cùm ita ſint, & cùm legatus, totius quaſi gentis Principiſq; à quo mittitur ſui, apud exteros verſetur; danda eſt opera, vt ſi ſumma doctrinæ & variarum linguarum cognitionis non habuerit præſidia, vir bonus, & eius linguæ qua Princeps, ad quem mittitur vti ſolet non ſit imperitus, & tum in moribus, tum in ſermone moderatus; ne vel ſua nimis dilaudet, vel vituperet aliena. Principium enim amicitiæ eſt laudatio, vituperium odij & ſimultatis. Ita certè naturà comparatum eſt; vt ſuum cuique maximè videatur pulchrū; & ægrè nobis anteponi noſtris aliena patiamur. Quòd ſi Principi, à quo miſſus eſt ſuo, pluſculum legatus tribuerit; quis hoc ei verterit vitio? debentur enim obſequia amico, laudes Regi & Principi noſtro. Sed & in his quidem laudationibus, locus, tempus, moduſq; certus eſto: ne in eorum incurramus ſuſpicionē atq; odium, qui domi ſuæ alienas laudes prædicari ægerrimè patiuntur. Dictu profectò vix credibile fuerit, quàm apud vicinos, induſtriæ potentiæúe Principis alicuius fama, animo parum audiatur æquo: & quantum exteris datum, tantum per id detractum nonnulli ſibi arbitrantur: & quàm deniq; ſibi rebuſque ſuis tum metuant, tum diffidant, hæc taliaque audiendo: cùm varijs modis & artibus, tanquam aliud quid agendo, concitetur ſæpè in eos expers rationis &

 quietis

quietis multitudo. Itaque ne vel minimam eius rei suspicionem legatus de se præbeat, non se alienis temerè immisceat: non præter modum aut consuetudinem gentis nunc hæc laudibus, nunc illa prosequatur reprehensionibus: & antè omnia, tam in dictis quàm in factis, nullum relinquat vestigium falsitatis. Nullum enim est turpius, quàm à Principe, aut eius legato profectum mendaciũ, cuius gratia, ne vera quidem dicentibus fides habetur. Quo loco quæritur: Vtrum nunquam, aut verò aliquando etiam pro re & tempore licuerit legato aliquid confinxisse. Sunt enim quædam mendacia, quæ dicuntur officiosa, quibus nonnunquam Imperatores exercituũ inter milites vtentes, & falsum aliquid in medium afferentes, salutẽ dedêrunt exercitibus, Magistratus populis, Consiliarij Principum indigenitalibus, & conciuibus suis: sed tamen mendacium inferioris erga superiorem, non modò temerarium, sed adeò etiam fuerit periculosum, propterea quòd is, qui dicit falsitatem, plus scire se, & illo cui dicit meliorem esse tacitus quodam modo profitetur. Et quoniam Principes sunt omnibus maiores, & haud dubiè volunt videri aliquanto etiam meliores; multum legati amittunt apud eos fidei, si vel minimum deprehendatur in ijs falsitatis: silere quidem tutior videtur modus veritatis occultandæ: nam nunc ignorantiæ, nunc negligentiæ prætendi potest excusatio. Si tamen anxiè de veritate quæramur; non vsquequaque expedierit eam celasse: vt enim orator, quo nomine legati appellantur, si vir bonus esse & appellari cupit, opprimendo innocentem, velare faciem non volet opinor veritatis; sed salutem tantùm afferre periclitantibus; sic & legatus, dum datur occasio, non ad aliorum exitium, sed ad principis salutem, si tamen hæc disiungi poterunt, vera loquendi commendatam habeat libertatem. Inprimis autem incerta pro compertis, falsa pro veris, seminota pro exploratis, nunquam aut tuebitur obstinatè, aut in apertum proferet præfidenter. Hæc enim (vt plerumque fit) aut intellectus tribuuntur imbecillitati, aut malignitati. Multa enim alia, sed vel hæc potissimùm tria, nostræ imprudentiæ fuerint semper argumenta: incognita pro cognitis apud nos habere: in res non necessarias & exiguo tempore duraturas, sumptus nimios facere: & denique nouarum rerum & auditionum temerè se constituere authorem. Iam enim & illud legatus obseruandum sibi perpetuò meminerit, ne eos, qui sub legibus silentij se ei concrediderint, temerè seu adeò etiam perfidiosè aliquando prodat & periculis obijciat: cùm enim, præter quod indignissimum fuerit, de nobis bene mereri cupientibus, ma-

bus, malam referre gratiam, nemo vnquam fidit amplius ei, quem ſecreta ſibi communicata ſcit facilè effutire. Poſtremò nec ſperabit, nec deſperabit legatus ſubitò de toto euentu & conſecutione rei, tam ordiendis negotijs, quàm etiam terminandis: paruis enim momentis, magnæ rerum & temporum inclinationes fiunt, & vel optimè cœpta tandem non procedunt. Principem ſuum nulla vnquam de re, cuius certa & euidentia ſigna, vel non habuerit legatus teſtimonia, faciat certiorem; ſecus quidem ſi non fidei, prudentiæ certè ſuæ imminuet vulgo opinionem. Nocuit ſemper vanas ſpes & cogitationes ſecutum, tempus quo nihil eſt carius amiſiſſe. Scribendis literis probè diſtinguat omnia, & quæ conſtant coniectura, deciſa & in vulgus emanata ſecus iudicabit. Differunt & illa, quæ ab ipſomet principe prius vel poſterius, & quæ rurſus ab illius audientur Conſiliarijs. Multa quippè ad terrorem, multa ad faciendam inanem ſpem, multa ad expiſcandam alterius dicuntur voluntatem. Quæ omnia quidem neceſſe eſt notare: ſed non expediet peræque æſtimare, aut literis ſubitò committere, cùm aut nullum, aut quàm modeſtiſsimum ſuum de ijs interponendum ſit iudicium: propterea quòd ſuam de rebus ſententiam, non libenter velint Principes præoccupari. Quid tamen non modò prudentiores, ſed & vulgus hominum, vel de Principe loquatur ipſo, poteſt aliquando commodè legatus innuere: ſiquidem communicandis Principi ſuo conſilijs, induit quaſi perſonam, in quo libertas ſententiæ imprimis eſt laudabilis ipſius Senatoris; & cùm negligere quid de nobis vel multitudo ipſa interdum dicat, aut ſentiat, non modò ſuperbi, verùmetiam ſit omninò diſſoluti. Ac ne multa, nihil non rimabitur, nihil non veſtigabit, nihil non dicet & perſcribet legatus, quæ ad principis ſui non modò dignitatem, verùmetiam pertinuerit animi voluptatem. Nam vel minutiora & inutiliora quæq; Epiſtolæ pro tempore inſerta ſæpè delectant. A Franciſci I. Galliarum Regis funere, ad Paulum III. Pont. Max: quidam eius legatus, quandiu candelæ funeri prælucentes arſiſſent, inter alia, quæ fortè ſcripſerat commemorauit, & illud prætereà addidit, ad neminem alium, quàm ad ſuum Principem talia ſcribere eum voluiſſe, cuius auctoritas ſumma, ne quid fortè vel minutiſsimorum prætermitteret, officij eum admonebat. Priuati enim paruis induſtriæ voluntatiſque erga eos noſtræ ſignificationibus conquieſcunt, principes vix aliquando contenti eſſe vel maximis ſolent, & iure non debent. His igitur ſimilibusque rebus, & induſtriæ, ac indefeſsi noſtri ſtudij teſtificationibus, legatus ſuo principi velit reddi com-

di commendatissimus; sed neque eius principis apud quem versatur conciliet sibi aliquod hoc nomine odium, aut maleuolentiam, vix vllis officijs postea abolendam. Debemus enim ita gratificari vni, ne iniurij simus alteri: & ita scienter inter homines versari, ne alicuius temeritatis meritò inculpemur: mundani enim omnes sumus, & in hunc orbem nos immissos, vt mutuam nobis præstemus operam, non inuiti profitemur. Vnde olim coquis, lenonibus, & id genus alijs vilioribus ministris, non dissimiles esse legatos, scio dixisse non neminem, & haud scio an immeritò. Neque enim interdum earum rerum magna est dissimilitudo: & quemadmodum coqui fercula condiendo, aut lenones amantium inter se iras & dissidia mitigando; ita & legati principum conciliauerint animos, rectè & scienter res, quæ ad eorum concordiam facerent proponendo, & nunc hanc, nunc illam partem ratione & argumẽtis conuincendo; præstiterit tamen benignos, quàm malignos affectus, quos odium & inimicitia comitatur semper magis commouisse, & apud quemlibet principem ita se gerere; vt non modò prudentem, sed & sibi rebusque suis fauentem, eum qui ad se missus est legatum, certò sibi polliceatur: dimidium enim vel prima legationis die deposuerit oneris, qui principem sibi beneuolum fecerit causa eius qui expectatur honoris, quod sine magnis ingenij & eloquentiæ viribus præstari non solet, ac proinde, multum in ijs studijs collocari operæ & diligentiæ debet. Vnde infortunia sua apud Latinum decantantes, & loca ad habitandum petentes, pulchrè alicubi Troianos induxit Poëta oratores:

> Quanta per Ideos sæuis effusa Mycænis
> Tempestas ierit campos, quibus actus vterque
> Europæ atque Asiæ fatis concurrerit orbis,
> Audijt, & si quem tellus extrema refuso
> Submouet Oceano, & si quem extenta plagarum,
> Quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui
> Diluuio ex illo tot vasta per æquora vecti
> Dijs sedem exiguam, patrijs littusque rogamus
> Innocuum, & cunctis vndamq; auramq; patentem.

Nec satis est dicere, sed expedit etiã facere, cum mica salis, grauiterq; omnia, & tã sua quàm principis sui maxima cũ dignitate. Multi enim reperiuntur, qui quantumuis apud se, bonum licet propositum finem sæpius habuerint; in rebus tamen ipsis tractioneque illarum, aberrant à scopo: & aut in suspicionem non rectę fidei, aut leuitatis incurrunt. Venerat olim pro imperij comitijs Ratisponam Mo-

nam Moronus, at qualis & quantus Cardinalis? Gregorij XIII. Pont. Max. ad Maximilianum Cæsarem, eius nominis secundum, legatus: & quia Stephani Bathorei, Cæsaris æmuli, eodem illo tempore in Regem Poloniæ inaugurati, ibi quoque legati, quos medicus quidam eiusdem Cardinalis visitabat spectabantur, suspicari illico non temerè illud fieri est cœptum, & de omnibus ijs, quæ inter Cæsarem & legatum tractarentur, reddi eos proculdubiò certiores. Quo adeò nomine ipso, expostulauit cum Morono Cæsar vehementius, & cùm eius suspicionis causa, tùm quòd suum quoq; legatum ad Gedanenses profectum violatum in Polonia audierat, Stephani Regis legatos Ratispona discedentes, iusserat in itinere detineri: qui tamen, Cæsare vita functo, statim sunt dimissi. Quod ideò commemoro, vt legati omnes memoria teneant, nullam vel minimam ei apud quem versantur principi occasionem præbendam, de se esse sinistrè aliquomodo suspicandi. Non enim rectè facti tantùm legato suffecerit conscientia, sed adeò etiam summa necessaria est prudentia, animis principum inter se conciliandis. Quo etiã magis omnes apertas vitabit legatus inimicitias, & nec falli quidem, sed neque volet fallere, aut verba dare alicui personæ, & authoritati suæ confidenti. Polliceri enim quod seruare non possis, aut minus velis, falsitatis; digladiari quibus cum non debeas, imprudentiæ est singularis. A Sigismundi Augusti Regis Poloniæ morte, Ioannes Monlucius, Caroli IX. Galliarum Regis legatus, in Poloniam fortè venerat, & vt Henricum regis sui fratrem creare potuisset regem, aureos quod dicitur montes non modò ordinibus, sed & hominibus penè promiserat vniuersis. Tandem verò cùm pro inauguratione regis ventum esset Cracouiam, inter tot atque tantos qui in regio comitatu aduenerant proceres, vnus ille, qui maximè expectatus adfuisset, desiderabatur Mõlucius, & ideò Cœnobij præfectus, per iocum & ludibrium non à nemine fuerat appellatus. Ferunt enim peregrè quibusdam discedentibus, monasterij præfectis suas antiquitus res tradere non dubitauisse. quas recuperare volentibus, præfectos cœnobij nondum reuertisse solitum erat responderi. Quo eodem modo Gallos secum agere nonnulli affirmabant, cùm à quo promissa sibi facta peterent, Monlucium desiderarent. Vna igitur illa falsa pro veris dicendi, fugienda legato est consuetudo, & ne ad iurgia, rixas, vel certamina aliqua vllo modo ab eo veniatur. Etenim vt vnus quidẽ altero susceptarũ inimicitiarum minorem causam legatus habuerit; nõ omnium tamen optima fertur pro vtroque sententia, aut saltem quod hic &

ille egiſſet dicuntur nõ habuiſſe : diu enim arcus tendendus:& antequam aliquid quod nolis excidat tibi, animus eſt cõprimendus; niſi fortè aut noſter, aut noſtri principis agatur honos, qui impoſuerit onus, vel morte ipſa turpitudinis, & ſeruitutis, à nobis noſtroque principe repellendæ, quod vt vitari omni ratione & occaſione queat, ferantur multa diſsimulanter neceſſe eſt, antequam ſanguinis effuſio,cædes,& laniatus noſtra cauſa ſubſequantur. Omnibus enim, ſed ſenibus & publicis perſonis maximè, fœdum eſt cruentari. Quod vt adeò contentione & exemplorum varietate planum fiat, quę paulò etiam acciderunt antè,breuiter repetamus. Riſit Sigiſmundus I. Rex Poloniæ, Ioannem Dantiſcum, primum quidem Culmenſem, poſtea Varmienſem Epiſcopum apud Carolum Q. Cæſarem diutius commoratum, eo die feſto, quo ſibi ab Imperatore ad frequentandum cum eo templum, alternatis cum Luſitaniæ Regis Legato vicibus, vitandæ contentionis ergò fuerat aſsignatus,tanquam aliud agendo Luſitanum legatum loco mouiſſe, & per ſpeciem collocutionis, quam porrigenti manum cum eo habiturum ſe ille crediderat, è loco ſic mouiſſe, vt ne conquerendi aut altercandi, cum eo cauſa reſtare legato videretur. Sed non riſerunt Italiæ principes, qui internuncios apud Imperatorem Rudolphum ſuos, in ponte Pragenſi, obuiam ſibi factos, quod vnus nolebat ceſsiſſe alteri, tota die intellexerunt ſtetiſſe, cum irriſione prætereuntium. Volunt enim principes legationes ſuas gloriæ & amplitudinis eorum teſtificandæ eſſe campum, non ineptiarum & ſannionum vllum theatrum. Quo etiam hæc & ſimilia, quæ ipſis dedecori eſſent futura legati magis declinabunt, & circa principes amicos habere enitentur, qui omnia dicta & facta ipſorum recta & felicia augeant ſermone, paulò aduerſa extenuent,quacunque poterunt maximè ratione : multum enim apud principes,in domeſticorum illorum poſitum eſt patrocinio, & prima quaſi narratione factorum;ſed vtrique viderint,ne vllam vel minimam eius rei,quod hæc videlicet ex compoſito fiant, veram de ſe ſuſpitionem inueniantur prębuiſſe.Emendicati quippè fauores tamdiu iuuant, quàmdiu quod emendicati ſint intellectum non fuerit : ſemel cognita falſitate, etiam illa, quæ verè anteà fuerant dicta, inſtar habentur figmentorum. Proinde danda erit opera,vt eorum,quod ſcitu imprimis neceſſarium fuerit, effugiat nos nihil; ſed vt etiam in narrationibus rerum vel euentuum nullum vel minimum veſtigium,noſtræ in credendo deprehendatur leuitatis. Scire enim plurima, eademque ſecreta, ſummæ argumentum eſt prudentiæ : facilè credere,

dere, & falſa pro veris admittere,rurſus illius regulis & expectatio-ni aduerſatur. Magno honori cuidam Cardinali, qui vulgò Granuellanus dicebatur, fuerat, cùm neſcio quo loco aut tempore variè varijs de fœdere inter Venetos & Turcam icto (vt fit) diſceptantibus, certa eius rei documenta proferre potuerit, & qualis ac quantus vir eſſet, cùm alijs multis, tùm vel illa etiam ipſa re procul dubiò oſtenderit.Sed è contrario riſu exagitabatur Saxoniæ Ducis, & Philippi Landgrauij Heſsiæ, bello Saxonico in Gallijs legatus, qui de Caroli Q. Cæſaris in Germania progreſsibus, Franciſcum Regem debebat facere indies certiorem, & non prius quàm ab ipſo rege didicit,dominos ſuos à Cæſare detineri.Libenter quidem communicari auent principes ſibi multa, ſed faſtidiunt inepta, aut omninò etiam antea peruulgata. Quo magis tam ſerijs quàm iocoſis rebus, patet legato locus principis gratiæ aucupandæ; ſed vtatur non abutatur eadem legatus facultate. Tribuerat tantum Dantiſco, Sigiſmundi Regis Poloniæ apud ſe legato Carolus Q. Imperator; vt cùm aliquando omnibus externis legatis, ne in Hiſpanias nauigantem ex Belgio ſequerentur dici feciſſet,ſoli Dantiſco contrarium curauerit poſtridie nuntiari. Tum ille vt lepidus fuerat: Bene eſt, inquit, proficiſcamur; ſed ſicuti quidem voce præconis ea generatim omnibus profectio inhibita fuerat, ſic rurſus eiusdem voce neceſsitas mihi quoq; ſpeciatim imponatur. Aſſenſus eſt Cæſar, & ille non ſolùm in Hiſpanias eum comitatus, ſed & maximis honoribus in ijsdem Hiſpanijs fuerat ab eo auctus, cùm in numerum illius nobilitatis, cum toto ſuo genere & agnatione referretur: amant enim ingenia principes, ſed cupiunt vicißim candidè redamari. Ebrioſus,ſcortator, aleator, atque alijs eius generis vitijs deditus legatus, nunquam putetur, nec faciundis itineribus ſuſcepta profectione lentus, neq; voluptatibus blandiſsimis dominis aut delicijs quærendis occupatus. Notabatur eo nomine legatus quidam, quòd cùm aliquam viæ partem fortè cõfeciſſet, ſubſiſtebatur eueſtigio, & vel non neceſſarijs faciundis ſumptibus iterum & iterum immorabatur. Mox mittebat rurſus domum pro pecunia, quam antequam accepiſſet, tantum interdum alieni contrahebat æris,vt ne pecunia quidem allata illud diſſoluere potuerit, parumque abfuerit, quin à principe ſuo,qui illam ipſius itineris ægerrimè ferebat tarditatem, reuocaretur: ſeria enim ſeriò tractanda & ſuſcepta publico nomine itinera, nullis adhibitis voluptatum lenocinijs ſunt conficienda. Meminiſſe pro ſe quiſque debet, Annibalem armis inuictum, voluptatibus & luxu-

riæ Capuæ manus dedisse, & Prosperum Columnam, qui foris tot tant sque hostibus iuuenis sæpè restiterat, muliercularum amoribus domi senem resistere non potuisse. Turpe namque omnibus, sed turpissimum est repuerascere senibus, legatis & militibus. Peragrandis porrò regionibus, omnia & singula notet, & notata item ab alijs ad manum habeat semper, vt facilius intelligat locorum rerumque momenta omnia, tam præsentis temporis, quàm ipsius etiam antiquitatis. Scire quidem & videre semper aliquid noui desiderant ferè vniuersi; sed cum ratione ac delectu peregrinari didicerunt paucissimi, Quo etiam cœlū non animum dicuntur mutare, qui aut vertunt solum, aut traijciunt salum, & non secus ac alij veredarij, vel tabelliones videri, qui vel magna vna die terrarum percurrunt spatia, sed nullum inde profectum sortiuntur. Quidam enim non secus, ac aliquid mercium plena, sed malè dispositarum dicuntur testudo, quòd multa viderunt, & audierunt, sed non peræquè scienter visis auditisque vtantur. quo magis expedierit notare indies singula,& loca ac personas quę occurrerint, & quæ opportunè aliquid nobis nunciauerint obseruare: nulla denique non occasione vel ex itinere ipso dare ad principem aliquid perpetuò literarum: multa enim multos delectant, sed nihil magis quàm sapientes reges literæ, seu quidam nuncij & interpretes mentis ipsorum legatorum. Nam si laudatum in pictore illo fuerat, quod nullam ferè diem sibi excidere, in qua vel vnam non duxisset lineam permittebat: quantò erit legati scribendis crebrò ad suum principem epistolis diligentia commendatior? & cùm non vno aut altero, sed tribus atque adeò pluribus itineribus, & tam mari, quàm terra susceptis, transmittet literas, vt pari modo si ita necessitas postulauerit, vicissim ei respondeatur, maximè si & itinera longiora, & suspecta fuerint loca, quæ terra marique sunt superanda. Accedit, quòd per errorem alteri alicui inscriptæ literæ, moram afferunt rebus, & multifariæ viæ sint erroris, vna illa & certa veritatis: quapropter vel antè illud etiam tempus ipsum, quo commoda transmittendæ epistolę expectatur occasio, tempestiuè exarētur literę; ne si secus acciderit, tandem transmittendarum facultas elabatur. Scribendum quidem esse satis constat necessariò, & illud ignoratur, quo argumento, per quem, quomodo, & quando. Anticipare igitur tempus, non abs re interdū fuerit: & si videbuntur suspecti tabellarij, aut cuipiā alteri inscribere epistolam, erit necesse, à quo vt principi eius reddatur, legatus postulabit, aut verò ignotis notis separatim ab alijs literis eam prorsus exarare; vt ille, cui interpretandæ

terpretandæ epiſtolæ,& notarum indicandarum incubuerit cura, minus illorum ſit conſcius, quæ vſitatis characteribus ſcripta conſtabunt, quo magis & linea in epiſtola, quæ ignotis exaratur notis cuilibet folio ſit circumducta, ne prӕterea aliquid additum videatur: prius tamen ille,ad quem tales ſcribentur literæ, omnium harum rerum exactè admoneatur. Nam licèt vel eiuſmodi diligentia tandem etiam eludatur, tutiùs in hanc ſemper peccabitur partem,vt cauti & ſoliciti,quàm indiligentes & ignaui habeamur. Cura namque & cogitatio acris, malleus eſt omnis difficultatis. Interim his ſimilibuſque agendis, nec occaſionem aliquam de ſe ipſo alijs ſuſpicandi legatus dabit, nec friuolis ſuſpicionibus, nunc de hoc nunc de illo laborabit. Friuola ſuſpicio conſilij argumentum eſt inopiæ, & maligni qui criminis expertes ipſi non ſunt, ingenio ſuo alios metiri plerumque conſueuerunt. Diem, & ipſam deniq; horam,qua ſe in viam tabellarius dabit,ſuo legatus perſcribet principi, & ijs, qui ſe vltrò tranſportandis, offerunt literis fidem haud ita magnam peræquè ſemper habebit. Quod tamen ipſum,vt quam maximè occultare poſsit, ſcribet nihilominus aliquid, quod parui momenti fuerit, & maioris cautionis in poſterum ergo, ſi illa fortè reddita, vel ſecus epiſtola fuerat, ſemper inquiret: bis enim ab vno decipi,& geminatis vicibus coctum ſumere prandium, eſt ſubmoleſtum. Poſtremò,cùm hinc & inde varia & multiplicia occurrerint negotia legato in aula expedienda,dabit operam,vt quę prius,quęúe poſterius tractata ſunt,ſuum principem faciat certiorem: & adeò vel verba inſerat ipſa, quæ, & à quo, & quo loco, quo vultu, geſtu, tempore ad eum prolata ſunt & fuerunt, & num à principe ipſo, num ab eius conſilio, num verbis, num ſcripto, num ex tempore,num verò etiam meditato. A prudentibus enim non modò ipſæ res, ſed rerum etiam momenta omnium, circumſtantiæq; adeò vniuerſæ, ad certam rationis normam, quam vulgus hominũ facere conſueuit acrius expenduntur. Quo etiam legatus ea,quæ notatu erunt digniora,in calce literarum non inuitus repetierit, & omnem vel minimã notam vitauerit falſitatis: labilis eſt memoria, & aliquibus tantum abeſt,vt neceſſaria ſint frena,vt ne quidem ſuffecerint calcaria, præter morem. Quo conſultius etiam crebrius,ij in quorum nobis commodis poſitum aliquid eſt, occurrũt admonendi, ſuppreſsis authorum nominibus, à quibus quid in rem noſtram principiſque noſtri facit, auditione aliquid acceperimus. Scribendis autem ad principem raptim (quod aliquando contingit) rarò autem contingat epiſtolis, ſi alicubi erratum fuerit, ex-

pungantur, quam eradantur potiùs characteres; ne doceamus alios artem & peruersum vsum eradendi: facilius enim vitiosa sequi, quàm bona imitari homines videas, & raptim scribendis literis nō nemo suspicatur, quod contemnas. Priuatarum suarum rerum in epistola ad principem inseret legatus nihil, præsertim si alio modo ad notitiam ipsius posse eas deducere videatur. Peræquè imo & maiori curæ sua, quàm vel principis sui inde plerumque dicitur habuisse: & ita reuera natura comparatum est, vt alienis spectandis, omnia nobis instar pyramidum, nostra verò appareant humi repositorum quasi nidorum. Vnde scribendis literis arripimus facilè occasionem, quas principes rebus cum suis misceri ægerrimè ferunt, nostra de infelicitate querelarum. Accuratissimè porrò omnes scribet epistolas, & earum sibi exempla multis & magnis vsibus seruitura reseruabit: nec verò vno eodemque signo eas communiet, nec vnis ijsdemque scribet characteribus semper; vt eorum audacię viam obsepiat, qui nunc manum, nunc signa aliorum adulterare consueuerunt. Multi qui veritatis non potuerunt, aut potiùs noluerunt via, sumptus cupiditatum inuia quæsierunt sibi falsitatis. Si epistola plura habere contigerit folia, non ea consuat, sed quod aut prius, aut fuerit posterius, vnicuique inscribat foliorum. Si quid secreti alicubi amiserit, cogitet in cuius manus venire illud potuerit, & nullum laborem aut sumptum refugiat; vt recuperare illud possit: quòd si minus poterit, nunquam temerè ei se credat, contra cuius salutem machinatus est aliquid, aut verò dignitatem; & nec sit sollicitus, cui hæc vel illa vsui seruierit præceptio: sat sit recta monenti paruisse. Multa sunt quorum & iureconsulti in suis libris rationem non reddunt; & tamen sapientissimè esse scripta & constituta, quis ignorat? Me quidem, ne his de rebus plura differam, legati ipsius, quem non temerè iam vel antè in rebus versatum, & non tyronem futurum crediderim, retrahit prudentia, tum & rerum, quæ vna ex alia gignitur hac in parte magnitudo. Quò enim alicuius dicendo de hac materia inuehor, eò mihi minor spes affulget portus aliquando capiendi. Quapropter, cùm de legato, eiusque adiumentis, & exercitiis dixerim, de ipsa quoq; quæ propriè in manu est principis dimittenda subiungam aliquid legatione. Negant, ludicra enim miscere serijs aliquando libet, in Turciam alios quàm ablegari animo debere fortes & liberales: quia, vt plerumque fit, Turcæ partim minaces, partim verò sunt petaces. Vt ergo minus minas vereantur, & pro re & necessitate, munera & pecunias largiantur; nec timidos neque parcos dimittendos. Cautos in Moscouiam, quod ibi græca viuatur fide,

tur fide, & rarò quid concedatur ſine longa licitatione. Romam mittantur pij, & religionis obſeruantia noti, & potiùs politici, quã eccleſiaſtici ordinis viri; vt eorum petita, qui Pont. Max. minus obnoxij ſunt, maiorem habeant authoritatem. In Hiſpanias moribus & ingenio ablegentur ſedati, & quàm minimè nouarum rerum dogmatumúe appetentes: quia ibi velint nolint facilè in officio continentur. Per totam Italiam proficiſcantur humani & officioſi, cùm ibi earum rerum quaſi quoddam perpetuum ſit certamen. In Gallias ingenio celeri, aut potiùs verſatili, vt ex re conſilium capiant & ſcœnę quod aiunt ſeruire ſciant, aut verò diſcant. In Angliam dimittantur formoſi & proceres, cum talibus viſis ſtatim Angli in admirationem rapiantur, & quòd Angli non ſint, dolendum crebrò loquantur. In Germaniam promiſſorum tenaces, cùm antiquitus dictorum factorumq; conſtantia Germani fuerint celebres. Vbicunque autem locorum legati ſint continentes & abſtinentes: nam non temerè duæ illæ voculæ multorum ſemper fuerunt in ore, ſuſtine & abſtine, niſi quòd in his veluti duobus quibusdam vitæ prę-ſidijs multum videbatur poſitum, tum vtilitatis, tum verò etiam dignitatis. Et denique quàm patresfamilias Hiſpani peregrè diſceſſuris filijs, modico viatico dato, eandem principes legatis ſuis, ſed pro dignitate ſumptu ſuppeditato, commendent grauitatem. Concurrant enim in legato oportet plurima; ſed vna illa maximè ſpectetur grauitas, quæ tamen expers occulti in legatum ſit odij & habeat plus amoris quàm alicuius formidinis, plus integritatis quàm aſſimulatæ bonitatis, & quæ priuatam cum publica perſona ſic legati commiſceat, vt & illius principis à quo mittitur odioſam maieſtatem, & eius ad quem venit minimè à ſe abalienatam reddat voluntatem. Cuius etiam perſonæ inſit vel aliqua ex parte claritas, & nobilitas generis, pulchritudo & concinnitas corporis, liberalitatis exercendæ facultas, peragratio exterarum gentium, luſtratio regiarum, intelligentia rerum, vſus & tractatio negotiorum, multarum & variarum hiſtoriarum lectio, & eius denique philoſophiæ partis cognitio, quæ ad formandos mores, adminiſtrationéq; iuſtitiæ, & ſcientiam pertinet gubernandi: huic demùm etiam fides in principem eſto, amor in ſuos, comitas erga exteros, viuacitas ingenij, ars & copia in vtrãq; partem de rebus diſſerendi, & doctrinę literarum ſtudium propriũ ac peculiare: humanitas poſtremò in cõuictu & colloquio familiari, conſtantia in colendis amicitijs, prudentia in cognoſcendis, & tarditas in diſſuendis potiùs quàm diſrumpendis. Quæ vt aliâs etiam dicta fuerint, placuit vel denuò de

legato attulisse. Iam verò dandorum legatis mandatorum duplex est ratio : libera vna, literis & seu quibusdam cancellis circumscripta altera. Nihil autem minus quàm certum de legato ferri potest iudicium, cuius quod sibi videbitur agere conceditur potestati; & tamen antiquitus etiam id vsu receptum fuisse ambigat nemo, qui modò in historiarũ lectione paulò est versatus. Quid enim? an Carthaginenses olim, an Achæi, non miserunt suos legatos Romam, quibus liberè quod vellent agendi dederant facultatem? Quid? an rursus ijdem illi Romam ad Coriolanum, & ad eam, quæ secesserat plebem, cum tali eademq; potestate legatos non dimiserunt? Nam vt hæc res periculo quandoque non careat, pro re tamen & occasione est necessaria: multa enim nec opinantibus eueniunt, de quibus nihil prorsus constitui in mandato poterit, & haud scio an debebit. Exempli gratia. A morte Ferdinandi Cæsaris, Maximilianus Cæsar eius filius, tardius paulò legationem Constantinopolim misit, pactis & fœderibus pacis, cum Solymano Turca confirmandis. Misit ergo Solymanus ad eum suam, vt multi crediderant, pacem postulatam; sed ita, vt si fortè in itinere fieret ei Cæsaris legatus obuiam, statim Constantinopolim reuerteretur imperaret, & reuersus est, resque ad illud bellum, in quo Giula & Seget est captũ, tandem deuenit. Quid hic poterat aut debebat legatus Cæsaris præstitisse? aut quomodo contra illã barbari molitionẽ poterat aliquid legato committi, quo eludi potuisset? Multa ergo vt dixi præter opinionem eueniunt, & multa legati credi debent prudentiæ, ac necessariò committi potestati; sed & ille non obliuiscatur eius, à quo missus fuerit, authoritatis: expedit enim semper Menenij, aut Manlij illius Romani imitari exemplum, qui, licèt summa donatus fuerat à senatu potestate, non tamen vsus ea est impotenter, cùm quædam ab eo præter expectationem peterentur, & nimirum Menenij consilium siue factum, non tam per se quod rectum fuerat commendatur, quàm ipsi contrarijs Cassij actionibus, cuius, Dyonisius meminit, illustratur: qui accepto à patribus honore, non eum quem par fuerat vicissim honorem habuit, nec vnquam consilium cum ijs communicauit: par enim est ei qui dat totum, particulam vel aliquam reseruari. Porrò variari hæc locis & temporibus non nego, & multa incidere quæ moram non patiantur liberè affirmabo; Sed tamen in perspicaci multum positum legati est prudentia, qui, quæ fides & in principẽ obseruantia eius sit esseque debeat, consideret, & tam à quibusdam quę illi permittentur consultò abstineat, & principem suum requirat, quàm & ijs rursus liberè

ſus liberè faciat finem, quibus nulla videbitur mora debere interponi, ſed vno illo candore & ſinceritate in omnibus ſingulisq; vtatur. Nam quemadmodum perſonati, ſic & ſimulatores, nec peræquè omnes & ſemper, nec diu delectant. Ac vt dubitandum non ſit, illos qui futura prædicunt, multò plus quàm veri habere falſitatis; tamen mirum eſt, quantum inter hos & alios mentientes habeatur diſcrimen: his vt ſemel deprehenſi in mendacio fuerint nulla, illis qui futura denunciant vel aliqua ſemper adhibetur fides, vt ſint fuerintque falſiſsimi. Quod non aliunde prouenit, niſi quòd ſicuti medicis ſalutem promittentibus, ſic & ariolis aut Aſtrologis futura prædicentibus vulgò multum eſt authoritatis: ſemper enim dominantibus infeſta, præteritorum obliuioſa, & futurorum ſciendorũ cupida eſt multitudo. Iam verò obſeruatũ eſt inineundis prælijs, multa ea in acie periculosè mutari, quæ domi non fuerant præuiſa & conſiderata. Quod idem & in legatione multis euenit, ſi de quibusdam opportunè moniti, & ab ijs à quibus mittuntur plenè inſtructi non fuerint: educendę enim è portu in altum nauis, ſed non ſemper quò velit dirigendę potis eſt gubernator. Quo magis multa legati commiſeris prudentiæ, ſed & nihilominus expedierit eundem de nonnullis admoneri: nemo enim ſuæ tantùm præfidat prudentiæ, vt nihil habere ſe opus arbitretur hortatore. Quid, quod & legato & principi ipſi eſt vtilius, diſcipulum quàm magiſtrum videri potiùs mandatorum. Cùm enim variè admodum accipi & interpretari ſoleat legatio, & vel bene in ea meritis vix vlla aliquando referatur gratia, an non præſtiterit obſecundare nutui in ea domini, quàm ſuæ neſcio cui hac in parte ſeruire cupiditati? qui enim inſeruit ſummis, imperat haud dubiè alijs: ſubit verò ſæpius iugum, qui appetit dominatum. Itaque inoleuit adeò etiam noua quædam apud nonnullos conſuetudo; vt quæ vel antea legati iudicio permittebatur haberi oratio, nunc habenda exhibeatur ſcripto; vt nec vel tranſuerſum quidem vnguem à præſcripta formula diſcedatur dicendi, & ſiue memoriæ mandetur, ſiue ſcripto recitetur. Non tam enim eloquentię laus legato quærenda, quàm ex ſententia ſui domini omnia ſunt conficienda. Ac multum licèt in diſſerendi vſu atque copia, & in actionis ipſius poſitum ſit dignitate; maluit tamen non nemo vel his aliquando caruiſſe, & principis ſui à quo mittebatur commendationem retuliſſe. Quidam enim contenti ſunt paruo, & vix acquieſcunt alij, vel immenſo. Conſultius tamen mittere eſt legatos his omnibus adiumentis inſtructos, & qui tum dicendi grauitate atque copia, tum excellant pruden-

tia,& ſine vlla vulnerum & ſignorum quæ faciem turpem fœditate, regalem quandam præ ſe ferant maieſtatem. Nam vt ad eadem illa in legato turpia aut vitioſa repetenda recurramus, veteremque Perſarum in eligendis regibus conſuetudinem taceamus,an vt mutilatis naribus principem in Valachia fas non eſt eligere? Sic & in Turcia atq; etiam alibi perridiculum non accidit, intueri legatum, cui vulnus in facie aliquod ſit inflictum, & ipſe aut diſtortus, aut membris appareat mutilatis. Vnde purpuratus ille Turcicus ad legatum Hiſpanienſem: Deerantné tuo domino, inquit, quos ſine vulnere in faciem inflicto ad nos miſiſſet? Tum verò legatus: Non deerat,nait, ſed hoc videlicet vulnus antè non retrò acceptum,noſtræ de vobis ad Naupactum teſtis eſt victoriæ, in qua & tu debebas interfici,niſi aufugiſſes. Atque hæc quidem de adiumentis legati corporis dicta ſufficiant: quæ ſi in magno ſunt fueruntq; ſemper pretio; quantò animi habebuntur gratiora, cùm ſemel ſibi dicendi conceſſa, non temerè abutetur poteſtate; nec ſubitò & ex tempore,ſed meditato potiùs verba faciet, & ijs neminem carpet, inuehetur q; prorſus in neminem; ſed ſi fortè dicendum eſſet liberius aliquid,vitia non homines notabit:vulnera enim cicatrice obducuntur, verba in alicuius famam prolata frequenti memoria recrudeſcunt. Quo fiebat,vt & Pericles ille,in cuius ore Suada ſeſitaſſe dicta eſt, ad dicendum acceſſurus, ne vel verbulum aliquod ei excideret, quo populi aures læderentur diuinitùs precaretur. Lucerna enim & flore ignis opus habet,quod olere debet: cuius quidem lucernæ,tantùm abeſt vt Demoſtenem puduerit, vt adeò illi qui orationem eius olere fortè affirmauerat, dixerit: Bene habet, inquit, tua quidem furtis, mea meis ſeruit lucerna lucubrationibus. Quid enim, cùm in omnibus rebus alijs, tùm verò diligenti ſtudio, non opus ſit in literis, & longa cura, cogitationeque mandatis principis exponendis, adeò vt ſcripta multò antè prius, & ab alijs item lecta ac examinata, quàm ſubita & extemporanea placuerit ſemper magis oratio. Plus quippe oculi, quàm videt oculus, & ſuo vno illo orbatus bonam in perpetuum noctem precatur monoculus. Poſtremò, quod genitoribus liberi, libri hoc nobis ſunt noſtri; vt oculis capiamur ijs amandis, & vita donemur diutius elucubrandis: Vina enim & ſcripta reddit tempus precioſa. Quid? legato,cui in ſumma ſummorum virorum corona verba facienda fuerint,curæ non ſit,vt non tam à pigmentis verborum, quàm à pondere & grauitate ſententiarum laus ſit eloquentiæ? ſi modò eloquentiam dixeris,quæ ad ſalutem hominum & de-

lectationem data, non secus ac plumbea framea ex aurea vagina producta risum moueat circumstantium. Omnes enim eloquentia decet, sed legatos maximè condecorat: cùm vt hominis ornamentum oratio, sic rursus orationis, veluti quoddam illustre theatrum sit legatio. Quæ nisi iustum sibi sumpserit tempus ad meditandum, quomodo, quid, & quo quidque loco, & qua dicat ratione poterit circumspicere, & tractanda re sagaciter discussa, venire tandem ad argumentis rationibusque muniendam? quomodo item inuentam ordinatè distinctèque disponet: dispositam omni ornatu & elegantia verborum vestiet: vestitam actione & pronunciatione cum dignitate prosequetur? Omnia quidem, vt mea fert opinio, minus elaborata hodie aures respuunt: & nec diligentiores quique immensis penè hominum cupiditatibus satisfaciunt dicendo; tantùm verò abest, vt inepta & ridicula quæque in legato laudentur. Quo ipso loco, non possum non recordari magni cuiusdam dicti, Principis Holsaciæ, Danorum Regis fratris, aratoris magis quàm oratoris ad Stephanum Regē ablegati. Qui vt distortus ipse fuerat, sic & legatū quasi aliquod monstrū gestu & oratione ferè habebat. Hic cùm Stephanum Poloniæ regem miris in os decantatis laudibus extulisset, vel illud quoque addidit: Scire ex astris se, quod Ioannes Magnus Moscouiæ Dux, proximo futuro anno regijs armis esset cessurus, & vitam cum imperio amissurus, vtpotè qui hoc & illud cœleste signum in ascendente haberet: & præterea obscurum nemini esset, quo, quando, & quàm periculoso morbo laboraret. Ita ille (si Deo placebat) & legatum, & mathematicum, & medicum, & denique egit stultum coram Rege & Senatu, verbis sine delectu faciundis. Vt enim furiosus educto gladio aërem verberandi, sic logodedalus, cùm verba fundere cœperit, nec rationem incipiendi, nec modum scit desinendi. Quod quàm non ferendum sit, vel ex illo Laconum responso, nescio quorum legatis dato facilè est elicere. Priora, inquit, obliti sumus, media fuêre obscura, & non intelleximus tandem postrema. Auet animus seria potiùs quàm iocosa, grauia quàm leuia audire semper; & breuis ac erudita, quàm longa & inepta satisfacit magis oratio. Anfractu & quasi quadam longa circuitione nec licèt, nec decet vti verborum: nec verò aut precibus misceat minas, aut priuatas publicis res legatus interponat: nec tam in penetralibus ædium minacibus verbis tonandum, quàm cùm ad bellum ventum fuerit, scienter exercitum cum suis ordinibus & vexillis explicandum esse potiùs recordetur. Vt plerumque fit, canes qui vehementiùs

 latrant,

latrant, & hostes qui multum hostilitatis denunciant,habentur viliores. Quin vt eo etiam maiorem authoritatem sortiatur legatio, rarò, & cum dignitate dimittatur; potiusque senibus quàm iuuenibus, indigenis quàm externis semper mandetur: qui enim iuuenem quàm legatum senem magis mihi laudauerit; hic spem quàm rem laudare videbitur potiùs voluisse; quanquam interim virtutis quàm ætatis cursum videre etiam quandoque sit celeriorem. Non enim barba & pallium, sed eximia natura, externum, solum, ac continuum studium, in numerum referunt te sapientum. Veruntamen cùm veteri illo prouerbio, non nisi à seris veniat prudentia annis, consultissimum quidem fuerit, non nisi in magnis magnorum vti consilio, & præsertim senum, qui illud dicere non iniuria posse videantur: Audite iuuenes senem, quem iuuenem senes audierunt: iuuenes enim nondum senes, at hi fuerunt pueri & adolescentes. Iam verò nobiles quàm plebeios, indigenitales quàm externos, idoneos quàm ineptos, rectiùs propterea miseris; ne principes, quibuscum futura tibi est res, ludificari se abs te quodammodo suspicentur. Ita enim pro se quisque magnus, magni vel secus fieri se ab altero putat, prout cùm alijs rebus, tum maximè legationibus obseruatur. Vnde Gallorum regum ingens quondam fertur fuisse odium, quod primogenitos ecclesiæ, & omnium regum antiquissimos se professi, his, similibusque legationibus, quæ minorum gentium fuerant, nunc hos, nunc illos, & vel dicis causa tantum salutabant. Quis enim non ægerrimè tulerit, in tanto nobilium virorum regni vnius numero, in tanta copia lectissimorum senatorum, ad se mitti nunc obscuros, nunc alienigenas, nunc ineptos? Equidem nullum maius inertiæ gentis fuerit argumentum, quàm hominum turbam, in hunc legationum orbem produci nihili, & præstantiores quasi contemni, à quibus & mandata rectiùs exponuntur, & petita obtinentur, & gentes nationesque illustrantur. Dici enim vix potest, quæ, & quanta etiam dum tacet, loquatur ille, ad quem nescio quis regum, durum legationis imponendæ onus nactus, hæc verba principio epistolæ exarauerat: Si stas, iter ingredere, si ingressus es, curre, si curris aduola. Et Pœnorũ ille callidissimus persuadenda à legationis dignitate Romanis pace, hæc aliquando facere verba minimè dubitauit: Vestrum, inquit, vt audio patres, nonnihil etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat negauerunt pacem, Annibal peto pacem. Ex quo ipso intelligi potest, quanto consilio, ratione, delectu & discrimine principibus sit opus ad exteros legationibus dimittendis. Neq; enim mihi pro-

mihi probatur, probabiturque vnquam Pauli IIII. Pont. Max. & eius ſimilium conſuetudo, qui cùm neſcio quem amicorum veterum, in Cardinalium collegium cooptare apud ſe ſecretò ſtatuiſſet, acciuit illum Roma, Neapoli primùm, deinde vt ſacros ſuſciperet ordines ſeriò imperauit: mox longius progreſſus, miſſurum ſe & in Galliam legatum, eſt pollicitus. At ille, cùm ſe imparem vtrique, vt fit, rei reſpondiſſet, Apage cum hac excuſatione, inquit: ecquis duobus, nobis exceptis, nihili eſſe ſciuerit te, niſi ipſe fateare? Sed multò quidem habent ſe iſta ſecus: nam cùm ad rem ventum eſt, non vt veſtium, aut equorum, ingenij atque animi ornamenta mutuo ſemper accipias; & quid in diligentia ac ſtudio vel inde à teneris annis poſitum ſit, ſemperq; fuerit, tecum ipſe ſeriò licèt recognoſcas. Talis autem magna ex parte opinione hominum princeps pro ſe quiſq; fuit, qualis eius nomine legatus publicum illud apud exteros munus rectè vel ſecus obiuit. Nam vt ferè vel à minimis legatorum exordiar vitijs, quot, & quanti legati verba facturi, in primo illo aditu allocutioneque regis obmutuerunt? Quæ res in poſtremo, vt dixi, errorum numerari licèt poſsit aut debeat, tamen non à nemine pro maximo ſæpè eſt æſtimata. Multi enim aut contemni per id ſe duxerunt; aut non omnium rectiſsimè ſibi conſcios, id diuinitus pœnæ ſortitos dixerunt; aut verò neſcio, quid aliud ſiniſtri de ijs ſuſpicari minimè dubitarunt: errorem enim cõmittit vnus, variè hunc varij interpretantur infiniti. Ac vidi ego ſummum quendam, ſummisque de rebus miſſum virum in collegium Cardinalium pòſt cooptatum, cùm clariſsimum regem ex longinqua profectione redeuntem alloqui debuiſſet, nulla de cauſa obmutuiſſe, & nec vnum tantùm verbum proferre potuiſſe. Et vidi Cardinalem alterum, qui vt ſemel & iterum interpellatus fuiſſet, animosè recolligentem ſe, & vſque ad finem ſumma cum libertate vocis & orationis perorantem. Quod neſcio vnde euenerit. Sed vt mihi quidem videtur, duplex eius rei eſt remedium. Primum, vt id nobis etiam amiciſsimis euenire poſſe in animum noſtrum inducamus, ac proinde contra eius rei aut exitus periculum, nos fortiter muniamus. Alterum, ne ad ipſa verba, eorumque contextum prorſus nos alligemus, aut ſi meminerimus, memoriæ ſic ea mandemus, vt nequaquam hàllucinemur. Sed omnium remediorum fuerit illud maximum, ne princeps in legatione vtatur tyrone, ſed homine iam maturo, & diu multumque exercitato: ingloriè enim diſcit, qui faciundis erroribus vult videri didiciſſe. Sæpè ſæpius accidit, vt eiuſmodi legati, muti repentè facti, aut domum vt

edormiant crapulam remittantur, aut non omniũ optimam,quod dixi, habere putentur conſcientiam; vnde poſtea multarum rerum in aula inſimulentur, & aliquando captiui teneantur. Sigiſmundus I. Poloniæ Rex Turcicum legatum, tanta illa Regis & ſenatus, qui verè à ſenibus eſt dictus, maieſtate in ſtuporem quendam adductum, & nec vnum verbum proferentem in hoſpitium remiſit, & vt poſtridiè ad ſe reuerteretur poſtulauit. Maximilianus Cæſar, à expoſita legatione modicis temporis ſpatijs Stephanũ Bathoreũ, pòſt Regem Poloniȩ creatũ, captiuũ fecit, quòd pacificationis loco, cuius tractãdæ cauſa ille fortè à Principe Tranſyluaniæ venerat, res ad arma interim recidiſſet. Quod quidem ſui æmuli Gaſpari Bekeſchij arte, magni illius & ingenioſi in Tranſyluaniæ Satrapæ dicebat Bathoreus eueniſſe. Multi enim creantur legati, ligati vt videantur. Nam cùm nihil magis variam & multiplicem quàm legatio in ſe recipiat interpretationem, conſiderandum eſt, quo modo, & animo illa nobis demandetur. Harum rerum artificio Catharina Medicia Regina Franciæ, præcipitem in aula dedit non neminem: ac inprimis memorabile illud eſt, quod Bellegardio Marſallo, & Pibrachio, regij Sacratioris conſilij conſiliario, ea authore dicitur eueniſſe. Occupare illa filios omnes, totumque eorum diſcupiebat ſemper dominatum. Quare, ſi qui fortè reperiebantur, qui primum gratiæ apud eos locum aſſecuti dicerentur, hos eueſtigio curabat aliò ablegari: & aut ductandorum exercituum, aut legationum munera ijs mandabat. Erant autem in alijs Henrico Regi, cùm ex Polonia reuertiſſet Bellegardus & Pibrachius chariſsimi, hic quidem pacis, belli ille artibus ſatis inſignis. Quem cum Liuronium oppugnatum miſiſſet, ſubtraxit ei ante bello gerendo neceſſaria; vt hominem nihili, & bello adminiſtrando minus aptum, quod & effecit, vulgo oſtendiſſet. Mox ad Pibrachium conuerſa, & hunc in legatione ad Regni Poloniæ Ordines voluit mitti; ſed ita vt in finibus Germaniæ & Lotaringiæ excuteretur, irritaq; prorſus omnis illa fieret ipſius profectio, qua & Polonicas res, ex intricatis intricatiſsimas fecit, & tum publica, tum & priuata nonnullorum negotia impediuit. Sic nimirum ludunt rebus, vel in rebus ij, qui plus aliquid alijs habent in aula poteſtatis. Quàm rectè illi viderint, ego, & principum artes, & inferiorum partes, cum ea quȩ eruditionis & prudentiæ ſit differentia, tacitus mecum ipſe recognoui. Pulchrum quidem eſt, ſequi & aſſequi munera; ſed tutiſsimum caruiſſe. Ac quemadmodum pro argillæ gleba nihil prorſus datur, vas verò ex ea confectum ſuo pretio æſtimatur; ſic ſine vſu

& tracta-

& tractatione rerum habet se doctrina, parum aut nihil valitura: asini enim libris cooperti,& docti inepti,quid à se distabunt? Quocirca, si qui fortè legati minus intelligentes & experientes fuerint rerum, & aut in itinere tardauerint, aut alias quasque occupationes ineptas habuerint,ineptiúe ipsi sint,non omninò videantur tutò in legatione dimittendi: præstat enim domi retinere inertem, quàm ipsius indignitatis habere non neminem foris spectatorem. Paruo enim momento huc atque illuc impelluntur, sententiam facilè mutant, nec interrogati cum dignitate eam explicant, nec imperare sibi familiæque suæ sciunt, & debita facile contrahunt, quæ denique multis mensibus sufficere potuissent, paucis abliguriunt. Iam quas nec ipsi quidem habent, in alijs virtutes desiderant: aliorum studia & mores carpunt:in alienam vitam inquirunt, & assimulatæ cuiusdam probitatis specie, non tam esse boni, quàm videri volunt; & nec tamen vel aliquando sibi, vel alijs, hoc nomine satisfaciunt. Vt enim muli ex equo & asina conflati; sic nunc boni nunc peruersi neutrum dicuntur. Qui si sapiunt (sapere autem alieno, quàm suo damno potiùs debent) munera publica & legationes per se ipsi refugiant: quid sibi desit videant, suos quàm alienos næuos potiùs introspiciant: & si cum perfectis semper viuere volunt, quærant sibi vrbem sponte sua, Non vinclo,nec legibus æquam, vt ait Poëta. Nam aliud est in Liceo Platonis, & aliud in fece Romuli viuere: & aliud in ore,aliud in pectore gerere bonitatem. Principes etiam ipsi, non tam ambientibus, quàm refugientibus munera publica & legationes mandent:quatenus progredi vel regredi in ijs debeant,præscribant: simias,quò altius ascẽderint,pudenda magis ostentare sua moneant:nihil gratiæ & fauori, omnia virtuti & industriæ tribuant: dandis legato mandatis, quoäd eius fieri paucioribus potest,se concredant,& humani ingenij morem esse perpetuò licitari, & iniqua interdum petere, vt æqua obtineantur,recordentur. Multas denique tendi insidias multis, sed inprimis publica negotia tractantibus atque legatis. Vnde videmus quosdam & maximè barbaros principes, cùm externi legati in eorum sententiam non statim descendere voluissent, mandatis eorum scriptis ostensis, facere imperata coëgisse, & vel hoc ipso nomine, legatorum quas vocant instructionibus disquirendis, quàm curiosissimi fuerint, non obscurè ostendisse. Fecit id huius nominis alter, & tertius Turcarum dominus Baiazetes Venetis: fecit & olim Galeacius Dux Mediolani Florentinis: fecerunt alij alijs: quàm rectè non disputo, sed tantùm ipsum factum profero in

apertum. Valdè quippè ſunt ſolliciti principes ſciendis penitius omnibus mandatis legatorum. Itaque & Maximilianus Cæſar, admirabili princeps ingenio, ſecretam inſtructionem, quam Regni Poloniæ proceres, ad Stephanum Regem, legatis in Tranſyluaniam dederant ſuis, magno ſtudio quæſitam habuit, & nobis Ratiſponæ oſtendit. Quo magis legationem expedit eſſe ſecretiſsimam, & habere mandata, quæ contineant obſcuritatis modicũ, & quàm minimum amphibologiarum: vt enim myſticè vel amphibologicè loqui, videatur neſcio cuius ſapientiæ; tamen regius quidam candor præſtat artificijs omnibus ſimulandi & diſsimulandi, vt ille neſcio quis, qui neſciret ſimulare, neſcire eum & regnare, dixerit Imperator. Sed multum ſimulare & diſsimulare differunt, ac primum quidem malitiæ, poſterius fuerit neceſsitatis. Vnum verò maximè indubitatum illud eſt, eum qui ambularet ſimpliciter, ambulare & confidenter. Eſt quidem aliquid eſſe tectum, ſed multò plus rectum ſuis in conſilijs, cùm malè ſibi conſcij oculos deijciant, & latera vulneribus aperiant, recta verò conſcientia muri inſtar habeatur. Intereſt autem & legati, & principis, ea quæ ſemel data fuerint mandata, habere perpetua rata; ne ſi fortè immutata fuerint, in ea pericula legatus incurrat, quæ antè monuimus, ſiue id legati culpa, ſiue principis acciderit voluntate. Ac nec quidem eſt regium, vna manu oſtentare panem, & altera ingerere velle ſcorpionem. Et plerumque vſu venit, vt qui verborum aucupijs, aut literarum tendiculis alios circumueniunt, poſteaquam ad apertum venitur bellum, cadant eorundem armis, & publico riſu exagitentur. Non vult Deus, eos qui impiè & fallaciter agunt, diu ſucceſſibus augeri. Nec verò & ego ſoleo inſultare cuiuſquam vulneribus, nec præceps eſſe æſtimandis aliarum gentium nationumque moribus, quos ſcio variè varios interpretari, & nihil non eſſe plenum in vtramque partem exemplorum; ſed vt tamen ad ſupremum illud offenſum numen, reuocentur omnia, quis non legit, quæ fuerit Græcorum aut Græca cum Latinis fides, & quæ nunc ſit etiam Moſcouitarum. De quibus nihilominus ſępius triumphauit, non nemo barbarorum. Et non temerè id quidem. Nam vbi plurimũ caliditatis, ibi minimum ſæpè eſt felicitatis. Quo loco multa equidẽ poſſem afferre, quę de huius gentis verſutia etiam citra vllam ſuſpicionem falſi producerentur. Sed vnum illud ſufficiat, quando Ioannis Magni Moſcouię Ducis legati, in tractatione ad Zapolſciũ cum rege Stephano pacis, legatos regios, quibuſdam arcibus quas in Liuonia ſemel conceſſerant, ante ipſum edendum iuſiurandum,

ſuppoſito falſo diplomate, fraudare viſi ſunt voluiſſe: ſunt enim multa fraudationũ genera memorabilia, at in publica tractatione inter reges pacis, memorabiliſsima. Verùm alteri loco & tempori hæc reſeruetur potiùs narratio. Vnum autem illud hæreat memoria, quæ iuſtitiæ contraria, ea nec futura quidem felicia: & Anglos tractanda pace imprudentiores, Gallis armis ſuperiores ſe profiteri, quod olim idem de Crucigeris & maioribus noſtris vùlgò ſermonibus vſurpabatur. Sed non ſemper vt apparet facilia nodoſa, & clara turbida expedit reddidiſſe: recto enim propoſito fine, vt conſilium defuerit, numen pro ſe cuique bono aderit diuinitatis. Quare (quod Apollo Pythius) monuit, quodq; ego paulò antè obſeruãdum cenſui, legatus cognoſcat ſemet ipſum; & tam petenda, quàm aſſumenda legatione, quid iuris iuſtitiæué fuerit, & quid tam per ſe præſtare poſsit, quàm aliunde ſubſidij expectare debeat, ipſe ſecum maturè recognoſcat. Vaſtæ cogitationes ſunt noſtræ, & quò minus aliquis ſapit, eò opinione ſapientiæ ditare ſe magis cõſueuit. Cui morbo occurrendũ ſanè eſt tum ſcienter, tum verò etiã ſtudioſè: multos enim vinũ in prælia inermes, & ineptos ambitio in legationes protruſit inſipientes. At verò cùm ad tractandas venitur res, tuis te pedibus oportet ſuſtineas; & quod antè nõ didiciſti fortè priuatus, ęgrè diſcas factus legatus. Vt enim conſiliũ tibi aliqui dederint, hic rurſus conſultore opus, quod & quale conſilium fuerit amplectendum: non minus enim errat, qui nullo conſilio facit aliquid malè, quàm qui peruerſo vtitur conſultore. Quem ad cognoſcendũ, non ſemihorę ſpatio, ſed multo quòd cũ eo comẽdas indigebis ſale, & in conſeſſu regũ, non vna aut altera occaſione & cauſa verbis (vt fit) faciũdis: auget enim animum publicum & frequens theatrũ, & ardor ille dicẽdi, teſte ipſo M. Tullio, anguſto debilitatur loco. Qui deniq; non moueat riſum, interruptis vocibus, & veluti cum quadam titubatione & hæſitantia habita oratio. Qualem cùm neſcio quis in purpuratorum apud Turcas conſeſſu fortè habuiſſet, & interpretari alter verba ipſius debuiſſet, curſim omnia ea, quæ legatus dixerat expoſuit, & quodammodo legato ipſo orationem viſus eſt habuiſſe pulchriorem. Tum verò purpuratorum quendam ridere, & Deos homineſque cœpiſſe teſtari; nunquam ſe qui magis legato abuteretur vidiſſe tempore, & qui adeò ſeruo vteretur ipſo ſe prudentiore. Et niſi me animus fallit, haud ita iniuria: Semper enim non quàm multa, ſed quàm multum quis dixerit ſpectatur: nec quàm nobili, ſed quàm idoneo legatio demandetur. Humilitas enim generis, neq; offenſio adimit ſcientiã popularis. Sed nimirùm, cùm

rùm, cùm ad præclarũ ipſum genus, maiorumq́; imagines, acceſſerit eruditio, næ haud legatus & legatio facilè exoleſcit. Habet enim non obſcurum obſcuritas generis deſpicatum, cùm, vt antè dixi, & principes ipſi deſpicatui ſe haberi putant, cùm aut obſcuri, aut externi, aut patre notato, vel notati ipſi ad eos legati dimittuntur. Etenim, ſi diuinus ille & morum magiſter Plato, notato patre filios, ad Rempub. non cenſuit admittendos; quî publicas legationes obierint ij, qui alicuius criminis notati ipſi ſunt vel fuerunt, niſi fortè flexu ætatis commiſſum aliquid ſit, quod firmata ſtirpe virtutis, egregiæ compenſatum videatur? Tum quidem tantum abeſſet, vt recordari ea debeant, vt quaſi quædam etiam teſtimonia virtutis ſint refulgentis. Raro enim ſunt viſi, qui vberes ingenij edituri fruges, vitiorũ prius ſemina non aliqua iecerint, quod nihil minus quàm vituperio eis vertebatur. Melior quippè culpata eſt virtus, quàm torpore quodam languẽs continuo innocentia. Quid quod nec ęquum aliâs fuerit, exprobrare ea vitia mortali, quę credibile eſt in obliuionẽ veniſſe Deo ipſi immortali. Laurus vel media hyeme viret, & virtutis ingeniјq́; fama etiãſi vel aliquos habueris nęuos nũquam areſcit. Sed age progrediamur, & certiſsimũ quidem eſto, nec obſcuros, neq; ſceleribus infames, neq; ab infamibus legatos venire oportere. Verùm adhuc illud certius, dimittendis illis parẽ imò maiorem ſemper habendam eſſe rationẽ virtutis, quàm generis, probitatis quàm nobilitatis; & ſi adeò proficiſcãtur plures, animi & conſilij ſpectetur potiſsimùm in ijs magnitudo. Paruo nãq; eſt vſui, nautę naſci & appellari filios, ſi demùm illos omnes videas remiges non naucleros: & ſicuti ſurdo ſoni, cœco perſpicilli, aratrum nauiganti, clauus nauticus ambulanti; ſic nobilitas quæ virtute caret, thraſoni fuerit non nemini. Nõ etenim aliena dicas tua, quorũ ipſe oſtendere non poſsis te authorẽ. Hinc poſtea & inter collegas legationis vnius, morum & animorũ naſcitur diſsimilitudo; cùm hi maiorum imaginibus tument, & alios præ ſe aſpernantur, & rurſus illi contemnunt contemnentem. Quæ omnia apud exteros præſertim & citò notantur, & ſubitò vulgantur, & rebus eorum principis dignitatiq́ue aduerſantur: quidquid enim legati intriuerint, id exedendum eſt eos mittenti. Dixit mihi aliquando Cromerus, vir non quidem genere, ſed doctrina & eruditione clariſsimus, cùm apud Ferdinandum, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæq́ue Regem, cum perilluſtri quodam procere Sigiſmundi Auguſti Poloniæ regis fuiſſet legatus, ſic ante regem in ſcamno, quod capiebat duos, collegam ſediſſe, vt ille excludi

non ob-

non obſcure videretur. Tum Ferdinandum dixiſſe: Sedeat inquit vterque, cùm & in legatione vterque contineatur: quod non eueniſſet, ſi inter ſe legati ipſi differentiam non quærerent,& quadam veluti riualitate animo opinioneq́ue non variarent: perſuaſio enim de ſeipſo magna, alterius contemnendi fax eſt certa. Quo etiam reſtringendum ſemper quàm augendum dicerem numerum legatorum,& vix ipſum ternarium excedendum, ipſis mittendis. Fit enim,vt cùm plures pluribus ſtipati comitibus veniũt,bellandi cauſa veniſſe pauci,tractandorum negotiorum ergò legationis comitatũ dicantur exceſsiſſe: non tam enim numerus aut comitatus, quàm ipſum pondus & concordia mutua legatorum ſpectatur: quæ ſi omninò deſideretur (deſideratur autem in pluribus ſæpiſsimè) ſtatim omnes laborant infamia leuitatis. Factiones enim inter ſe excitant & alunt, & varijs ac multiplicibus nunc harum nunc illarum rerum narrationibus principi cauſam & occaſionem præbent de eorum fide, aut ſaltem prudentia dubitandi. Non temerè igitur veteres, aut inter diſceſſuros legatos concordiam faciebant, aut verò vltrò ipſi per ſe legati peregrè profecturi inimicitias deponebant. Pulchrũ eſt Græcorum illud: Relinquamus his in mõtibus inquit inimicitias inter nos veteres; reſumemus ſi placuerit cum à legatione reuertemur. Qui enim amicitia cum alijs alicui ſit fida, ſi nulla cum collega fuerit? aut quis bonum teſtimonium ei dederit, cui itineris comes negauerit? Et tamen hoc vitio cùm inter alios, tum inter chriſtianorum principum legatos, maximè laboratur, quibus Chriſtus Opt. Max. ſui amoris ſymbolum concordiam dedit, & non adumbrata,ſed expreſſa veſtigia reliquit lenitatis. Quod non aliunde prouenit, quàm ab animi quodam tumore & impotentia, & quòd nonnulli partim debitorum quæ ſoluenda eſſent, niſi legatio obſtaret gratia; partim compendij alicuius, & vt ſemper quod prætendant habeant cauſa, ambiunt temerè legationes;& eorum ſibi comparant ad eam rem patrocinia, à quibus principũ dignitatis ergò deberent potiùs remoueri. Quo magis ipſi principes viderint, quibus faciem ſuam ad exteros permiſerint deportandã:& ſi non præſtiterit, cõciliare inter ſe & domi retinere profecturos, quàm demùm audire digladiari à ſe miſſos fatuos vel ambitioſos. Sumptibus quidẽ legati prouidẽdi ſunt neceſſarijs, ne in medio veluti quodam rerũ curſu gradum ſiſtant,& cum vel à portu parũ abfuerint, contrarijs ventis ſubitò trahantur. Difficile dictu eſt, quãtus hoſtis paupertas ſit fueritq́; ſemper virtutis, & quàm Reipub. inſigni detrimẽto nauis & induſtrijs viris, eius fa-

 cultates

cultates denegãtur. Eorum autem loco augentur ij,qui poterãt,& haud ſcio an debebant,facultatibus caruiſſe:tantum enim abeſt,vt ijs ſint vſui,aut decori alicui,vt quaſi quędã etiam inſtrumenta libidinũ videantur,quibus apud exteros abutentes, & nõ iniuria dicti ventoſi, paſsim proculdubiò irridẽtur.Quod ne fiat, ſenes & maturos, vt antè etiã monui, in legationibus mittere præſtiterit, in quibus multa ſemper dies leniuit,ætas mitigauit; & quos experiundo cõtempſiſſe,ſatietate abieciſſe,quędã etiam pręter opinionem aliquando deprehendas; ſed ita, vt & hi nullum vſquam relinquant veſtigium auaritiæ, & cupiditatis ſuæ: ſenectus enim affert ſecum moroſitatem, & habendi ſitim. Quæ cùm omnibus fuerit turpis, tum legato turpiſsima: munera enim legati accipere poſſunt; ſed qui quæſtus gratia legationes obeunt,his principes nihil debebũt. Sunt enim quædam gratuitæ, & quæſtus gratia aliæ ſuſceptæ legationes.Hæ nullum,illę habent duplex beneficium:vnũ à lege,alterum ab homine. Vnũ ergo illud tam fœdum auaritiæ vitium,quàm longiſsimè abſit à legato eiusque animo, qui maior ferè habetur imperatore ipſo. Etenim hic multa officia,quorum ipſe imperitus eſt opera aliorum adminiſtrat vicaria: legatum verò propria non aliena,vera non fucata ornamenta commendant. Vnde etiam bellatorum neſcio quis ille, vnius ſui legati ore quàm maxima quaq; militum cohorte, arces cepiſſe ſe plures gloriabatur. Quo etiam legati ipſius functio, & amatur vehementius, & colitur numinis inſtar impenſius, & illuſtris ac magnifica ſemper habetur. Quis enim eò ſit charior, qui arma verbis dirimit, gentes & nationes in hoſtes conſociat, aduerſarios voce opprimit, ſocios perpetuò otio atque quiete lætari facit, cùm omnium non dicam laude ſed plane etiam admiratione? quis illo ſanctior, qui Chriſti & Apoſtolorum, & ipſius deniq; anunciantis refert perſonam Gabrielis? & non tam armis aut ſatellitibus ſeptus, quàm iure gentium vallatus, quo, & quando,& quomodo vult ſemper peruadit? quis deniq; legato habeatur illuſtrior,qui tot honorificẽtiſsimis legationibus cũ dignitate obitis,tot regijs viſis, tot colloquijs & reſponſionibus regũ auditis,quàm vllis lauri folijs citò areſcentibus rectius gloriatur? Quo nomine,cum multi noſtra ætate alij, tum nimirum Cardinalis Moronus, neſcio quid pluſculum laudis ſibi tribui modeſtè licèt cupiebat: nam Pardi inſtar, qui vt tertio aſſultu feram capere, ſic & ille negotia conficere conſueuiſſe vulgò dicebatur; cùm reuera prudenti legato, nihil ſit maius, nec magis neceſſarium, neque adeò commendabile hominum memoriæ ſempiternæ.

Ac memoria inprimis fuerit dignissimum, quod de Ludouico nescio quo Galliarum rege vulgò circumfertur, qui cùm per legatum suum hominem industrium, Caroli Burgundię Ducis animum, à se nonnihil abalienatum, & spe cuiusdam ab eo defectionis subiectorum belli cupidum fortè cognouisset, certa quadam vti arte, & per eundem illum legatum de omnibus pacatè cum eo voluit transegisse: præstat enim legatione, quàm armis omnia terminari. Hoc facto ad suos conuersus, nunc hos capitali affecit supplicio, nunc illos in exilium egit, nunc alios graui ære mulctauit; Quod non fecisset, si & prudentem legatum, & minimè præcipitem ad vindictam animum non habuisset: non enim nisi lento & bene firmato pede rebellionem aggrediare castigãdam: & tantum quidem in mittendis ad exteros nuncijs positum est discriminis; vt pax & bellum, felicitas & infelicitas, contemptus & maiestas principis inde haud dubiè proficisci videatur. Sed meminerimus non omnes peræquè esse qui videri cupiunt, & alios opinione vulgi, alios incorruptè iudicantium iudicio censeri sapientes, aliam denique verbosam, aliam rerum omnium dominam esse sapientiam. Quam vt hic perfectè non discamus, proximè quidem ad eius perfectionem accedere conniti debemus, & opinionem semel de nobis excitatam virtute & constantia tueamur: neque perperam & malitiosè facta, latere diu posse, aut ex latebra impunitatem sperare nos debere arbitremur. Pulchrè enim alicubi Sophocles:

Nihil occulto quando cuncta tuens,
Et cuncta audiens, omnia reuelabit dies.

Quo etiã magis turpia quęq; & ignominiosa mandata studiosissimè sunt vitanda, & tam occulta omnia, quàm quæ in aliorum vergunt exitium, nobis non inuitis, nec inuidentibus cuiuis potiùs quàm nobis mandentur. Habent enim nescio quam speciem proditionis quęcunq; aguntur simulatè: non enim illi solùm, qui scelere & maleficio pascuntur, sed qui adeò etiam in aliorum necem cõsilium præstant, habentur interfectores. Vnde vt varia legationum & mandatorum sunt genera; sic maximè desideranda sunt magis pacata & tranquilla, ne aut malitiosi, aut ingrati, aut etiam leues & temerarij habeamur. Quis enim legatorum futurus est gratus, quem mandata fecerint odiosum? & quem paulò curiosius in Repub. versantem, non reddiderint tandem suspectum, præsertim tot sectis tam inter se dissectis, & non tantùm animis, verùmetiam castris regibus inter se dissidentibus, quorum aliqui ideo se, legatosque suos, maiorem authoritatem habere putant, quòd superi-

 ores non

ores non agnoſcant,quaſi & Deo Opt. Max. non liceat rebellaſſe, quod tantùm abeſt,vt probari debeat, vt quò grauiori animaduerſione dignius ſit,tēpori & occaſioni eò magis reſeruetur. Nō enim impunitas authoramentū errorum, nec cōſpiratio bonis nocuerit improborū.Sed relinquamus querelas, ac vnū illud ſequamur,& vtinā quidem aſſequamur omnes,vt ſicuti capitis vnius mēbra Chriſti, ita & doctrinę conſenſione vnū in ipſo ſimus,& non tam otioſis ſyllogiſmis dogmata, quàm fortibus factis imperium proferendum iudicemus, Legatis, qui & maiorū noſtrorum ſuus honos cōſtaret, & eorum authoritate, quibus olim paruerunt omnes, ſarta tectaq; cōſeruata,haud ſcio ſi quis ita fidenter alienis etiā inhiaret;ſed vnius contemptus,generat alterius deſpicatum. Quanquam & Maximiliani Primi Cæſaris tempore, iam illud etiam moris fuerat, exteros legatos longius ab aula tenuiſſe, & non facile aditum ad eos patuiſſe. Quod & Comineus in Hiſpanijs ſub Ferdinando Catholico rege accidiſſe ſibi teſtificatur.Vix enim alia aliqua re explorator ab oratore,quàm vna illa differt impunitate.Qui tantò etiam in ſuſpicionē citius incurrit,quantò non modò regionis,ſed illius etiā apud quos verſabitur,expers erit religionis:,inter enim alia multa vincula,hominū animi,à qua & dicitur maximè religione religantur. Neq; tamē in omnes alios legatos fraudis, & iniuriæ ſubitò cadat ſuſpicio, neque vita & dogmatibus legati inquirendis opus eſt properato. Multi non tam iudicio, quàm errore & contagione quadam ſeculi,eò vt diuerſum à nobis ſentiant delati ſunt:& multi non tam voluntate, quàm neceſsitate quadam ſuperiorum iuſſu in curioſitatis ſuſpicionem tandem venerunt, cùm ea diſquirerent, quæ non videbantur debuiſſe. Sed & natura ingenita nobis cupiditas eſt quædam, noui ſemper aliquid ſciendi & ſciſcitandi: & vt hominis finis non ſit ſcientia, ſine tamen ea, in cognitionem rei creatæ & creatoris venire factu eſt incredibile, quæ nimirum ſumma nec ſcio, an vna appellatur ſapientia, quam non humanitus datam, ſed cælitus fuſam antiqui putauerunt. Sed ſicuti quidem in omnibus rebus, quæ laudari debent ars occultanda, ſic & hæc curioſitas, comitate, affabilitate, & omni generis erga indigenitales officio, neceſſariò eſt tegenda & regenda. Malū enim eſt in ſuſpicionē venire curioſi, ſed multo adhuc deterius ſortiri nomen pariter & moroſi:ægrè enim vbiq; tumidos,ſed domi nimirùm noſtrę omnium ægerrimè tolleramus. Quamobrem ſit illius dicti legatus vel inprimis memor, tales nos debere eſſe in inferiores, quales vellemus erga nos inuenire ſuperiores. Arroganter compellandi,ſcommata in

mata in aliquem iaciendi, temerè res aliorum æstimandi, & nunc huius nunc illius ferendi de hominibus iudicij, absit à legato quàm longissimè consuetudo. Accidit nescio in qua aula, quòd legatorum dictum est non nemini: Dominus inquit legatus perpetuò malè; ego contrà loquor de illo benè: viderit, ne nostrum alteruter mentiatur. Sed & sibi quàm alteri magis nocet, qui absenti obtrectatur: vulgo enim ostentat animi sui impotentiam, & minorem se illo cui fortè inuidet testificatur. Deniq; obseruatum est, quod quando aliquis creatum periculum alteri voluit, quod bonus voluerit nemo; creditum est magis rem quasi aliam agenti, quàm ex instituto accusanti. Memorabile est Prosperi illius Columnæ exemplum, qui cum Ferdinando Consaluo, susceptis paruis quibusdam offensionibus, in Hispanias nauigasset, cumque ab Isabella Ferdinandi Catholici Hispaniarum Regis coniuge, de eo, deque rebus ab eo gestis interrogaretur, quo loco Neapoli esset, & quomodo in vulgus eius actiones probarentur: Perbellè, ac vnum illud deesse illi diadema acutè respondit. Quæ demum responsio causa fuit, quæ ab hinc centum annis ex Hispanijs Neapolim profectionis extitit Ferdinandi, qua Consalui administratio & authoritas fuit paulò diminuta: semper enim suspecta regnantibus procerum est virtus & amplitudo; quanquam viderint, ne dum suspicionibus indulgent, erga bene meritos ingrati habeantur: sed ad curriculum reuertamur. Legatis quidem illud vel potissimùm curæ sit, vt quæ nocere grauius eis possint, omni ratione fugiant, amplectantur quibus iuuantur: Vnde & raro quod dixi conuiuari, non indulgere aleæ, non commessationibus, non alijs id genus voluptatibus multum dare temporis, legati expediet dignitati. Nec verò & primos illos in mensa petere accubitus, non interrumpere aliorum in sermone exorsus, in suo non habere morsus; sed & considerate, & paulatim, & pauca loqui, quod sæpè dictũ est, summæ prudentiæ iudicatur. Etenim vel ex minimis de summis aliquando capitur coniectura. Itaq; vt vel ad minutiora etiam descendamus, raro nisi prorsus habuerit neminem domi suæ, loco se posuerit legatus primo, ac nec secundo; sed præferat sibi pares, præmittat superiores, ac nec eo vsque inferiores demittat; vt cùm mensæ suæ hospites adhibuerit, conturbatos quàm recreatos potius dimisisse, & sibi non alijs honorem & authoritatem ijs quæsiisse videatur. Vt enim musici leui cordarum tactu, quàm graui aliquo pulsu, demulcent magis aures; sic ciuili ratione cùm comiter aliquem excipimus, placideque & suauiter tractamus, quàm con-

tractione

tractione aliqua frontis,& ſupercilio graui, omnium nobis concili-amus magis voluntates. Et habet quidem vnuſquiſque in ſe legatus naturas, vt ita dicam, duas: Propriam ſiue naturalem vnam: Principis quæ illi eſt impoſita alteram. Quapropter,ſicuti quidem in Comędijs aut Tragœdijs, qui aut Cæſarem aut Pompeiũ repręſentant, eorum videri quàm ſimillimi cupiunt, finita autem ſcæna, relictaque chlamide ad geſtus & veſtitus proprios reuertuntur: ſic quidem & legatos in publicis theatris aut congreſsibus, ſui principis cuius perſonam referunt par fuerit meminiſſe; ſed reuerti haud ita grauatim ad ſuam in conuictu familiari.Eſt enim publicum cum priuato decoro ita miſcendum; vt & ſupra conditionem noſtram nunquam nos efferamus, nec nimium demittentes, grauitatis noſtræ & principis à quo miſsi ſumus dignitatis, penitus obliuiſcamur. Alterum quidem aggreſtium,alterum ſuperborum nomen & inuidiam facile nobis conflabit: & ſi aliquibus admirationi, pluribus erimus contemptui: noui quippè mores & numiſmata reſpuuntur, & differt vnius gentis ab altera natura, & nunc huius nunc illius aulæ conſuetudo. Nam vt illud etiam denuo ipſum quod paulò antè attigeram,breuiter ſuccincteque commemorem; & quisquam dubitabit, quod quibusdam in regnis capiundi pro ſe cuique loci facultas in menſa datur, alibi verò non niſi arbitratu hoſpitis hoſpes collocatur. Quid igitur? An & hoc ei, qui in aulam legatus venit, ſcitu non fuerit neceſſarium, tum vt alios apud ſe diſcubituros collocare ſciat, aut eorum voluntati & iudicio id permittat, tum verò vt & ipſe locum ſibi eligat, perſonæ & dignitati ſuæ congruentem. Minuta hæc ſunt fateor,ſed turpiùs eſt ignoraſſe illa, quàm diſcere noluiſſe. Vnum autem quod toties dixi, quodque ipſe gentium Doctor alicubi monet, Piè, caſtè, ſobrièque viuere, in legationibus ſciamus, & alios ad exhaurienda pocula non tãtopere vrgeamus. Enimuerò neſcias, cùm aliquando potũ volueris effutire vim apud te omnem quã habet ſecretorum, quod tu ipſe in eandem illam, quam alteri ſtruxeris foueam,facilè etiam illaberis.Vna illa ebrietas omnis licentiæ eſt mater,& infida cuſtos taciturnitatis.Quid quod & refugiunt talẽ legatum homines,vt cõtra ſobrietatis,& taciturnitatis fama inuitãtur ad eũ quàmplurimi, & legatusquod non ſcit hodie ab vno,reſciſcit poſtridiè ab altero, atq; item tertio humanitate & taciturnitate noſtra victis, & quodammodo in legati ſententiam & familiaritatem ſenſim perductis: compedes enim inijcit, qui credenti ſe alicui fidem ſeruauerit: & qui maior exiſtens, facit ſibi inferiorem, vel nonnunquam cum grauitate pa-

uitate parem. Omnes enim ferè homines contrarium licèt præſeferant, æſtimant ſe magno, & æſtimari cupiunt, præſertim ab æſtimato. Ac vt nihil magis ſit lubricum & incertum, quàm verborum pompa, & externa iſta denunciatio voluntatis; tamen mirum eſt, quot & quanti his rebus etiam capiantur. Non ſit tamen taciturnitatis quærenda laude legatus, ligatus celare aliorum crimina, in principem aut ſuum, aut eum apud quē verſabitur commiſſa, ſi prçcipuè ea de re fuerit requiſitus. Quo minus & facilis alijs, præſertim quos aut non diu, aut minus probè nouit regibus commendandis. Nam prçter quòd ſuos ſibi ab exteris cōmendari çgrè ferunt reges, nō multū in receſſu gloriæ & emolumenti ſubita aliqua habet cōmendatio, cùm quos cōmendauerimus, cōmendationi non reſpondentibus, cū quodā veluti rubore quotidie in aula intuemur, & aliquādo imponimus nobis neceſsitatē pro ſceleribus, ſi quç fortè eorū inciderint, reſpōdendi. Et quoniam memoria plerūq; eſt labilis, cōſignet quotidiè legatus literis, quæ vel ipſe loquitur, vel audit ab alijs, notatu præſertim digniora. Fuerunt vſui multa, quæ delituerūt in ſcrinio diu ſecreta. Sed hac in parte & princeps & legatus ipſius ſint cautiſsimi, nec illa temerè velint literis cōmittere, quæ aliquādo poſſent vulgari. Etenim ſicuti nulla alia magis re, quàm epiſtolis cōmunicantur plurima, ita volunt & debent eſſe ſecretiſsimæ illæ, ne in manus aliorum deuolutç damnum, aut ignominiā pariant nobis ſempiternam: omnia enim ſecreta anxiè quæruntur, & occulta inueniūtur. Seuerus olim Imperator Clodio Albinio occiſo, ſtatim inquiri ipſius literas iuſsit, & quç ad alios ſcripſerat, & quæ reſponſa habuerat, tandem inuenit, quo erat factum, vt multi hoſtes patriç à ſenatu pronunciarentur. Cuius rei vt occurrere quidam potuiſſent, tabellis ligneis, ſcriptura deſuper cera obducta, hoſtium conſilia ſuis prodiderunt: & aliqui loris circa baculum complicatis, quæ ſciebant ſecreta perſcripſerunt: alij è caſtris & munitionibus bullas plumbeas, certis notis conſignatas è funda miſerunt, & denique etiam nonnulli literas ſagittis interpoſitas, ſunt eiaculati. Vt epiſtolas quæ lacte, aut ſucco cæpis ſcribi poſſunt, non commemorem, quarum characteres ad ignem admoti exeunt, & in apertum veluti ex nihilo proferuntur: & vt literarum notas, quas vulgò vocant ignotas, taceam, quibus ſecretiſsima quæque inter ſe communicantur. Quæ omnia ad legati & legationis munus pertinent, ſcienter & cum dignitate obeundum: quo haud ſcio ſi quid fuerit illuſtrius, vtpotè cùm vna illa rectè obita legatione, legatus paſsim & vbique laudetur, ſuorum & hoſtium in ore verſetur, præſens &

absens, viuens & moriens commendetur; maximè si non tantùm ea, quæ propriè ad legationem, & tam negata quàm obtenta postulata spectant, sed etiam quæ ad regem regnumque, siue prouinciam in qua fuerat pertinent, fideliter explicabit: vt enim singulis ferè decennijs ea mutētur, & perpetuò floreat nihil, tamen his cognoscendis homines imprimis delectantur, & haud scio an iuuātur. Cuius rei vt maiorem lucem legatus exponendæ & obeundę legationis habeat, breuem quandā seu formam & lineamenta quasi extrema annotabo. Primū quidem legatus describet sitū illius in quo fuerat regni aut prouincię, & tā antiquas, quàm recentiores appellationes regionum, vrbium, & oppidorū apponet. Deinde habebit semper ad manum aliorū quoq; tam veteres quàm posteriores descriptiones, quibus collatis, de vnaquaq; re facilius eliciat veritatē, nimirùm quæ sit illius regni siue prouinciæ eleuatio poli, quæ orientis & obeūtis solis, quæ Austri & Aquilonis partes, quæ longitudo atq; latitudo, quæ circūferentia, quot porrò minores alias prouincias seu municipia, quot Archiepiscopatus & episcopatus, quot nauigabilia flumina, quot excelsos & superatu difficiles mōtes, quot munitiones, & quę adhuc extrui possent sortiatur. Demùm veniet ad eiusdē regni siue prouinciæ vicinitates, cōfinia, confiniorūq; rationes, aëris temperiē, bonitatem soli, vbertatem agrorum, riuulos auri, argenti, & aliorū metallorum, commoditatem venationū, genera & multitudinē ferarum, magnitudinem syluarū, & similia. Ab his transibit ad mores & ingenia hominū, ad rationē & cultum viuendi indigenitaliū, ad habitum & habitudinem corporis, ad speciem & quandam veluti proprietatem coloris, & oris denique ipsius ac faciei dignitatem. Nec verò non describet publicas etiam leges atq; sanctiones, pietatem vel superstitionem nationis, peculiares consuetudines omnium, modum & qualitates cæremoniarum, terra mariq; militandi vsum, militem domesticum, & quo aliquando vtitur etiam externum, ducum munia, prærogatiuas, præmia, inferioris verò militiæ ordinem, stipendia, procerum vires & magnificentiam, nobilitatis vigorem, frequentiā & facultatem plebis, mores & cōsuetudines gentis, & omniū tam politicorum quàm ecclesiasticorū statū & conditiones. Postremò verò accedet ad ipsum ad quem mittetur principem, suis (quod aiunt) coloribus depingendum, ordieturq; primùm à genere, maiorumque incunabulis ipsius, demùm progressu temporum, quibus artibus & occasionibus creuerint, quas domi forisque res gesserint, quale nomen in morte, quale & quantum imperium reliquerint suis demonstrabit.

Ac nimi-

Ac nimirùm ad ipsius principis apud quem legatione fungebatur, mores, ingenium, & tam ocij, quàm negotij illius rationes veniet explicandas, & quàm odio habeatur vel ametur à suis, suspiciatur vel contemnatur ab exteris, quantum vectigalium ei sit, quot rursus & quantos sumptus faciat, quantum militiæ foris, quantum domi stipatorum alat, qualem & quantam aulam, quales consiliarios, quales domesticos, quot & quales corporis custodes, quibus cum amicitiæ aliquid & hostilitatis habeat, & quę deniq; tã subsidia pacis, quàm prȩsidia belli, pro re & occasione nanciscerètur. His enim sciendis & resciscendis legati ditescit animus, & lucem haurit principum non nemo, & tota deniq; eiuscemodi legatis condecoratur regio atque religio: sunt enim idonei legati, tanquam quidem flores populi, quibus constat honos omnium, & pax, & tranquillitas, in qua cultus Dei & religio viget regionũ. Sua deniq; scire & ignorare aliena, dimidium est scientiæ Repub. gubernanda, & vna sunt illa ad documentum posteritatis obitæ legationes, scripta relicta, & in archiuum regium, tanquam in quoddam sacrarium importata, quæ seriem & vicissitudinem testantur temporum, memoriam conseruant præteritorum, & industriam ac opera locupletant scriptorum. Sciendum tamen est, non peræquè omnibus scriptis & scriptoribus habendam esse fidem: nam multa dicuntur partim odio, partim inscientia, partim vanitate. Sed vnũ illud omnium maximam dat authoritatem eorum monimentis, cùm non modò interfuerint, sed & præfuerint ipsi aliquando rebus, & placuerint si non cunctis, saltem sanioribus, & perfuncti postremò legatione, eius rei testimonium ad suos retulerint luculentũ: nefas enim est, sine eius ad quẽ veneris, & sine illius à quo missus fueris, scitu & volũtate ab aula discessisse, ac multo minus decuerit non deposita legatione, apud exteros remansisse. Quod olim Philippum Callimachũ Italum à Florẽtinis, ad Cazimirũ III, & Andreã Dudicium Sbardellatũ Hungarum, à Maximiliano Cæsare, ad Sigismundum Augustum, & Andreã Lorichium Germanum, à Ioanne III. Sueciæ Rege, ad Stephanum Poloniæ Reges constat fecisse, & in Polonia remansisse. Quod ipsum & Polonici cæli non omnium inclementissimi, & nationis haud ita inciuilis est argumentum. Vix enim aliquis paulò cultior mores suorum, nedum aliorum barbaros, & regionem patitur horridiorem. Quid quod multorum & saniorum est opinio, præstare eius principis apud quem fungere legatione, retulisse literas parum moratas, quàm sine obitæ legationis aliqua saltem nota, ad suos reuertisse. Illud enim principis qui scribit animi tribuitur impotentiæ, posterius aut legati metui, aut verò leuitati. Cum tamen eius-

mẽ eiuſmodi legatis,qui pro patria aliquid experti difficultatis ſint, aut mortem obierint, ſtatuas & trophea erecta antiquitus memorentur. Curet tamen quantum in ipſo fuerit, vt ne tales quidem, quales odio & contemptui eſſent, legatus domum referat literas, & legatum non tabellarium ſe eſſe recordetur. Aut ſi apud moroſum aliquem principem, obtentu id erit incredibile, exemplum literarũ earum quę ſibi dabuntur petat,eoq; viſo dehortetur eum ab inſtituto: eſt enim magna loquendi,ſed multò in principe ſcribendi maior licentiæ turpitudo. Proditionis verò alicuius, ſimul ac conuictus legatus fuerit, & ſine retardatione & grauiſsimè puniatur,ne qui non modò facto, ſed etiam peccare videtur & exemplo, propter authoritatem, & eius cuius perſonam in ſe ſuſtinuerit maieſtatem principis, impunitus dimiſſus dicatur. Facilius enim impunita imitamur vitia, quàm quæ in alijs præmijs affici cernimus virtutum exprimimus ſimulachra. Iam verò nec illud quoq; quod quibusdam placuit,vnquam probauero,principi alicui verbis dandis, prius legato qui ad eum mittitur dari oportere,quo acrius perſuadeat, nihil ſimulationis in mandatis latere ſuſpicatus. Quorſum enim hæc fuerit ſimulatio, cùm aut bono aut ſecus viro mandanda ſit legatio? & fido quidem verba non expediat dari,infido ſe committere planè ſit fatuitatis. Nec item alterius laudauero ſententiam, qui verbis planè ijs vult exponi mandata, quibus ab ipſo rege aut principe fuerint pronunciata. Cui enim bono daretur diuinitus eloquentia?ſi pro re & occaſione ea non vteremur?& quaſi omnes & ſinguli principes ſint ad perſuadendum faciles & vniformes, cùm concitatus vnus & vehemens ſit, ſedatus & temperatus alter: ille fundat multa ex tempore verba, hic proferat etiam meditato pauca: ille det ambigua, hic clara reſponſa: ille propoſitas ſibi res in diſquitionem ponat,hic ſine cunctatione reſpondeat: ac vnus non immoretur, alter deliberet diu. Vt enim facies,ſic diuerſa ſunt ingenia hominum,& non noſtris principes,ſed nos expedit accommodare ſe nutibus regum, & principum maximorum. Atq; vt medicus cibi & chirurgus balnei, nõ niſi eius qui conſilium petit, cognita prius neceſsitate, tempus & rationem præſcripſerit: ſic & legatus non niſi in arena (quod aiunt) quid illi faciendum, obmittendumué fuerit, conſilium capere poterit & debebit. Deniq; vt corpora noſtra,ſine alterna quiete & exercitio; ſic nec rerũ tractatio poteſt eſſe tã aliquando felix,quàm etiã diuturna.Nam ſi is qui negotia tractare debeat, celeritate tantum rationi inimica vtitur, quæ ipſius eſt anima expers erit dignitatis; ſed oportet vt

hoc cum

hoc cum illo miſceat, & moram feſtinationi cupiditatiq́ue ſuæ interponat. Cùm enim volumus eſſe diligentes, ſæpè aut leues, aut importuni habemur: & tantum quidem abeſt, vt re quam tam anxiè quærimus potiamur, vt vel eò etiam magis eos quibus cum nobis negotia fuerint, principiò erga nos arrogantes, mox obſtinatos, poſtremò etiam cognoſcamus furioſos. Itaq; vt vel aliquãdo paulò tardius detur nobis reſponſio, nõ ſubitò præcipitata omnia velimus, aut etiam interpretemur iniquius. Multi magni morbi (inquit Cornelius Celſus) curantur abſtinẽtia & quiete. Hoc item modo magna quæq; negotia, magna rerum humanarum tolerantia ad exitum optatum prouehuntur. Facilis quidẽ procraſtinationis & tarditatis cuiuſuis inuenitur explicatus: nam aut alicuius rei, ſucceſſu temporis veritas diſquiritur, aut poſtulata habentur iniuſta, aut deſpicabiles ij, qui eorum ſunt authores. Si non extrahendi temerè temporis cauſa, ſed inueſtigandi veri aliquid interponitur moræ; tolerandum eſt patienter: ſi iniuſta legati videbuntur poſtulata, vt diſsimulanter aliquandiu id feratur, nec illud quidem latuerit diu, ſi contemnimur, ne adeò plus etiam & periculi & difficultatis ſortiamur, ſeriò & ſollicitè prouideamus. Importuna petitio deſpicatum, iniuſta odium, difficilis aliorum animum reddit erga nos alienum. Nos verò contra hæc omnia minimè præcipites ſimus, ne ſi fortè negatum nobis aliquid fuerit, ad arma neceſsitatem recurrendi, non tam habuiſſe, quàm ipſi quæſiſſe videamur: in multis enim bonis, imprimis nominis & famæ, & bonum amemus publicum. Quid quod ſępè ſæpius vſu venit, vt nec in ipſa quidem deſperatione omninò ſit deſperandum, prȩſertim cum ratio præeſt & appetitus ancillatur; & tam is qui petit, quàm & ille à quo petitur, ſui non obliuiſcitur decoris, ſtatus & conditionis. Sic olim & Carthaginenſes à Romanis petebant interdum aliqua, quæ nec peti, nedum obtineri videbantur potuiſſe: & nihilominus tamen poſtremò facta ſunt tandem etiam & facilia ipſo obtẽtu. Nõ tam enim petentis, quàm à quo petitur cõſideratur ſæpè conditio: nec tam propter alios, quàm propter nos ipſos multa multis elargimur. Vnde illud ſermonibus vulgò crebrò vſurpatur prouèrbiũ, quòd iuuat audaces fortuna. Nam quantumùis licèt actum immoderatum fateamur eſſe audaciam; tamen iuuari, vt plerumque fit, audaces videmus, & contra omnem rationem & conſilium fieri quamplurima, quæ nihilominus ſequi quàm ſecus præſtiterit, & in conſilium non admittere caſum, nec velle videri te-

 merarium.

merarium.Semel enim & iterũ fortunam,quàm rationem magis ſecuti, & repulſam paſsi, ſimul imprudentes impudentesq́ue habemur, & in eorũ quibus cum negotia tractauerimus odiũ &ſuſpicionẽ incurrimus, quorum alterum periculi, alterũ noſtri cauſa eſt deſpicatus.Nemo enim ijs quę petuntur negatis,facilè ſibi promittat largiora, & duplex ferè accepti & negati beneficij eſt ratio, dato ad danda inuitamur plura, negato nos ipſos priuamus voluntate dandi etiam minutiora. Antequam igitur aliquid poſtules conſultò,poſtquam poſtulaueris animo opus eſt magno,poſtulatis quę negantur obliuiſcendis: ridiculum enim eſt, vt pomis pueris negatis, ſic cruciari prudentiores irritis eorum poſtulatis. Quo magis in legati cognitione & intelligentia rerum, multum eſt poſitum, qui ne quid in eo reſideat culpæ,conſignabit mea quidem ſententia tutius omnia literis,& adeò familiaribus & domeſticis ſuis,cunctorũ in legatione,vel minutiorum author erit notandorũ: vt enim in vrbiũ irruptionibus,pręlijsq́; maioribus,nunc hoc iſte,nunc videt ille,nec peręquè in narratione rerum concordant vniuerſi:ſic ſe habet & in legationibus, quod plus aliquando quàm legatus ipſe obſeruant eius familiares, præſertim ſi ſagaces fuerint, & in pænitiora ædium intromittantur regiarum, vbi is qui veluti in proſcænium prodit, in rem ipſam intentus, parum aut nihil circumſtantiarum videt, comites facilius omnia per ſe ipſi intuentur. Ad eum modum legatus legatione functus, domumq́ue ſuam reuerſus, principi amabilis, omnibus admirabilis, & æmulis ſuis, qui vt vmbra corpus legati comitantur induſtriam, reddetur formidabilis. Qui tanto etiam alijs cõmunicabit hęc libentius,quanto inde ſuæ gentis omnes & ſingulos maior manet honos,& ſecura recordatio naufragiorũ,affert in tranquillo plus voluptatis. Vt enim ij qui ex magna aliqua portũ capiunt tẽpeſtate,illis qui portu ſoluunt præſtant ſe cõmodè monitores:ſic quidem & legationes publicas obituri,aliorũ admonitiones nunquam reſpuunt ſalutares.Quę cùm ita ſint, pręclarum ſanè legationis cenſendũ eſt munus,ſiue ſanctitatem,ſiue vtilitatem eius ſpectes,& ſiue publica ſiue priuata commoda intueare. Ac proinde probè nauata Reipub. à legato opera, ornabit princeps eum & munerabit ſemper, vt alij etiam eius exemplo ad virtutem accendantur: vt enim humana corpora cibo,ſic virtus ſuo alitur præmio, nec libenter feruntur labores, qui nullo prorſus emolumento alleuantur. Quis enim neſcit magnos magno ſemper viuere, & aulam ſplendorem & magnificentiam poſtulare? Sic

vt æquiſsi-

vt æquiſsimum ſit præter illas quæ profecturis dantur pecuniæ, opibus Reipub. legatos præterea augeri: magis enim Reſpub. idoneis indiget viris, quàm vel illi ipſi Reipub. diuitijs. Ac tantùm quidem abeſt, laudi vt fuerit ineptis idoneorum loco dare, vt ſolem è mundo tollat, qui virtutem inedia & contemptu labefactat: nemo enim honoratus ipſe, habitantem adit ſordidè, nemo æſtimat viuentē parcè, nemo obſeruat cum vno aut altero inambulantem comite, nemo miratur abſque currubus, equis, & phaleris, in quodam quaſi hærentem piſtrino, perpetuaque egeſtate, & denique non ſolùm hominum vulgus ipſum, qui hoc maximè capitur, ſed & prudentiores requirunt in nobis ſplendorem vitæ externum, inprimis autem vel internum. Iam verò vt ſemel & iterum legatus expectationi non reſponderit, abſtineat princeps vti ipſius opera, nec velit committendis erroribus videre aut reddere ſolidiorem: legatio enim requirit maturum hominem, non tyronem, grauem non hiſtrionem. Nam quantulum idcunque fuerit, in quo legatus pedem impegerit, augetur verbis vehementius, & hæret memoriæ diu, nec vel vnius lapſus, plurium qui eum ſubſequũtur emendatur firmitate. Quo etiam eorundem legatorũ, qui benè ſe geſſerunt opera, quöad eius fieri poteſt diutius, apud eosdem illos principes magis expediet vti, ne noui & non peræquè experientes, in errorem aliquem craſſum prius illabantur, quàm erudiantur: ſcopas enim & miniſtros nouos initio laudaueris, ſed paulò pòſt plura ferè in ijs quàm veteribus requiras. Sed nec ita princeps, vt vnum & eundem ſemper mittat, veluti cuidam neceſsitati alligatum ſe arbitretur: nā qui identidem & perpetuò operam nauant, deberi ſibi omnia exiſtimant, & facilius ſibi præfidunt, & denique corrumpuntur. Ac ne multa, tam princeps dimittendis legatis, quàm legatus ipſe his rurſus rebus negotijsque tractandis, magno delectu, conſilio, & rerum vſu ipſo opus habet: turpius enim cum mandatis reuocatur, quàm ea negantur legato, & quàm rectè factis ſuum honorem tribuamus, minus alterius commiſeremur infirmitati. Interim tamen meminiſſe pro ſe quiſq; principum etiam debet, quòd in hoc mundo immundo, ſeu vitiorum quorundam verſamur omnes Oceano, & montes atque colles ſtare, homines hominibus obuiam fieri, & tanquam lepores leporibus ſimillimos naſci. Iudicia quidem ſua ferre de nobis vulgò varios varia, ſed (vt plerumque fit) ſæpius etiam nihili & temeraria. Victus ergo ratione tantum valetudini conſulendum, & medicorum turbam negligendam. Obſeruatum eſt, non peræquè tribui laudem & præmium virtuti, quàm

præſtari patrocinium ſceleri, nec tam ſuſpici doctum & diligentem, quàm cum hoc commiſceri rudem & inſipientem. Regium verò eſſe beneficijs obligare ſibi multos, fideles licèt experiatur quàm paucißimos: audire vulgo malè,& facere nihilominus benè, vitijs etiam quàm hominibus plus ſuccenſere,ingrato aliorũ animo non offendi, & quantum Deo Opt. Max. pro tot ac tantis acceptis beneficijs ipſe debeas,& quid gratię exoluas,tecũ ipſe reminiſcendo recordari,ac tum nimirũ futurũ te,alijs quoq; quos ingratos dicis æquiorem. Vnum autẽ pro multis relaturũ ſemel beneficio vicem, & Deum Opt. Max. tam eſſe ſemperq; fuiſſe locupletem, vt aliorum inopiam poſsit & velit ſupplere. Poſtremò Ioannis Sepuſij Hungariæ Regis dictum illud eſſe memorabile:Si vel mille quotidiè nos fraudarent homines, non admittendos in conſuetudinem poſtridiè quadrupedes; verùm cum illis ipſis hominibus viuendum & moriendum.Vnus Deus Opt. Max. eſt perfectiſsimus,homo homine imbecillior & imperfectior paulò plus vel minus.Vnã interim normã illam vitæ potiſsimùm obſeruandã,vt arcana celemus,pauca loquamur, nihil inconſultò aggrediamur: nec modo ordiendæ rei principia, ſed finem adeò ac exitum cogitatione colluſtremus: falſitatem quantum in nobis eſt habeamus odio: parum aliquid aut nihil temporis otio,plus ſemper tribuamus negotio: virtutem honore,ſcelus dignum arbitremur ſupplicio:cohibeamus iram,ſeruemus moderationem animi & iuſtitiam: loco ſuperioribus ſine retardatione cedamus: inferioribus de eorum iure nihil prorſus detrahamus: fide & taciturnitate maximè commendari,pauperum miſereri, vt & ipſi miſericordiam aliquando ſorciamur velimus: & ante vltima funera, tempeſtiuè diſcamus mori,ne illa ſuprema die, qua multa incommoda ſimul concurrent, tanto quantus futurus eſt oneri atque angori,ſuccumbamus. Noſtrum iſtud quidquid eſt ſcire & viuere vmbræ eſt ſimillimum. Nos igitur ipſos quàm alios potiùs noſcamus, ne falſa perſuaſione de nobis inebriati, cùm portum cepiſſe nos, tum maximè portu ſoluiſſe videamur. Deus Opt. Max. bonorum author eſt omnium,qui dat & illuminat intellectũ, & qui facit omnia ſine errore, & nihil vult fieri vt hic tantùm laudemur aſsimulata probitate. Facilè alioqui pedem impingit mortalis, ſed qui lapſus non ſurrexerit, ad interitum ruet ipſe voluntarium, quem pro ſe quiſque tum maximè timeat, cùm præfidere ſibi ipſi cœperit; & morbum, caſum, ſenectutem, quaſi quoſdam prænuncios mortis, ipſumque adeò ſe creatam rem, & creatorem noluerit agnouiſſe. Qui cùm vnigenam ſuum filium, apud nos legatione

gatione fungi, & ipse Apostolos suos quasi quosdam interpretes, & nuncios rerum vitæq; nostræ magistros per orbem terrarum passim voluerit mitti, nos quoque ad vnam illam æternam ipsius gloriam, legatos & legationes, nostraque dirigamus vniuersa, & non magis dici, quàm esse in occasionibus idonei legati, & qui eorum mittendorum potestatem habuerint inprimis considerati, ac quod denique summum est, eritq; perpetuò, omnes omnibus in rebus & actionibus nostris non magis nomine, quàm ipsa re christiani esse, & haberi cupiamus.

Finis ad gloriam vnius Dei Opt. Max.

STANISLAVS MINSCIVS PALATINVS LENCICIAE,

Christophoro Varseuicio. S.

Legi epistolam tuam, pronubam libri de legato & legatione tui, & quidem ita legi, mihi summæ vt fuerit voluptati: nam & amoris in me tui, & ingenij simul velis ita vectus es latissimè, vt horum vtrumq; sibi vicissim adiumento fuerit. Quid enim breuibus, vel de me honorificentius, vel de ipsa singulari materia grauius dici potuit? In quo cùm omnia & doctissimi viri, & amicissimi coniunxisses officia, illud est quod vereare, ne dum me parem præceptis fingis, iudicio grauissimo tuo nonnihil præiudicasse videaris. Amaui te semper mi Varseuici, vt debui, cùm ob singulare animi tui in me studium, mihi antea iampridem notum, et antiquam familiarum nostrarum in hac prouincia coniunctionem; tùm ob eas animi dotes, quibus non solùm te, sed & patriam exornare semper studuisti. Nunc verò te etiam atq; etiam diligo, & admiror me hercule, quod inter tot tuas calamitates, & aduersæ fortunæ procellas, non modò animum te dignum non remisisti; sed & studia ac literas ita coluisti, vt nunc plurima laborum & lucubrationum tuarum monimenta, externorum manibus summa cum laude tua passim conterantur. Ita senescere oportet

re oportet virum, qui tot Imperatoribus, tot regibus, tot principibus seruierit, & charissimus fuerit, negotia domi forisq; tractauerit, multas gentes, regiones, moresq; ipsarum viderit, vt & prima vitæ tuæ tempora, et media, et extrema meliori præmio, non animo, à iudicibus haud inuidis digna fuisse censeantur. Ad quorum certè consensum, vnus ego licèt paruus magnarum virtutum tuarum & doctrinæ testis, libenter accedo, & dum ipse ciuili labore liberioris vitæ otium mereri studeo, fauebo si vnquam potero dignitati tuæ. Interim te valere percupio. Datæ ex Minscio vij. Calen. Decembris. Año M. D. LXXXXIIII.

Corrigenda.

Folij facie 5. pro ſeu, lege ceu. 6. vicina vicinia. 6. perfidiei perfidiæ. 8. ſeu ceu. 16. ſeu ceu. 16. iucumbet incumbet. 22. rationando ratiocinando. 25. euidantia euidentia 27. Mahometa Mahometana. 28. Turca Turcam. 28. examinata exanimata 29 deprædet depredetur. 39. interitum interitu. 35. ruſus rurſus. 36. ſeu ceu. 37. captū capto. 37. bella, vel: bella, & quæ, vel 37. Turcis ipſi Turcis ipſis. 38. Chriſtianorum Chriſternorum. 38. ſpoliandorum ergo, ſpoliandorum fanorum ergo. 39. forzia Sforzia. 39. Gaudenum Gandauum. 41. iutuitus intuitus. 48. fluruerūt floruerunt. 49 quorum quarum. 55. quod quo. 76. incenidum incendium. 77. ſui ſuæ. 81. ne non nec non 103. gubernacuiis gubernaculis. 104. teſtificandæ teſtificandi. 113. exaduerſis exaduerſus. 115. ſeu ceu. 120. religinem religionem. 123. altero alteri. 124. habueritis habueris. 124. iuuauerint iuuerint. 126. à quieſcas acquieſcas. 126. ſubeundem ſubeundum. 127. Tarnonius Tarncuius. 129. ,nſtruendæ inſtruendæ. 130. at omnibus ab omnibus. 132 ſeu ceu. 140. Chriſtianis Chriſtiani. 141. Chriſtianam Chriſtiana. 145. partem in partem. 149. ſeu ceu. 151. vi dixi vt dixi. 154 ſequi milleſimum ſeſquimilleſimum. 157. ingulum iugulum. 157. Hahometana Mahometana. 157. reuereamus reuereamur. 157. eam mea. 158. ſeu ceu. 158. ſtipenda ſtipendia. 161. poſtlimio poſtliminio. 165. exinanimat exanimat. 167. publicum publicam. 173. hæreſeos hæreſeon. 174. Hinc ille illæ. 176. ſeu ceu. 178. ſtimulis ſtimulus. 179. ſeu ceu. 179. habere haberi. 181. virida viridia. 183. ſteffectus eſt effectus. 184. nimina minima. 184. exhauri exhauriri. 185. ſequere ſequâre. 185. depingenbat depingebat. 185. pecunia pecuniam. 185. impetrata impetratam. 186. vno illo vni illi. 188. & qui denique vno, & quæ denique vni. 188. Pont. Pontifice. 189. Aquilonem ad Aquilonem. 190. de Arabis Arabibus. 192. concupiſci concupiſcit. 192. quæ iura libertas, ſi: quæ ſi. 192 quoque ſedes: quoque iura, libertas, ſedes.

Regiſtrum.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq.

Omnes ſunt Duerniones, præter Qq Ternio.

Konserwację papieru i nową oprawę
wykonano w Oddziele Konserwacji
Biblioteki Jagiellońskiej.
Oprawę wykonała p,Anita Bogdanowicz.

Kraków, VII.1979